LAMINTI PRITANII DE INGENIORUM MODERATIONE IN...

Lodovico Antonio Muratori

Digitized by Google

R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
71
NAPOLI

.1.1.3.

Digitized by Google

Racc. Villarosa A. 71

Digitized by Google

Digitized by Google

LAMINDI PRITANII DE INGENIORUM MODERATIONE In Religionis negotio

LIBRI TRES,

UBI QUÆ JURA, QUÆ FRÆNA FUTURA ſint homini Chriſtiano in inquirenda, & tradenda Veritate, oſtenditur : & Sanctus Auguſtinus vindicatur à multiplici cenſura

JOANNIS PHEREPONI.

Juxta Exemplar

PARISIIS Impreſſum ANNO M. DCCXIV.
cum Approbatione.

Proſtant Francofurti
Apud WILHELMUM METTERNICH Bibliop.
Anno M.DCCXVI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

DD. JOANNI PAULO BIGNON,

ABBATI SANCTI QUINTINI,

REGALIS ET COLLEGIATÆ S. GERMANI ANTISSIDORENSIS

DECANO,

COMITI CONSISTORIANO,

Utriuſque Academiæ Inſcriptionum & Scientiarum Præſidi, &c.

PRÆFATIO.

ANte aliquot annos ad umbilicum mihi perductus eſt meus iſte *de Ingeniorum Moderatione* Liber. Cur is tam diu apud me dormierit, & tam ſerò in lucem prodeat, non optimum Horatianum conſilium in cauſa fuit, ſed exemplaris diu vagi, ac tandem deperditi, nonnullorumque aliorum eventuum ſeries, in quibus explicandis non eſt, cur ego Lectores moleſtâ & fortaſſis inutili narratione detineam. Illud quidem, & altâ voce, mihi prodendum, nempe tuâ unius humanitate, ILLUSTRISSIME & CLARISSIME VIR; denique factum, ne Liber iſte adhuc dormiat, atque deliteſcat. Felices temporibus noſtris Literæ, quæ LUDOVICUM MAGNUM Galliarum Regem habuère Patronum, ejuſque liberalitatem adeo ſenſere, ejuſque auſpiciis tantùm crevêre, ut nulla unquam ætas oblitura ſit magnani-

mam curam conſiliúmque optimi Regis. Sed non minus felices, quòd Te idem Princeps, eximius ingeniorum æſtimator, conſtituerit Regiæ Scientiarum & Artium Academiæ Præfectum, quo in munere nulli labori, nulli diligentiæ peperciſti, ut in integrum Regnum, immo extra ipſius Regni fines propagaretur Diſciplinarum omnium utilitas, & curaretur incrementum. Propterea & me, licèt longè poſitum, tua beneficia invenerunt, quorum poſtremum non eſt, mea hæc, qualiacumque ſint, è tenebris tandem erepta emergere in publicum diem. Nulli igitur æquius quàm Tibi meum hujuſmodi fœtum dicatum velim, quo ſi non eruditionis, certè mei erga Te grati animi monumentum aliquod apud poſteros extet. Sed priuſquam Te ac Lectores deducam in argumentum mihi ſuſceptum, juvat nonnulla præfari, originem & ſcopum Libri ipſius apertura.

Jam fluxêre aliquot anni, ex quo cœpiſſunt in Officinis Batavis prœlo iterum committi, vulgaríque per totam fere Europam, præclariſſimorum virorum Libri, quorum exemplaria rariſſima aut fruſtra conquirere, aut magno redimere neceſſe jam erat. Et magnopere quidem, fateor, mihi ſuum conſilium ille probaverat, qui non eam tantùm Typographis Amſtelodamenſibus injecerat mentem; ſed & ſuam conferebat operam, ut ſi non omnibus purgata mendis, elegantiſſime ſaltem omnia formis æneis rurſus deſcriberentur. Nam cur hujuſmodi beneficium, in aliquod bonarum Artium commodum, & in Eruditorum utilitatem cedens, non amem & laudem à Batavis profectum, laudaturus & amaturus in noſtris? Verùm non hîc ſtetit ejuſmodi cura; quippe nonnullis optimis Libris appoſitæ quædam laciniæ fuere, ſeu Notæ Cenſoriæ, non parum quandoque fellis & veneni continentes, dum lucis præferendæ alienis tenebris, aut errorum tollendorum unica prætexitur cauſa. Qua in re cùm modica interdum modeſtiæ ratio fuerit habita, ip-

ſaque

ſaque Religionis ſacraria impetita fuerint; utique dicendum, pro beneficio levi Scriptoribus nuper editis injuriam gravem eſſe illatam, & quod eſt ad Catholicæ ſaltem Profeſſionis viros, malè de iis meritum fuiſſe Cenſorem hujuſmodi.

Omnium autem vice memorandæ mihi ſunt *Animadverſiones*, quas ille ſub ementito *Joannis Phereponi* nomine *in S. Auguſtini Opera*, ann. 1703. Antverpiæ, ſive Amſtelodami evulgavit. Quanta, & quàm juſta huc uſque nomini, & ingenio & pietati ſanctiſſimi hujus viri exiſtimatio & veneratio acceſſerit, tot ſeculorum auctoritate, & tot Scriptorum non Orthodoxæ ſolùm, ſed & Heterodoxæ Familiæ conſenſu firmata, nemo eſt neſcius. Auguſtini doctrinæ aſſurgebant, aſſurgunt adhuc fere omnes, contendentibus hinc nobis, inde Proteſtantibus, ſuffragio tanti Magiſtri poſitas tueri ſententias. Quando alicui placuit & ſatius viſum eſt ab Auguſtini mente recedere, id certè ita factum, ut nequaquam ejus famæ ac ſcientiæ in reliquis ſententiis officeretur. Qui verò exuto pudore omni dejicere Auguſtinum de acquiſiti ſplendoris & dignitatis culmine conati ſunt, nihil minus quàm temerarii hucuſque habiti. At nulla res Phereponum deterrere potuit, quominus Auguſtino diem diceret, atque in illum impune debaccharetur contumeliis & flagris. Non illius dicta quædam, non aliquæ tantùm ſententiæ per ipſum improbatæ, ſed generale Auguſtini gloriæ indictum eſt bellum, nihilque prætermiſſum, quo cùm illius ingenium, ſi Superis placet, ſophiſticum, & captioſum, & imbecillum, tum ejus animus à malis etiam artibus quodammodo non abhorrens, atque in Religionis perniciem pene conjuratus incautis Lectoribus exhiberetur.

Atque hinc Proborum atque Eruditorum querelæ adverſus Phereponum, ſanctiſſimo Epiſcopo adeo infenſum, ſimúlque flocci facientem in uno Auguſtini con-

temptu tot hominum judicia Auguſtino faventia. Et quanquam perſuadere ſibi aut aliis fortaſſe is poſſit, ſe veritatis unius amore, quæ omnibus præferenda eſt, in Auguſtinum irruiſſe; vix tamen erit, ut perſuadeat, ſe non exceſſiſſe in eo agone modum ac moderationem honeſtæ Cenſuræ. Et minimè id mirum multis viſum eſt. Nempe famam aucupanti nulla occurrat ratio facilior, quàm Cenſorem agere, & potiſſimum in Scriptores diuturni temporis, ut ita dicam, auctoritate ſacratos. Quod enim eſt ad Criticos non paucos, ubi errores in magnis viris deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, tum ſibi tacitè gratulantur, quaſi ingenio aut judicio præſtantiori polleant ipſi, & aliqua ſaltem ex parte vincant tot ingeniorum victores. Viciſſim verò, ut Tacitus ait Lib. 5. Ann. *Obtrectatio & livor pronis auribus excipiuntur*, & à Lectoribus pleriſque amantur chartæ dentatæ, & ſummorum virorum ludibria. Nam interdum quidem Cenſura aliena judicio noſtro prodeſt, ſemper autem noſtræ ambitioni blanditur, quippe depreſſis proceris arboribus, vel ipſa virgulta ſibi creſcere confeſtim videntur. Quid, ſi cum celebratiſſimi Auctoris Operibus Cenſura ipſa conjungatur? Tum profectò certiſſimus ad famam captandam Cenſori eſt gradus; velint enim, nolint, ſi Libros illos comparare ſibi Eruditi in animum inducant, auctarium quoque emant oportet, & hominem noſcant inclareſcentem ex inimicitiis magnorum virorum.

Quod eſt ad me, ut primùm in manus meas Pherepon opus pervenit, illudque legi; non potui, fateor, quin improbarem, ſimulque dolerem conſilium ac laborem Scriptoris adeo confidentis. Neque ſanè is ego ſum, qui in *Artem Criticam* odio ullo ferar. Immò ipſam tanquam neceſſarium eruditi hominis ornamentum plurimi facio, ejuſque ſcientiam, rectumque uſum in aliis ſuſpicere, mihi verò optare non deſino.

deſino. Loquor de arte illa,cujus ope ac regulis in re literaria vera à falſis, recta à pravis dijudicamus, & quæ omnium fere Artium atque Scientiarum ita comes eſſe debet,ut ſine illa ad perfectionem vix aſſurgere valeant; non quæ cum ſatyra atque obtrectatione confuſa,noſtris temporibus moleſto nomine traduci ſolet apud ignarum vulgus. Id etiam præ oculis mihi poſitum, Religionis diverſitatem cauſam eſſe non debere,ut nobis Cenſura quævis continuò diſpliceat. Solent autem nonnulli ſine diſcrimine faſtidire ac improbare,quidquid ab alienæ Religionis homine ſcribitur,atque illis perinde eſt Librum averſari,ac nomen Auctoris Acatholici noviſſe. At mihi impia quidem Hæreticorum dogmata perpetuò diſpliceant; ſed nunquam diſpliceat veritas vel in Hæreticorum ore. Numquid enim quæcumque ab Heterodoxis dicuntur, ea omnia continuò pro falſis ac impiis habenda? Præterea ne eo quidem nomine Pherepono ſuccenſendum,quod is malè ſanctum Auguſtinum habuerit, virum nempe illum; cujus fama neque laudibus creſcere noſtris, neque alieno livore imminui jam queat. Quanquam enim Auguſtinum ſupra quamplurimos Eccleſiæ Catholicæ Patres veneremur, ſupra illum tamen veritatem eſſe colendam conſtat. Nimirum ſancti Patres, ſingillatim ſumpti, potius teſtes quàm Magiſtri veritatis ſunt appellandi; & ſiquidem Magiſtros appellare placet, nunquam tamen eos falli neſcios reputabimus. Quare ſi ſtet à Cenſore veritas, cur illi iraſcamur, nos,& Auguſtinum meliora docenti? Unum ergo fuit, quod Pheretponianum Opus ingratum mihi fecit, nempe veritas,ut mihi videbatur, atq; videtur, ab ipſo interdum oppugnata, interdum etiam exagitata & onerata conviciis. Cùm verò injuriæ veritati uni illatæ palam,ad omnes pertineant veritatis amantes; & obſiſtendum ſit morbis pejora minantibus: hinc mihi natum conſilium texendæ Apologiæ, quâ conſulerem tum Auguſtini famæ,tum veritati laceſſitæ.

Sed ne hîc quidem conſiſtendum mihi arbitratus, in ampliorem agonem ſenſim pertractus ſum, cujus rationes ſignificatum nunc pergo. Uti nemo non videt, atque ab experientia edocemur, eſſe poteſt; immo ſæpe eſt, *Criticæ*, alioqui laudabilis atque utiliſſimæ Artis, perverſus uſus: & quemadmodum Medicina, Eloquentia, Dialectica atque aliæ Artes Dei immortalis munere hominibus datæ, nocere interdum ſolent, non ſuâ, ſed abutentis culpâ; ita hominum vitio veritati nonnunquam officit Critica, quanquam in ipſius præcipuè veritatis præſidium excogitata. Et ſane dum Literarum ſtudioſus laxatis habenis ad inquiſitionem veri ſe confert, nullúmque ambitioſo ingenio limitem præſcribit: quid mirum, quòd tot ac tam pertinaces Hæreſes atque errores ſoboleſcant, latiúſque ſerpant in dies? Qua de re tandem dolendum magìs eſt nobis, ſollicitíque eſſe debemus, quàm de Auguſtini fortunâ. Neque contumelioſè agam in tot populos ab Eccleſia Catholica eorum matre per teterrimum Schiſma hucúſque diviſos, ſi dixero, nullam aut antiquitùs excogitatam fuiſſe, aut excogitari nunc poſſe opinionem perverſam atque impiam, cujus non ſit, aut fuerit apud illos Patronus aliquis, ac ſuperbiſſimus Præco. Non id quidem, inquient ipſi, vertendum eſt vitio Reipublicæ. Verùm, quando ſentire quæ velis de fidei dogmatis, & veritatem inquirere, nullis adhibitis ſalutaribus frenis, aut licet, aut impune apud eos licet, aut ſaltem ex eorumdem ſententia licuit ſuarum Sectarum Conditoribus: & cùm ex iis nunc nemo ſibi minus quàm olim Luthero & Calvino, licere credat, ac velit: cur tantæ licentiæ, tantorúmque malorum non poſtulemus ipſam quoque Proteſtantium Rempublicam?

Integram tamen hanc peſſimam gloriam non occuparunt Acatholici. Numerare & nos poſſumus naufragia in pelago noſtro. Ut enim quiſque ingenii viribus ſupra vulgum pollere ſe ſentit, tum cupidine laudis ab-

reptus

reptus conſentire opinionibus cum Eruditorum vulgo vile ducit, moleſtè fert atque recuſat, omnémque ſpem gloriæ collocat in ſola novitate doctrinæ. Ac etiamſi id genus hominum eò uſque non prolabatur plerumque, ut ab arce Fidei & Eccleſiæ Catholicæ deficiant, plurimæ tamen turbæ eorum audaciam conſequi ſolent; à quibus abſtinere viro prudenti expediat, & probo ſit neceſſarium. Quæ cùm ita ſint, nullo negotio intelligimus, quale onus & cura amatoribus veræ ſapientiæ incumbat: nimirum non tam ſcientia quærenda, quàm ſcientiæ modus ac terminus. Si enim hos negligimus, veram quidem ſcientiam ſemper inveſtigabimus, rarò inveniemus. Et quoniam in Religionis negotio noſtra potiſſimum verſatur oratio, quippe in eo ſita eſt Chriſtianæ Vitæ ſumma, eóque tendere debet diſciplinarum omnium poſtrema linea. Hîc inſiſtendum eſt, hîc erudiendus eſt animus, atque in primis intelligendum, quæ ſint inquirendæ veritatis confinia, quæ adhibenda ſit in tanta re *Ingeniorum Moderatio*. Quare impetrare tandem à me non potui, quin ad recolendas eas regulas me conferrem, quas à Pherepono contemtas potius quàm ignoratas doleo, & quas perpetuò ante oculos ſibi ſiſtant ceteri Eruditi neceſſe eſt, ſi volunt in officio continere intemperantia ingenia, & ad veritatis ſacraria tutiſſimè, ac ſine periculo famæ aut animæ, contendere. Has autem leges dari, & ſi dentur, omnino diſcendas ac ſervandas nemo neget. Qualem enim ſecundum exitum expectemus à ſtudiis noſtris, & ab anxia inquiſitione veritatis, niſi ante omnia ſit exploratum, quouſque meditationis noſtræ conatus progredi debeat, & ubi conſiſtendum ſit ingeniis plerúmque ambitioſis. Tolle iſtas leges, aut flocci pende, ſenties *Artem Criticam* non minus pernitioſam quàm gladios, morborum quidem curatores in Medici prudentis manu, at in furioſi hominis funerum auctores. Igitur hujuſmodi conſideratio in

cauſa fuit; cur ſuſceperim *de Ingeniorum Moderatione in Religionis negotio* utiliſſimam, quantum mihi videtur, diſputationem, quam utinam pro merito ſuo, & appoſitè ad nonnullorum indigentiam pertractare poſſem.

Sed ne tanto quidem ſpatio meus animus contentus eſſe aut potuit, aut debuit. Iraſcerentur mihi non pauci, quaſi compedes novos excogitarem, novâque vincula ingeniis injicerem, quando jam tot injecta videntur, ut de veteribus potius minuendis, quàm de novis adjiciendis cogitandum foret. Quorſum enim (inſuſurrarent mihi in aurem Catholici quidam) tu inter nos commendare, diligentérque ſuadere *Moderationem Ingeniorum*, non ſolùm legibus bene multis in Eccleſia Catholica conſtitutam, ſed etiam (& fortaſſe ultrà quàm vellemus) diverſis rigidiſque pœnis procuratam? Si quid apud nos peccatur, nihil minus peccatur, quàm ſentiendi & ſcribendi licentiâ. Contrà verò cùm ingenia interdum erumpere præ metu non audeant, & ab amplificando Regno eruditionis & veritatis nimium cohiberi videantur: cur non potius *de Ingeniorum Libertate* inſtituitur ſermo? Cur memorantur fræna, quibus calcaribus eſt opus? Atque hæc quidem è Catholicorum parte audire mihi videor. Tum longè gravioribus querelis ac dicteriis nobis inſultaret Proteſtantium Chorus. Nam quid, rogo, illis tam familiare eſt, quàm aut dolere, aut ridere Catholicorum ſortem in Literis excolendis, & in ſententiis de Religione proferendis, plane, ut ii arbitrantur, abjectam atque infelicem? Nos è filiis evaſiſſe vilia mancipia paſſim clamant; ſupremos verò Eccleſiæ paſtores tyrannidem uſurpaſſe in ingenia, in conſcientias, neque ferendam inertiam noſtram; uti neque eorum crudelitatem. Plura ante paucos annos efferebat in hanc rem Joannes Alphonſus Turretinus Academiæ Genevenſis Rector Oratione edita. Poſtquam multis

multis ille contendit, ne umbram quidem apud nos eſſe libertatis, hæc addebat: *Et unde fieri exiſtimatis, ut tot tantæque Europæ gentes quibus tamen nec cœlum inclemens, neque noverca eſt natura nihil fere bonæ frugis ad Literarum augmentum proferant, niſi quod immane illud Inquiſitionis Tribunal, vel inquiſitionis æmulæ Leges, omnem plane vim, omnem induſtriæ conatum frangant? Contrà, unde fit. ut non alibi plura ingenii monumenta exſtent. quàm in Borealibus quibuſdam Regionibus, niſi quod ibi majori tum corpora, tum ingenia, libertate utantur? Etenim quis Literas promoveat, quis veritati quærendæ incumbat, quis inventam publicare auſit, dum pro laudibus convicia, pro commendatione dedecus, pro mercede pœnas ac ſupplicia ſuis laboribus parata videt, ſi vel tantillum à calcato tramite recedere ſuſtinuerit? Et quis erit qui ſuadeat (ut ſcitè Darius apud Curium Lib: 5.) ſi ſuaſiſſe periculum erit?*

Ita ille, ita reliqui ejuſdem gregis. Quorum quidem querelas, ſi in hoc Opere diſſimulare velimus, & eorum confirmabitur ſiniſtra de nobis opinio, & ipſam veritatem ingenti beneficio fraudabimus. Sunt ſua non *veritati* minus, quàm *ingeniis* jura inter homines, quæ bene noſſe ac tueri ad neminem magis pertinet, quàm ad Catholicos viros. Jus autem inquirendi veri, & palam enuntiandi à natura nobis inſitum, omniúmque Majorum exemplo atque auctoritate commendatum, latiſſimè patet, neque à nobis ſine injuria negligi poteſt. Quamvis enim ab immoderata inquiſitione veri, multa in Eccleſiam Dei manarint incommoda, quibus præcipuè occurrendum eſt hâc noſtrâ lucubratione; ea tamen viciſſim, atque adeò evidentia bona ſunt, quæ quotidie importat moderata, vereque chriſtiana inquirendi veri libertas, ut non ſeniùs ad hanc laudandam, & populis ſuadendam, quàm ad illam incuſandam, atque è medio tollendam,

ſit incumbendum. Et meâ quidem ſententiâ, ſi bonarum Literarum augmentum ſi Chriſtianæ Philoſophiæ, atque Eccleſiæ dignitatem amamus, continuò intelligere poſſumus, quanti noſtra interſit, cùm nos & reliquos omnes incitare ad cultum ſcientiamque cujuſcumque honeſtæ veritatis, tum etiam probè noſcere, quouſque, & quomodo, & quando, aut liceat, aut expediat, aut etiam neceſſe ſit veritatem inveſtigare, atque proferre. Quamobrem, quanquam facilius ſit animo concipere utilitatem hujuſce argumenti, quàm rem ipſam deinde perficere, attamen dabo operam, ut quantùm ego meditatione aſſequi potero, jura & fines inquirendi veri explicentur. Scilicet pro virili parte efficiam, ut honeſta ineatur naturali *ingeniorum libertati* cum *Chriſtiana Moderatione* concordia, ne, dum nimis priorem conſtringimus, animi generoſi, & ad Artes ac veritatem illuſtrandam proni langueſcant; aut, dum alteram contemnimus, effrænata mentium libido ſuſque deque vertat beatiſſimum *veritatis* Regnum & *Eccleſiam Dei vivi*, quæ *columna eſt, & firmamentum veritatis*.

Auguſtino autem, qui primus meæ menti obverſabatur, meque in has cogitationes impulit, ſuus identidem ac præcipuè in Lib. III. locus erit, ubi illius defenſionem ſuſcipiam contra Phereponum; ſed ita ut in me recipere nolim reſpondere ſingulis Pherepon ianæ Cenſuræ Capitibus. Sunt ibi minuta quædam, quæ ſi refellere velim, ſim temporis prodigus. Sunt etiam alia quædam pauca, in quibus me non livoris quidem communione, ſed amore veritatis Cenſori ipſi tacitus adjungam. Quotus enim quiſque eſt, qui non aliquando fallatur, niſi divino peculiari afflatu mentem manúmque ſcribentis regat veritatis magiſter Deus? Erat Auguſtinus ad miraculum uſque acutiſſimo ingenio inſtructus: at homo erat. Cum eximia Litterarum peritia conjunxerat ille præcipuum pietatis ſtudium: at homo erat. Quare non eſt cur mire-

mur,

mur, ſi aut interdum dormitanti, aut etiam vigilanti exciderit aliquid quod libentiùs excuſes, quàm probes. Verùm quæ in illo notanda videantur, ejuſmodi non ſunt, ut vel tantillum gloriam incomparabilis viri minuant, multóque minus Catholicæ veritati obſint. In reliquis autem majoris momenti quæſtionibus, ubi ad dicendam cauſam, & ad ferulam ſubeundam Auguſtinum Phereponus trahit, vires mihi opto, & porro illas à Deo optimo maximo enixè peto, quibus cùm Auguſtinum, tum Eccleſiam ac veritatem à Pherepono vindicem. Qua in re illud mihi in votis eſt, ne qua in Phereponum ipſum ira, ne qua in Auguſtinum aſſentatio, me ab officio deducat honeſti ac ſinceri Scriptoris. Quòd ſi fortè contingat, ut videat interdum aſperiùs quàm velim excepiſſe Phereponum, non hominis odio id factum fuerit, ſed ardore protegendi veri, quod ab eo læſum non paucis in locis demonſtraturum me eſſe confido. Nam etſi illius conſilium in rigidè inſectando, contemnendóque Auguſtino minimè probem, & ejus ſententias, in quibus à Catholica Religione diſſentit, vehementer exhorream; ejus tamen eruditionem & ingenium aliunde etiam mihi nota non aſpernor, cujus ſpecimina & ego, ſi res poſceret, laudaturus eſſem candidiſſimo judicio.

Atque hæc ſunt, BIGNONI PRÆCLARISSIME, quæ in hunc Librum jam tuum, quia tuo nomine inſcriptum, præfari opportunum duxi. Nunc reſtat, ut ejus Auctorem Tui obſequentiſſimum, Tibique fauſta omnia è Cœlo precantem, perpetuò ames, ut facis, tuoque patrocinio dignari pergas. Vale.

Dabam Mutinæ IV. Kalend. Novembr. M. DCCXII.

INDEX

CAPITUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

VEri & Boni præſtantiſſima natura. Nullum Verum eſt, quod quærere ſuapte naturâ non liceat, & diſcere non ſit honeſtum. Quæ ſententia ab objectionibus liberatur, & S. Auguſtini auctoritate firmatur. Veritatum duplex genus: alterum ſcientiam, alterum perſuaſionem parit. Ordo quidam inter veritates. Quæ potiſſimum ad Religionem ſpectant, inveſtigandæ. pag. 1.

II. *Ut Religio vera naſcatur, an à dubitatione ſit inſtituendum iter. Dubitandi neceſſitas, ut error evitetur; & pericula ne veritas amittatur. Prudens dubitatio commendata, temeraria verò repudianda.* 11

III. *Non omnibus dubitandum de veritate ſuæ Religionis Ratio & Auctoritas in Religionis negotio, earumque pondus. Quæ quærenda ſint, ut conſtet, an vera ſit aliqua Religio. Prudenter poſſunt immò debent de veritate ſuæ Religionis dubitare Ethnici, Judæi, Muhammedani. Juſtæ apud eos dubitandi cauſæ.* 16

IV. *An Chriſtiano Homini dubitandum de ſuæ Religionis veritate. Æquum id videtur, ſed gravibus periculis obnoxium. Dubitatio & hic licita, & quando, & quomodo, ne fidei donum perdatur. Ratio & Auctoritas ſtatuunt veritatem Chriſtianæ Religionis. Cur Chriſtianorum vulgus acquieſcere prudenter poſſit in Religione ſua, ſitque ab onere dubitandi exemptum. In Eccleſiæ Catholicæ Paſtoribus potiſſimum ſcientia Religionis expetita.* 23

V. *An*

V. *An ad inundā Religionem veram Auctoritas præcedere Rationem debeat. Manichæorum jactantia exploditur. Sancto Auguſtino ſententia hæc de re abſurda à Pherepono affictа. Rationes extinſecæ ſeu motiva credibilitatis adhibendæ ante Fidem, nec exigendæ Rationes Dogmatum demonſtrativæ. Uſus Catholicæ Eccleſiæ hic laudatus, à qua nemo ſine ratione credere jubetur. Scire & credere quantùm differant. Miracula, extinſecæ rationes. Alia Pherepone ſomnia putantis, Catholicos olim ſine rationibus exegiſſe Fidem.* 28

VI. *Infirmitas humanæ mentis, atque rationis, & errandi in homine facilitas. Ejus cauſæ fuga diſciplinæ, ſocordia in inquiſitione veri, corpus malè compactum, & peſſimè affectum; penuria atque abuſus ſubſidiorum ad inveniendam veritatem; memoriæ exilitas: phantaſiæ impotentia, & præcipuè dum affectus in animo regnant: voluntatis perverſa indoles: mentis ipſius anguſtia, ignorantia, oblivio, & prava electio principiorum, quibus ad rectè judicandum uti neceſſe eſt.* 45

VII. *Rationis humanæ imbecillitas experientiâ teſte. Ad ipſius medicinam ut Religio vera noſcatur, neceſſaria eſt humanitas, & expoſcenda à Deo vires atque ſapienta. Quid ſcientia, quid perſuaſio ſive credulitas prudens. Prima principia quibus ratio & prudentia reguntur in inquiſitione Religionis veræ qualis eſt unica Chriſti Religio ratione & auctoritate in ipſius probationem confluentibus* 55

VIII. *Qui noſcenda vera Chriſti Religio inter tot ejus ſectas. Scriptura ſacra primum veritatis promptuarium. Sed viribus noſtris difficile intelligenda vera doctrina. Aliquem veritatis viſibilem interpretes ſuæ Religioni Deus dederit oportet. Eccleſia vera, verax, & ab errore immunis; atque hæc una eſt Catholicorum Eccleſia.* 63

IX. *Eccleſiæ Catholicæ perperam negata ab Hæreticis immunitas ab errore. Proteſtantium Methodus in inquiſitione veræ Doctrinæ quàm temeraria, & quot Hæreſum*

ſum origo. Catholicorum Methodus quàm laudanda. Non ingenio privati cujuſque hominis dimittenda ſacrarum Literarum interpretatio in dogmate. Vox Eccleſiæ vera hic audienda, Deo id præcipiente. 69

X. *Auctoritas Eccleſiæ Catholicæ in Fidei doctrina à Phereponi objectionibus vindicata. Ei non ſine ratione credimus. Fallaci auctoritati Proteſtantes addicti, & incerta apud eos veritatis conſecutio. Antiquitas doctrinæ in Chriſti ſchola, & credentium multitudo robuſta veritatis argumenta. Novitas & paucitas erroris indicium extra Catholicam Eccleſiam. Phereponi in hanc rem animadverſiones confutatæ.* 76

XI. *Socinianorum peſtifera Hæreſis Deo nos quædam edocenti credendum, quamvis credenda ſuperent captum humani intellectûs. Ingenii temeritas quàm hic impia. Loca Theologica, unde veritas doctrinæ Chriſtianæ petenda. Traditionis auctoritas, ac neceſſitas in Eccleſia Dei. Quibus principiis nitatur. Laus Theologiæ dogmaticæ, & Petavii V. Cl. quem Pheréponus pluris facere debuit.* 86

XII. *Ingeniorum libertas quàm ab hominibus expedita. Doctrina ad Chriſtianum pertinens triplex. Semper conſiderandum, revelatane an ſecus à Deo ſuerit. Dogmatis exiſtentia, ſignificatio, & rationes diſtinguendæ. Quid in his liceat aut non liceat hominum ingeniis.* 97

XIII. *Pericula imminentia ſcribentibus de auctoritate. Inſipiens zelus quid pariat, & quàm laudanda hic ſit prudens moderatio. Eccleſia nunquam fallax in dogmatibus ſanciendis, duplici conditione poſitâ. Dogmatum, quæ alia in mera contemplatione verſantur, alia actionem quoque exigunt. Quæ poſſint aut non poſſint, quæ etiam debeant aut non debeant ſtatui. Quid de quæſtione, utrum Angeli corporei, an incorporei ſint, credendum, & an eam Concilia ſuſtulerint. Inter rationes dogmatum quædam ſemper ad fidem ſpectant, ſed non omnes. Quid hic liceat ingeniis.* 103

XIV. *Jus Eccleſiæ in dogmatis ſtabiliendis à Pheréponi objectionibus liberatum. Falſum eſt, ipſum à S. Auguſtino negari.*

gari. Multitudo in Conciliis Catholicorum quæ commoda pariat. Factionis nomen iniqui adſcriptum legitimis Conciliis Catholicæ Eccleſiæ. Non crimen, ſed laus ac neceſſitas ibi eſt judicare ex anticipatis opinionibus, hoc eſt, ſecundùm Traditionem. Vindicatum nonnullorum dicteriis Concilium Tridentinum. 117

XV. *Diſciplina Eccleſiaſtica quid complectatur. Qui differat à dogmate. Quæ in diſciplina mutare, aut non mutare, ſequi, aut non ſequi liceat. Conſonare in dogmatibus omninò neceſſarium. Varietas in Diſciplinæ rebus modò laudanda, modò toleranda. Conſtantia Catholicorum in Hæreſi Iconoclaſtica damnanda commendatur, à Calviniano quodam injuſtè ſubſannata. Quid Eccleſia egerit, eique ſit agendum in diſsidiis de Diſciplina. Contra Phereponum oſtenditur auctoritas Eccleſiæ in præcipiendis nonnullis ad Diſciplinam ſpectantibus ſub pœna peccati.* 126

XVI. *De Hiſtoria Religionis agitur. Ejus duplex genus, Hiſtoria Divina, & Hiſtoria Eccleſiaſtica. Illa divinam Fidem à Chriſtianis exigit. Quid juris illic ſit hominum ingenium. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ documentis non debetur ſupranaturalis Fides. Rationes iſtius ſententiæ. Eccleſia non immunis à periculo errandi in judicandis perſonis, Auctoribus Librorum dignoſcendis, in Sanctorum geſtis narrandis, & in aliis id genus factis.*

XVII. *Ut aliquod factum fide ſupranaturali credendum ſtatuatur, quæ conditiones requirantur. Revelationes quarumdam ſanctarum mulierum ad fidem non ſpectant; neque Canonizatio Sanctorum. Traditio neceſſaria, ut aliquod factum tanquam pertinens ad fidem decernatur. An immaculatam Deiparæ Conceptionem ſtatuere poſſit Eccleſia.* 148

XVIII. *An immediatè, an potius mediatè ad fidem referendum ſit credere, hunc vel illum eſſe Romanum Pontificem. Etiamſi ponas, hoc & alia hujuſmodi facta non eſſe credenda fide ſupranaturali, hæc tamen fides debetur Decretis Conciiorum & Apoſtolicæ Sedis in materia fidei & morum ab Ec-*

 cleſia

Digitized by Google

cleſia receptis. Evidentia naturalis & moralis in his caſibus ſufficit & nos credere ac obtemperare cogit. Quàm temerarium & pœnâ dignum revocare in dubium ejus generis effata. 155

XIX in Judiciis Eccleſiaſticis tria conſideranda, nempe doctrina, perſona ſeu intentio docentis, & voces ſeu phraſes, quibus doctrina exprimitur. In doctrina damnanda ſive probanda eſt ab errore immunis Eccleſia: non autem in judiciis de perſona. An Judicia Eccleſiaſtica de vocibus ſupranaturalem fidem poſtulent? Tum ſolùm poſtulare videntur cùm ad fidei doctrinam aut ſtatuendam aut defendendam neceſſarius eſt in Eccleſia Spiritus ſancti afflatus, & cùm de Traditione colligenda è Patribus & de ſenſibus Canonum, & de verſionibus ſacræ Scripturæ agitur. 165

XX. Eccleſiaſtica Judicia de privatorum hominum Libris, verbis & ſenſibus ad fidem pertinere minime videntur. Et tamen doctrina in iis aut probata, aut damnata fide ſupernaturali credenda. Ipſa illa judicia quandonam certa quoque credenda ſint, quanquam non aſſenſu divinæ fidei. Quid hic diſciplina præcipiat. In Janſenii cauſa quid præſtandum. 178

XXI. In profanis Artibus, Scientiis ac Hiſtoriis magna ingeniorum libertas. Sed & hæc ab Eccleſia tunc coercenda, cùm per eas ſententias aliqua ex parte læditur fidei doctrina, aut ſacroſancta Literæ erroris ſive mendacii ſuſpicione aſperguntur. Sublato hujuſmodi periculo, liberum eſt in his ſentire quæ velis. Regulæ nonnullæ in hanc rem. Sacrarum Literarum ſcopus. Quandonam ſit, aut non ſit, evidens Scripturæ mens in rebus ad ſalutem minime ſpectantibus. 187

XXII. An Scripturis ſanctis repugnet Aſtronomorum ſententia de telluris motu diurno. Sacræ Literæ phraſibus vulgi ac figuris uſæ, ut verum quodpiam ſignificarent. Exempla in eam rem. Quid totus orbis in Scripturis, extre-

tremitates cœlorum ſolem incaleſcere, aliaque ad cœlos, ſtellas ac ſolem ſpectantia. Quando proprium literalem ſenſum in Scripturis ſacris retinere cogamur, & quando ſit locus aliis interpretationibus. 199

XXIII. Traditio & evidentia exiguntur, ut in his ad ſalutem minime ſpectantibus documentis ſtatuatur, aliquid certò eſſe credendum. Concilii Tridentini laudandum de ratione interpretandi præceptum. Evidentia in his rarò deſiderata. Quid de Antipodum exiſtentia olim creditum, & quàm prudenter ab ea quæſtione dirimenda abſtinuerit Eccleſia. Scriptura non detorquenda ad profanorum dogmatum tutelam. Petavii & ſancti Thomæ ſententia de ſtylo Moyſis. 212

XXIV. S. Auguſtini conſilia, cùm de interpretandis ſacris Scripturis agitur in rebus phyſicis, aſtronomicis, & aliis id genus. Quid S. Thomas hic ſentiat. Quam literis ſacris nonnulli abutantur ad ſuas privatas opiniones tuendas. Judicum Eccleſiaſticorum munus in hiſce controverſiis, & quæ eruditio in ipſis exigatur. Carteſii de naturâ corporis doctrina an fidei dogmatibus adverſetur. 223

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Amplum jus ingeniis in prodenda ac annuntianda veritate: ſed ita ut juſtitia, caritas & prudentia nunquam ab iſto jure lædantur. Hæretici in ſuæ Religionis doctrina annuntianda, quippe de illius veritate non ſatis certi, & ſine miſſione legitima Evangelium prædicantes, juſtitia deſunt. 233

II. Caritas quando obſtet, ne veritas evulgetur: ejus leges. An, & quando, & quomodo evulgandi errores Procerum Eccleſiaſticorum. An aliorum errores & vitia, & quando id liceat aut neceſſe ſit. Abuſus, & exceſſus in hiſce. An mordacitas ſtyli ferenda. 259

III. *Calumniæ nunquam adhibendæ. Convitiis temperandum. Non imputandi errores niſi bene perſpecti. Placidè quantùm fieri poteſt pugnandum, & quando ſecus deceat. In confutandis erroribus ad Religionem minimè ſpectantibus quæ libertas ingeniis. Caritati ac moderationi & hic ſuus eſſe debet locus. Quando vitia morum adverſariis objicere liceat.* 45

IV. *Errores in ſanctorum Patrum ſcriptis non diſſimulandi; ſed modeſtè agendum, & excuſandi errantes. Prudentiæ in proferenda veritate, & erroribus inſectandis habenda ratio. Quot modis in hanc virtutem peccetur. Scandalis ac ſeditionibus non apperiendus aditus.* 252

V. *Quando, & quibus de cauſis, damnare & configere Libros, Paſtoribus Eccleſiæ liceat, aut ſit opus. Et hic à Cenſoribus Eccleſiaſticis in juſtitiam peccari poteſt, in caritatem, & in prudentiam. Qui abuſus & exceſſus in ſalutari iſta auctoritate exercenda fugiendi ſint.* 58

VI. *Prudentiæ cõſilia ad Eccleſiaſticos Cenſores. A novitate vocum & ſententiarum timendum, ſed non omnia nova aut noviter dicta damnanda. Quàm neceſſarum ſuperſtitionis faciẽ habere perſpectam, ejuſq; exceſſus prodere. An laudandum votũ ſanguinis profundendi pro tuenda immaculata Beatæ Virginis Conceptione. Scrupuli cavillationes, & aſperitas à ſacris Cenſoribus abſutura. Bona procuranda, ſed ita ut mala graviora non inde fluant Sanctorum Patrum Libri non mutilandi, cùm per typos evulgantur. Cavei hac de re accuſatio repulſa. Qui, & quando vitia Eccleſiaſticorum literis conſignare deceat.* 66

VIII. *An ad Religionem veram compellere quemquam ſummis Magiſtratibus liceat. Id jus Eccleſiæ ac Regibus in Hæreticos. Pherepon hac de cauſa in S. Auguſtinũ ira, ac injuſta cenſura. Manifeſta Religio aliqua evidenter credibilis danda eſt, atq; hæc eſt catholica. Donatiſtæ phreneticis comparati neq; injuria, à S. Auguſtino. Plerique ex iis non ficto animo catholicam communionẽ amplexi. Legum* terror

terror rationibus additus ſlaude ac utilitate nõ caret. Exemplũ Dei hanc in rem juſte ab Auguſtino adhibitũ. 278

VIII. Hæretici Catholicam Eccleſiam perſequuntur. Auguſtinus & Africani Epiſcopi perperam inſimulati impotentiæ atque ambitionis in Donatiſtas. Eorum chriſtiana caritas, ut ſchiſmati finis fieret. Cur mortis Donatiſtæ quidam damnati. An, & quomodo piam Dei ſeveritatem cum Afrorum Epiſcoporum ſeveritate compoſuerit Auguſtinus. Non omnis perſecutio mala. Recte id ab eodem Auguſtino demonſtratum variis Literarum ſacrarum documentis & exemplis. 288

IX. Quod Auguſtinus de Rogatiſtis, & de vexatione Hæreticorum, ſententiâ mutatâ ſcripſit, non immitem eũ, neque Protheum arguit. Hipponenſis civitas credenda eſt non ficto animo ſchiſma ejuraſſe. Inter Catholicorum & Muhammedanorũ perſecutiones quàm magna differentia. Sententia Auguſtini de divina gratia non excludit utilitatem pœnarũ in Hæreticos pertinaces. Nullo jure culpatus à Pherepono Auguſtinus, culpans Donatiſtam aſſerentem, neminem cogendum eſſe ad bonum 301

X. Non infamatur ab Auguſtino Eccleſia trium priorum ſeculorum, neq; eidem affingitur aliqua diſſimulatio iniqua. Non omnis perſecutio improbata à veteribus Chriſtianis, ſed ea tantũ quæ pro errore contra veritatẽ exercebatur. Neq; Ethnici criminari jure potuiſſent pœnas moderatas in averſos à Religione vera ſtatutas. Auguſtinus erga Manichæos mitis, ſed non idcirco incuſandus, quòd ſalutares Hæreticorum vexationes deinde laudarit. 310

XI. Donatiſtæ multorũ criminum rei, & puniendi quoque ex legibus politicis. Probata ab ipſo Deo moderata Hæreticorum vexatio. Inepta declamatiuncula à Pherepono afficta veteribus Chriſtianis, qui perſecutionem ethnicam ideo injuſtam vocabãt quia pro impietate erat. Maxima diſparitas inter Ethnicos & Catholicos Imperatores, quod eſt ad vexationem ſubjectæ gentis. Ad ſummas poteſtates perti-

pertinet coërcere impios,& à vera Religione devios. 316

XII. Poſito in Regibus jure vexandi impios,nulla Chriſtianis aut ſaltem Catholicis imminere debent incommoda apud Ethnicos & Muhammedanos. Religio Chriſti manifeſtè vera, eamque tueri pertinet etiam ad Reges. Pœnæ utiles,ut Hæretici in veritatem attentius oculos convertant. Quam ſanctitatem in ſubjectis exigere debeant civiles Leges. Diſſenſiones in Religione politico quoque regimini noxiæ. Lactantii locus explicatus. Eccleſia Catholica aperta veritas, & potiſſimum in controverſia cum Donatiſtis. 325

XIII. In Judæos,Ethnicos,& Muhammedanos minus aſpere agendum Catholicis Regibus.Rigidius habere Hæreticos fas eſt: & in eos tamen ſpiritus lenitatis eſt retinendus. Hæretici meri,Hæretici ſeditioſi. Poſtremi pœnis gravibus digni, ſed non fingenda crimina. Hæreticos alienæ ditioni ſubditos plectere non licet. Errantes alii pertinaces,alii dociles. Inter primos mitius habendi,qui cum lacte biberunt errorem, quàm qui ultrò errorem adſciverunt. Attamen & hîc audiendæ caritatis voces,& miſericordiæ futurus locus. In errantes non pertinaces clementiùs agendum. Quæ regulæ Judicibus Catholicis hîc futuræ. 335.

XIV. Zelus ineruditus,& nimia licentia in fidei & diſciplinæ negotiis. Quos peſſimos effectus ille pariat. Scientia & prudentia ſi à zelo abſint,quid ſequi inde poſſit. Zelus ineruditus Novatorum. Quomodo regendus zelus. Licentia opinandi in Religione nimis nocet. Ejus exempla in Phereponi Libris.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quid de Peccato originali ſentiant Remonſtrantes ac Sociniani. Nulla injuſtitia Deo tribuitur per Catholicorum ſententiam de originali Peccato. Cùm potuerit Deus ab initio condere naturam hominis talem,qualis nunc naſcitur, potuit etiam ex Adami peccato ſinere mala in hominum genus effluere.

Digitized by Google

re. *Auctoritate ſacrarum Literarum confirmatur dogma de originali peccato. Apoſtoli locus ab interpretatione Pherepo-ni vindicatus.* pag. 359

II. *Infantes causâ unius Adami peccantis, Baptiſmus eis neceſſarius ex Traditione probatur. Antiquitas Sponſorum pro infantibus in Baptiſmo contra Phereponum oſtenditur auctoritate Tertulliani, qui neceſsitatem Pædobaptiſmi agnovit: & in veteri Lege parvulis proſelytis adhibitus Baptiſmus, & varia apud Judæos baptiſmatum genera. S. Cyprianus peccati originalis aſſertor perperam à Pherepono negatus.* 367

III. *Concupiſcentia non bonum, ſed malum homini. Quid Libidinis generale nomen interdum apud Auguſtinum ſonet. Libido carnis, qualis nunc eſt, malum pœnæ, & non peccatum proprium eſt. Non venit ab inſtitutione naturæ innocentis, ſed peccati primi pœna fuit. Differt ab appetentia cibi & potûs. Pernicioſa homini, ut is animal rationale eſt. Pudor nuditatis in ſtatu naturæ innocentis locum non habuit, ſed poſt Adami lapſum effluxit, & inſitus nunc omnium naturæ. Fuiſſet & in terreſtri Paradiſo voluptas carnis, ſed non inimica & infeſta rationi. Niſi Adamus peccâſſet, neque Libidini turbidæ, neque aliis malis obnoxium foret genus humanum Scripturâ teſte.* 379

IV. *Phereponus Pelagii Patronus. Epiſcopi Catholici propter damnatum Pelagium perperam injuſtitiæ accuſati. Liberum arbitrium revera à Pelagianis inflatum. De qua gratia Dei diſputaretur inter Catholicos atque Pelagium. Poſt Auguſtinum non adoptatæ in Eccleſia Catholica Pelagii opiniones. Conſectaria quædam dura à Pelagianis & à Pherepono objecta, minimè admiſſa in Auguſtiniana Sententia de gratia & libero arbitrio. Quam gratiam negaret Pelagius. Africani Patres à Semipelagianiſmi nota liberati, & æquitas in eorum judiciis contra Pelagium ac Cæleſtium minimè deſiderata.* 397

V. *Quæ gratia Dei negaretur à Pelagio, olim notiſſimum. Gratia Calviniana ac neceſſitans ubique à Pherepono perperam affictа Auguſtino & Patribus Carthaginenſibus. Apoſtoli loca varia ab iis Patribus rectè adhibita contra impia Pelagii dogmata. Phereponi interpretationes variæ, & accuſationes repelluntur. Evangelii nuda prædicatio eſt quidem gratia, ſed non gratia, de qua S. Paulus & Patres Africani agebant.* 407

VI. *Orandi quidem Dei utilitas in hominibus, ſed non neceſſitas à Pelagio admiſſa. Aliæ Pherepont accuſationes confutantur. Non omnia Dona Evangelica Pelagius confeſſus eſt. Gratia Dei, cùm opponitur Legi in ſacris Literis, non ſemper Evangelium merum ſignificat, ut Phereponus & Hammondus putant, ſed etiam beneficia Dei per Evangelium collata, & præſertim fidem & caritatem. Deum impoſſibilia non jubere, Auguſtini & Eccleſiæ Catholicæ ſententia eſt. Pelagiani inimici gratiæ Dei.* 419

VII *Voluntarium & liberum Phereponus putat ab Auguſtino confuſa. Quid ſint libertas eſſentialis, & libertas accidentalis humani arbitrii. Quid neceſſitas eſſentialis, quid accidentalis, quid antecedens, quid conſequens. Arbitrium hominum ſemper liberum ab antecedenti neceſſitate, ſemper præditum eſſentiali libertate. In hac ſententia ſemper fuit S. Auguſtinus, uti ex multis ejus locis oſtenditur. Nulla in Deo antecedens neceſſitas, eique etiam tributa à quibuſdam libertas in amore ſui atque virtutis. Præſcientia futurorum in Deo non tollit arbitrium homini liberum. Deus prævidet, libere homines peccatores. Idem in Deo ſunt præteritum, præſens ac futurum; quare ejus præſcientia non lædit arbitrii humani libertatem.* 432

VIII. *S. Auguſtinus cùm deperditum in homine liberum Arbitrium ait, ſolùm de Libertate accidentali & conſequente ad bonum faciendum loquitur, neque eſſentialem, ſeu antecedentem neceſſitatem ad malum homini tribuit, ſed accidentalem & conſequentem. Quid ſint hæ neceſſitates ac libertates, oſtenditur. Afferuntur & explicantur varia Auguſtini loca. De libertate*

Digitized by Google

tate tantùm accidentali ad bonum inter Catholicos & Pelagianos lis ſuit. Poteſtas, non Libertas operandi boni in hominibus deperdita poſt peccatum Adami. Quæ ſimilitudo intercedat inter hominem ſactum in bello ſervum, & hominem peccato addictum. Arbitrium tunc liberum ad Bonum, ſi liberetur à Deo. Correptio ac Oratio utiles ac neceſſariæ in ſententia quoque Auguſtini. 447

IX. Sententia de deſcenſu Chriſti ad Inferos ad fidem ſpectans à Pherepono improbata. Quid hîc certò credendum, quid ſit dubium. Pſalmi XV. locus à Sancto Petro laudatus, Catholicorum ſententiam probat. Pherepomus eum Pſalmi locum abſonè interpretatus. Davidis verba ad unum Chriſtum referenda. Vox Hebraïca Scehol Inferos etiam, & loca animarum poſt corporis mortem ſignificat. Talem ejus eſſe ſenſum in Pſalmo laudato vox Græca Hades à Sancto Luca adhibita evincit. Alia argumenta in hanc rem. Sententia Hebræorum de infernis animarum ſedibus, & Scehol, eodem ſenſu ab Interprete Syriaco uſurpata. 461

X. Non Apoſtolicâ Fide, ſed Apoſtolicâ Sede legendum in quodam Auguſtini loco. Phereponi ſomnia varia hic nobis obtruſa. Alia Auctoritas veritatis, alia juriſdictionis. Quid commune cum cæteris Eccleſiis Catholicis, quid ſuprà cæteras habeat Romana Eccleſia. Eo in loco Auguſtinus à Pherepono minimè intellectus. Epiſcoporum continuata ſucceſsio in Cathedra Romana inter Notas veræ Eccleſiæ computata, ab Auguſtino aliíſque vetuſtioribus ſanctis Patribus. Tertullianus ejuſdem ſententiæ fuit. Conſenſus & judicium Chriſtiani Populi ſuum quoque robur habet in controverſiis de Religione. 477

XI. Miracula in Eccleſia Dei patrata, à Novatoribus & à Pherepono in dubium revocantur. Exceſſus prudenti Catholico fugiendi in iis credendis. Miracula quædam certiſsima fuere. Stratagemata & fucus iniquè appellantur à Pherepono, cujus Sophiſmata in hanc rem exploduntur. Auguſtinus mendacio inſenſiſsimus; & Phereponi calumnia contrarium inſinuantis. Nulla impoſturæ nota, & omnia veritatis ſigna con-

confluunt in miracula ab Ambroſio & Auguſtino narrata. Cœci Mediolanenſis ſanati ad Reliquias ſanctorum Gervaſii & Protaſii Hiſtoria expeditur ab aëreis Pherepont objectionibus. Ambroſius in ea narratione fide digniſſimus. Dæmones ab obſeſſis corporibus revera depulſi. Pherepomus ſacras Literas per latus oppugnat. 486

XII. Cultus religioſus Angelis ac beatis hominibus adhibitus, contra Pherepomum defenditur. Superſtitionis ſuſpicio fruſtra hic à Pherepono injecta. Preces pro piis defunctis anctoritate Scripturæ ſanctæ, Traditioniſque nituntur. Non aliter ſentit S Cyprianus, cui Tertullianus præivit. Votum ſacræ virginitatis præſtantius, quàm nuptiæ. Phereponi objectiones repelluntur. Apoſtoli apertum ſuffragium pro Dogmate iſto. 501

XIII. Mendacium ſemper malum: ejus patrocinium à Pherepono ſuſceptum, poſitis quibuſdam circumſtantiis; ſed ſine ullâ validâ ratione. Joci nonnulli è mendaciorum familia excludendi. Phereponi calumnia dictitantis, Patres tam rigidè fuiſſe infenſos mendacio, ut ipſi poſtea tutiùs mentirentur. 511

XIV. Criticæ artis abuſus non unus, & Pherepono potiſſimum familiaris. Quæ de converſione ſua ad Deum Auguſtinus narrat, ſuperſtitionis ac fraudis iniq; inſimulantur ab eodem Cenſore. Depulſa ab Auguſtino inanis gloriæ quæſitæ accuſatio, à Pherepono in ipſum concinnata propter Libros Confeſſionũ. Ejuſdem Auguſtini virtutes & ſanctitas variis Phereponi calumniis & ſophiſmatibus erepta. In Mallio Theodoro laudãdo an exceſſerit Auguſtinus. Sinceritas ejuſdem vindicata ab objectionibus Phereponi. Non in controverſia cum S. Hieronymo, non in cooptatione ſua ad Epiſcopatum, non in declarando Heraclio ſucceſſore ſuo, Auguſtinus peccavit. 516

XV. Nimius ſui amor falsò objectus à Pherepono S. Auguſtino, cujus conatus in Pelagiũ ejuſq; errores fluxerunt ab amore unius Catholicæ Veritatis. Ficta manſuetudo in hæreticos perperã affictaCatholicis Epiſcopis. Comprimenda

Digitized by Google

dæ Hæreſes vix ortæ, neque erroribus concedendus nimia lenitate aditus. Convicia & contumeliæ variæ Phereponi in S. *Auguſtinum. Quàm hæc hominem chriſtianum & criticum dedeceant. Quanto contemptu feratur ille in omnes ſanctos Patres.* 534

XVI. *In ſanctorum Patrum Libris diſtinguenda Scientia dogmatum, Legumque moralium, ac pietatis, à Parergis, hoc eſt, à rebus ad artes profanas ſpectantibus. In his nihil intereſt, an interdum defecerit, imperitique deprehendantur. At in illa præcipua Scientia eximii fuere, ideoque veneratione ac laude digni. Allegoricæ ſacrarum Literarum interpretationes non vituperandæ apud ſanctos Patres, & quando utiles illæ aut inutiles ſint. Phereponi artes, ut Auguſtinum deprimat. Lumen à Cœlo rogandum, ut veritas capiatur, errores evitentur. Hebraicæ Linguæ peritia an & ubi neceſſaria Theologiæ cultoribus. Druſii & Grotii exempla Catholicæ Religionis veritatem confirmant.* 544

XVII. *An loquentibus de divinis rebus novas voces adhibere liceat, ac licuerit. Neceſſitate compulſi Eccleſiæ Patres tot quæſtiones pertractarunt, ut ab Hæreticorum technis ac erroribus Catholicam veritatem liberarent. Injuſta criminatio Phereponi contra Auguſtinum tribuentem Monicæ matri ſuæ quædam in Libris de Ordine. Iidem Libri à Pherepono nullo jure contempti. Ad Ordinem politicum ſpectat in Urbibus tolerare Meretrices, ne pejora mala ſubſequantur. A Fanatiſmo ac Enthuſiaſmo quàm longè abſuerit Auguſtinus. Quibuſdam hominibus non neceſſarii Codices ſacræ Scripturæ. Sapientiæ Liber cur Salomoni adſcriptus, & nihilominus Canonicus reputatus. Auguſtinus de Gothis agens in vaſtationes Urbis nihil diſſimulavit. Alia Phereponi tela in ſanctum Auguſtinum repulſa.* 557

F I N I S.

Approbatio Regii Cenſoris.

EX Mandato Illuſtriſſimi Galliæ Cancellarii, Ego ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, ac librorum Cenſor Regius, legi & exploravi diligenter libros tres ſub nomine *Lamindi Pritanii de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio, ubi quæ jura, quæ fræna futura ſint homini Chriſtiano in inquirenda & tradenda veritate, oſtenditur; & ſanctus Auguſtinus vindicatur à multiplici cenſura Joannis Phereponi*: Opus, meo quidem judicio, eximium ac multùm utilitate multiplici commendandum; in quo ſuſpexerint æqui omnes rerum æſtimatores literatiſſimi & candidiſſimi Scriptoris ſincerum veritatis ac Religionis amorem, variam & ſummam eruditionem cum modeſtiâ ſummâ, gravem ſermonis elegantiam, lucidum rerum tractandarum ordinem, meditatam in tradendis ſcribendi, ut par eſt & incumbit hominibus chriſtianis, legibus ſapientiam, exquiſitæ & temperatæ Criticæ ſpecimen, & exemplum omnibus probandum, nervoſæ Cenſuræ laudabilem æquitatem adverſus Cenſorem iniquum, & Criticum non ſatis temperantem, &c. Quapropter luce & laude publicâ digniſſimum mihi videtur. Datum Pariſiis, die decimâ-nonâ Junii 1713.

ANQUETIL.

DE

DE

INGENIORUM MODERATIONE IN RELIGIONIS NEGOTIO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Veri & Boni præſtantiſſima natura. Nullum Verum eſt, quod quærere ſuapte naturâ non liceat, & diſcere non ſit honeſtum. Quæ ſententia ab objectionibus liberatur, & ſancti Auguſtini auctoritate firmatur. Veritatum duplex genus: alterum ſcientiam, alterum perſuaſionem parit. Ordo quidam inter veritates. Quæ potiſſimùm ad Religionem ſpectant, inveſtigandæ.

DE Vero ac veritate locuturis in hoc opere, nulla nobis erit quæſtio de veritate illa, quæ inter morum virtutes connumerata, juſtitiæ in hominum commercio retinendæ plurimùm conducit: Veracitatem peculiari & commodiori nomine appellamus; eáque ſita eſt in concordia enuntiationis externæ cum interno judicio noſtro, nempe cùm lingua menti reſpondet, & fallere nolumus alios, quamvis fortaſſe nos in-

Digitized by Google

ſcii vel judicando, vel loquendo fallamur. Aliorum ſit de hujuſmodi virtute diſputare. Nos illius uſum retinentes, de vero agimus, ſive de veritate, quæ rebus ipſis ineſt, & Philoſophiæ, Theologiæ, Eruditionis, aliarúmque Scientiarum & Artium eſt ſcopus. Atque de iſto vero, cujus ditio latiſſimè patet, ità hìc agendum eſt nobis, ut omiſſis ſupervacaneis utiliora ſolùm ac neceſſaria tractentur. Erit igitur nobis iſta diviſio. Primò inveſtigabimus, quæ futura ſint jura & frena quærentibus verum; tum quæ tradentibus, ſive alios veritatem docentibus.

Quærere autem verum alicujus rei, nihil aliud eſt ex eruditorum ſententia, quàm utrùm, & qualis aliqua res ſit, inveſtigare. Verum invenire, nihil itidem aliud eſt, quàm utrùm, & qualis ſit aliqua res, deprehendere. Quorum quidem primum nobis ratione utentibus unicè conſentaneum eſt, alterum verò planè jucundum. Imò tota ratio beatæ vitæ ac felicitatis, ad quam à natura inſtituti, volentes nolentéſq; contendimus, & per ſolam Chriſtianam Fidem pervenire poſſumus, in cognitione veri, atque amore boni conſiſtit. Bonum enim & verum in Deo veluti in ſuo centro exiſtunt, ſive ut congruentiùs loquamur, Deus eſt ipſa veritas ac bonitas, quippe de ipſo ait: *Ego ſum via, veritas, & vita*, Joan XIV. 6. Cùm autem æterna Dei clementia mundum condere voluerit, hominémque conſtituere tam admirabilis operæ ſpectatorem, verum quoque, & bonum, effudit in cunctas creaturas, ut quidquid eſſet, verum eſſet; & quidquid verum eſſet, ſaltem quatenus eſt verum, bonum etiam eſſet. Deinde humanos animos ſtimulis ingenitis ad quærendum verum & bonum incitavit: ac proinde quemadmodum in illud motu perpetuo intellectus fertur, ità & in iſtud humana voluntas. Hinc Tullius lib. I. Tuſcul Quæſt. *Ineſt*, inquit, *mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi*; & lib I. Offic. *In primis eſt hominis propria veri inquiſitio atque inveſtigatio*. Quod cùm invenire nobis contingit ſecundùm regulas à Chriſtiana Fide præſcriptas, tunc in terris felicitatem illam nobis inchoamus, quæ ſumma perfecta, atque æternùm duratura aliquando ſperatur in cœlis.

Inquirendum igitur eſſe verum, & natura ſuadet, & ratio docet. Nullum autem verum eſſe arbitror in tanta varietate humanarum divinarúmq; rerum, quod generatim loquendo quærere nobis non liceat, & invenire non ſit honeſtum. Paradoxum id primâ fronte nonnullis fortè videatur animo volventibus, quæ & quanta mala paſſim
fluant

fluant è notitia quarumdam veritatum. Sed non ſecùs ſtatuendum oſtendit veritatis ipſius natura. Nam quodcumque verum eſt, ſi mente percipiatur, intelligentiam vel ſcientiam parit in nobis, animúmque noſtrum, luce ſuâ modò parum, modò multum, ſed ſemper aliquantulum, illuſtrat: quod certè homini ſemper eſt optimum. Et quis amabo neget, ignorantiam inter mala pernicioſa referendam? At iſtud malum, cujus nemo eſt expers, ab una intelligentia ac ſcientia depellitur, hoc eſt à veri cognitione. Proinde neceſſe eſt, veritas ejúſque poſſeſſio, bona ſint maximè expetenda. Et ſanè quando nobis contingunt, ad ſapientiam inſtruunt animum, propioréſque nos faciunt (quantùm licet poſt tantam primi parentis ruinam) illi beatiſſimæ conditioni & mentis vivacitati, quam & nos conſecuturi fuiſſemus, niſi unus ille peccâſſet. Quod etiam evidentiùs elucet ex eorum beatitate, quos cœlo Deus donavit. Quidquid enim mortalium genus intellectu conſequi fruſtra cupit, immortalibus iis ſpiritibus apertum eſt in Deo, beatámque illorum ſortem mirum in modum auget ac perficit. Neque miſeræ, ut eſt apud nos, ignorantiæ, ullus eſſe aut excogitari locus poteſt in tranquilliſſimo illo ſcientiæ & veritatis Regno.

Non defuturos tamen puto, qui hac in re hæſitent, nobiſque occurrant his fortaſſe rationibus. Bona quoque ſunt omnia, quæ ſunt; & boni amor non Deo ſolùm naturalis, ſed etiam homini ipſi eſt inſitus, noſtrámque potiſſimùm in æternæ vitæ felicitatem conſtituet. Nihilominus multa ſunt delectabilia, atque utilia bona, quæ amare homini in terris ſit nefas, & fugere atque execrari honeſtiſſimum. Viciſſim igitur veritates occurrere poſſunt, imò etiam occurrunt, rectis probéque inſtructis mentibus omninò evitandæ, utpote quæ nihil aliud, ſi percipiantur, adferre poſſint, quàm perniciem animis ad ſublimiora tendentibus. Et cui, quæſo, tam parum cordi ſit pudor, ut honeſtum cenſeat, tot vera facta, ac probra diſcere, quæ umquam peregit ingenioſiſſima in vitiis hominum quorumdam luxuria? Malè procul dubio ſecum ageret, qui facultate oblatâ noſcendi, quæcunque in ſeceſſu Capreenſi abs Tiberio Cæſare perpetrata fuerunt, menti ſuæ committere vellet, neque averſaretur noſcere *ſellariam ſedem arcanarum libidinum*, ut Suetonii verbis utar, & *monſtroſos concubitus à ſpintriis* excogitatos, & omne genus libidinis, in quod ſe effudit impuriſſimus ille Princeps. Non eſſet hoc illuſtrare, ſed fœdare legentis intellectum, & quiſq; bonus

nefandæ hujus veritatis potiùs ignorantiam quàm ſcientiam ſibi optet. Ad hæc, multa quidem mendacia,& fallaciæ innumeræ, ſed aliquæ tamen fortaſſis veritates in magica arte veneficiorum cantionúmque magiſtra habentur. Eas verò diſcere, imò vel attingere, juſtiſſimis legibus vetantur homines: quod & de aliis hujuſmodi rebus dicendum ſuccurrit. Itaque nihil minus verum videatur,quàm quòd nulla ſit veritas, ad cujus inquiſitionem convertere animum, ad cujus inventionem lætari nobis non liceat.

Sed hìc diſtinguamus oportet jura veri & boni, quantùm ſpectat ad humanam naturam, & ad honeſtæ felicitatis conſecutionem. Veri commercium cum ſolo intellectu noſtro eſſe poteſt; boni verò cum voluntate, ut cum Peripateticis loquar. Ejus natura poſcit,ut intelligatur; iſtius,ut ametur. Et quanquam intelligamus ipſum bonum, tunc etiam non aliud, quàm verum intelligimus, h e. animo percipimus veritatem alicujus rei, prout verè eſt aut honeſta, aut utilis, aut delectabilis. Rurſus amamus verum, ſed illud amamus ſub ſpecie boni, & prout bonum eſt. Cùm igitur naturale ſit homini verum intelligere, & bonum appetere, ſeu amare, nullum eſt verum, quod noſcere; nullum eſt bonum, quod amare ex natura ſua nobis non liceat. Sed poſtquam in calamitatem maximam, quam nemo non ſentit, conjecta eſt hominis natura, tum factum eſt, ut duo turbarent, perverteréntque ſæpiſſimè nobilem curſum intellectûs & voluntatis noſtræ. Iſta duo ſunt, falſum & malum, quorum uno intellectus, ut ità dicam, corrumpitur, ac læditur, altero voluntas. E falſo in intellectum error manat, cùm nempe vera pro falſis, falſa pro veris accipimus, & credimus. E malo in voluntatem profluit peccatum,cùm videlicet bonum tanquam malum fugimus, malum verò tanquam bonum amplectimur, & amamus. At ſicuti affirmare cogimur, cum notitia veri nunquam mentis adeſſe errorem, ità nihil dubitandum eſt, quin & inde abeſſe poſſit voluntatis peccatum. Nam quando alicujus malæ, ac inhoneſtæ rei veritatem diſcimus, non continuò malum eligimus, ſive diligimus; ſed illius rei veritatem, ejúſque veritatis cognitionem amare in nobis poſſumus, ſimúlque rei malitiam, deformitatem, ac vitioſitatem voluntate averſari & odiſſe in aliis. Quare non ex natura ſua verum nocere poteſt, ſed ex pravitate tantùm hominis bono abutentis; atque eâ ratione,& nos concedimus, eſſe poſſe quaſdam circumſtantias, quibus poſitis nefas ſit homini quaſdam veritates perquirere,

cùm

cùm videlicet iſtæ in pravum finem perquiruntur, aut veriſimile periculum ſubeſt, ne infirmitatem animi diſcentis percepta veritas ad malum trahat, aut etiam ſolicitet. Ità & bona ſunt, quæ poſitis quibuſdam circumſtantiis malè ab homine eliguntur, & rectè à ratione vetantur. At id non accidit, quòd verum & bonum mala unquam ſint ex natura ſua, ſed quòd concupiſcentia noſtra iiſdem abuti poſſit, aut abutatur contra ordinem à Deo conſtitutum, & à ratione, ligibúſque nobis ſignificatum.

Nihil eſt ergo, quòd libidinoſæ voluptatis flagitia in medium advocemus, ut ex eorum fœdiſſimo aſpectu veritatem interdum ſordere oſtendamus. Certè iſta curioſè rimari aut periculum, aut crimen erit. At ne in iſtis quidem mala dicenda eſt ſpectata in ſe veritas, quæ ſemper honeſta, ſempérque utilis eſſe poteſt, ſive ſit, & cognoſcatur in vitiis, & ab iis fugiamus, ſive in rectis operibus, ut ad ea imitanda feſtinemus. Quippe in his, utì & in cognitione cujuſque aliûs rei nefariæ flagitioſæque, duo attendenda ſunt, verum, & malum. Iſtud, quia voluntati perniciosum, perpetuò abhorrendum, nobíſque evitandum: illud, quia erudiendo intellectum ſcientiam parit, nunquam, ſi ſpectetur in ſe, improbandum. Quanquam igitur nemini auctor ſim, ut ſine diſcrimine & moderatione in cujuſcumque veri inquiſitionem incumbat, attamen affirmandum reor, quidquid mali nonnunquam importat cognita veritas, non veri naturæ optimæ tribuendum eſſe, ſed corruptioni humanæ naturæ, quæ ſibi parum cavens medicinas in venena convertit. Idque exemplis etiam conſtat. Nam ſi libidinis, quam de nobis oppoſuimus, arcana cognoſcere nefas eſſet, ratióque interdiceret, peſſimè profectò de nobis mererentur, gravémque honeſtis legibus inferrent injuriam, qui diſciplinam morum proſecuti, Latinis literis tot experimenta luxuriæ conſignârunt, omniúmque vitiorum, ut ità dicam, latebras excuſsêre. Deinde ſibi malè proſpicerent, quicumque Catholico in Clero aures quotidie commodant pœnitenti populo ſua crimina accuſanti. Ingenti demum periculo obnoxium foret eorum munus, qui magicis artibus, aliiſque criminibus evertendis præſunt; neque enim fieri poteſt, quin plurium ſcelerum veritatem diſcant, dum damnant. Sunt quidem, quibus non ſatis probatur inſtitutum & zelus Theologorum quorumdam proferentium in lucem tot probra luxuriæ, cùm in eorum libris non improbi minus ad malum, quàm probi erudiantur ad bonum. Sed

ad propoſitum noſtrum ſcire hoc ſufficit alia utique eſſe diſcendi veri, alia tradendi jura. At certè Sacerdotes & Magiſtratus in Eccleſia Dei conſtitutos ad audiendas piorum Chriſtianorum confeſſiones, & ad eliminandas magicas artes, aliáque populorum flagitia, nemo ſanæ mentis inſimilet eo nomine, quòd veritates quaſdam ediſcant, quas ignorare præſtet, quàm ſcire. Diſcunt ii medicorum more vulnera & vitia, quæ in aliis ſanent, in ſe non admittant; & dum alienæ proſunt voluntati, non metuunt ſuæ.

Quæ hactenus deduximus ad commendandam veritatis indolem, ſemper in ſe honeſtam, & noſtro ſolùm vitio interdum pernicioſam, multorum auctoritate confirmari poſſunt. Unus tamen inſtar omnium erit mihi Sanctus Auguſtinus. Quærit ille Cap. 1. lib. 1. de lib. Arb. num quid mali eſſe poſſit diſciplina, ſeu diſcere, quod diſcipulorum eſt, uti Magiſtrorum doctrina, ſive docere. *Quis audeat*, reſpondet Evodius, *dicere malam eſſe diſciplinam? Mihi bonum videtur.* Cui Auguſtinus: *Benè ſanè, ſiquidem ſcientia per illam datur aut excitatur; nec quiſquam niſi per diſciplinam aliquid diſcit.* Ubi verò addidit, ſe arbitrari, nulla mala, immò nihil niſi bonum, per diſciplinam percipi, fruſtrà quærendum ait, *à quo malè facere diſcamus*; ſiquidem *non diſcuntur mala; aut ſi diſcuntur, vitanda, non facienda diſcuntur.* Cùm tamen Evodius dubitare videretur, aliam eſſe diſciplinam, per quam benè facere, aliam, per quam malè facere diſcamus; *Saltem*, inquit Auguſtinus, *intelligentiam nonniſi bonam putas.* *Iſtam planè*, reponit Evodius, *ità bonam puto, ut non videam, quid in homine poſſit eſſe præſtantius, nec ullo modo dixerim aliquam intelligentiam malam eſſe poſſe.* Hinc Auguſtinus dicere pergit: *Si ergo omnis intelligentia bona eſt, nec quiſquam, qui non intelligit, diſcit, omnis, qui diſcit, benè facit; omnis enim, qui diſcit, intelligit; & omnis, qui intelligit, benè facit* Dum autem intelligentiam quamlibet Auguſtinus laudat, utique intelligentiam, diſciplinámque veri ſignificat; neque enim falſum diſci intelligive propriè dicitur. Itaque perſpectâ inſtitutione naturæ ambigendum non eſt, quin generaliter loquendo liceat homini verum quodvis indagare, ſibíque etiam de illius inventione gratulari, dummodo altè in animis noſtris hæreat ſemper effatum iſtud: *Bonum quidem eſſe omnia ſcire, ſed non omnibus uti*; & veritatum earum non eſſe nobis curioſè comparandam notitiam, quæ illuſtrare quidem intellectum poſſint, ſed voluntati perverſæ faces ſimul miniſtrare ad flagitia.

Nunc

Nunc progrediamur. Ampliſſima boni veri familia in quamplurimas claſſes dividitur. Nos cæteris diviſionibus dimiſſis, & de ſolo vero loquentes, veritatem nunc dividimus in duas acies. Siquidem altera eſt veritas, quæ ſcitur; altera, quæ creditur. Priorem in nos immittit accuratus uſus externorum ſenſuum, ubi ad eorum fidem accedat examen, atque conſenſus rationis, aut quando illam ipſa ratio detegit, adhibitis in conſilium & præſidium artibus, omnibúſque Logices & Scientiarum documentis. Alterius veritatis, quæ creditur, compotes nos faciunt probabiles & veriſimiles rationes, aliena auctoritas, ſeu famæ traditio non temeraria, ad nos tranſiens per Hiſtorias germanas, per majores & æquales noſtros fide dignos, pérq; alia humani comercii ſubſidia. Ut autem poſterioris hujus veritatis notitia ſolet appellari perſuaſio, cujus tamen interdum ejuſmodi eſt vis ac pondus, ut firmitatem aſſensúmq; in intellectu non minorem, quàm altera obtineat & exigat; ità prioris veritatis cognitio ſtrictiore vocabulo ſcientia nuncupatur. Nihil enim moramur, quid Arceſilas, quid Carneades, & Pyrrho cum toto Scepticorum, Academicorúmq; grege obloquantur, qui cùm cæterorum Philoſophorum cautiſſimi eſſe vellent, aut videri affectarent, omnium ineptiſſimi evaſerunt, pejora deliria amplexi; nam ſublatâ protervè omni ſcientiâ, ne hoc quidem, quod certè par erat, fateri cum Socrate amârunt, ſe hoc unum ſcire, quod nihil ſcirent. Horum ſententiam & tempus exarmavit, & ratio recta dudum confecit, noſtriſque præcipuè temporibus ridendam exhibent tot artes, diſciplinæque latæ regnantes. Et ſanè, ut cum Lactantio loquar lib 3.c.6. div.Inſt. *Nos omnia ſcire non poſſumus, quod eſt Dei; at neque omnia neſcire, quod pecudis. Eſt aliquid medium, quod eſt hominis, id eſt ſcientia cum ignoratione conjuncta & temperata.* Illud quidem, ſed non ſine dolore, fatendum eſt, in comparatione ignorantiæ perquam curtam fuiſſe, ſempérque fore, hominibus ſuppellectilem ſcientiæ. Quemadmodum enim honeſta bona, quæ amanda ſunt nobis, facilè noſcuntur, difficilè amantur: ità & verum, quod noſcendum ſciendúmque nobis eſſet, facilè ab omnibus appetitur, ac amatur, at difficilè invenitur, & noſcitur. Nihilominus multas veritates hîc intelligi & ſciri, nemo niſi inverecundæ frontis neget, niſi mentis infirmæ non ſentiat. Latiùs longiúſque etiam patet earum veritatum campus, quas non ſcimus quidem, ſed credimus, opinione ſcilicet, non ſcientiâ ducti. Medium verò inter perſuaſionem, & ſcientiam,

tenere locum, & cum utraque participare videtur fides, quæ Religionis veræ firma perſuaſio eſt. Accedit iſta ad prioris naturam, robore verò vel ipſam ſuperat ſcientiam, quippe è cœlo delapſa, divináque auctoritate nixa, animos hominum beatiſſimè allicit & vincit, ibíque tali inſidere vi ſolet, qualem nulla hominum violentia, nullus mortis terror vincere aut infirmare deinceps poſſit. Utì verò in dilectione bonorum, ità etiam inter tam diverſas veritates hic ordo conſtitutus eſt, ut infimum pretium, & locum obtineant, quæ ad corpus pertinent infra nos poſitum; medium, quæ ad rationalem animam; ſupremum verò, quæ ad beatam immortalitatem animæ corporíſque olim reſurrecturi ſpectant. Et cùm nihil ſine ordine aut pulchrum, aut perfectum eſſe poſſit, tum præceptis ſuis Deus conditor, tum ratio magiſtra, & natura nutrix internâ pulſatione nos ad hunc ordinem in veritatis inveſtigatione ſervandum quotidie impellunt atque hortantur. Nempe ante omnia, ut in Evangelio præcipitur, *quærendum eſt Regnum Dei*, ad quod ſtudium refertur in primis veritatum illarum inquiſitio & cognitio, quibus ad regnandum cum Deo aptiſſimi efficimur. Deinde eruditio animi, ſcientiarum ſplendor, atque humana ſapientia præ cæteris diligenda atque æſtimanda ſunt, ne qui ratione beſtias ſuperamus, miſerabili ignorantiâ nos ad illarum conditionem demittamus. Poſtremò comparandæ veritates, per quas corporeæ vitæ creari poſſit incolumitas, ornamentum, atque honeſta voluptas. Sed quota pars hominum eſt, queis eximius iſte ordo ſervetur? Eorum plerique toti ſunt in inquirendis infimis veritatibus, nihilque ſoliciti de illuſtrando benéque informando per ſapientiam animo, totam felicitatis rationem collocâſſe videntur in ſcientia & uſu voluptatis corporeæ, commodíſque terrenæ vitæ. Alii verò ità ſe quibuſdam ſcientiis, diſciplinîſque liberalibus tradunt, atque ità in iis habitant, ut, ſi non contemnere, at obliviſci certè videantur potiſſimum humanæ vitæ negotium. Si Græcarum, Romanarúmve Antiquitatum peritos, ſi humani Juris, aut Phyſicæ, aut Geometriæ ſe ſcientiſſimos, ſi in mitioribus literis ſe ingenioſos, & in diſputationibus acutos efficere & prodere poſſunt: tum ſibi mirificè plaudunt, faciléque ſeponunt omne ſtudium veritatum illarum, quarum ſcientia, & meditatio probos in hac vita, beatiſſimos in altera homines facit. Ab utriſque igitur peccatur, non propterea, quòd infimis aut mediis veritatibus dent operam, (verum

(verum enim diſcere ex ſua natura malū non eſſe jam conſtituimus) ſed quod in ſum̄is quoq; addiſcendis, & contēplandis, parem, ſive majorem non ponunt operam, ordinémque divinitùs conſtitutum aut tantâ ſocordiâ poſthabent, aut tantâ ambitione evertunt. Hinc Aug. in lib. de util. credendi, cap. 11. *Intelligere,* inquit, *ſemper ſine vitio eſt. Intelligere magna, & honeſta, vel etiam divina, beatiſſimum eſt. Intelligere autem ſuperflua, nihil nocet, ſed fortaſſe diſcere nocuit, cùm tempus neceſſariorum occuparent.*

In tanta ergo veritatum copia diſtinguendæ præſertim ſunt delectabiles à neceſſariis. Nam delectabilium quidem veritatum ignorantia laude ſæpè careat, nunquam culpa cenſeatur; ignorare verò neceſſarias veritates, non culpæ tantùm datur, ſed etiam in maximas miſerias hominem devolvere ſolet. Quare à nemine prudente vituperabitur, qui canendi, pingendíve, ciborúmque apiciana induſtria parandorum ſcientiam negligat, tametſi multa inde corpori obvenire poſſit delectatio; contra verò deſipere dicatur quodammodo, qui quid corpori noceat, quid valetudini ſit neceſſarium, quæve pericula immineant, planè ignoret, & diſcere nolit. Quis non ſentit, quantopere corporis noſtri curam nobis natura commendet? Ejus profectò ſocietatem odiſſe, & ſine gravi conſilio, aut ſine veræ fidei virtutíſque conſervandæ cauſâ, nos ab ipſo liberare, infirmi nimium & aberrantis animi eſt, legibúſque adverſatur à Deo, atque à natura poſitis. Simili ratione vitio nobis nequaquam vertatur, ſi à Mathematicis Diſciplinis, ſi ab Artibus liberalibus, ſi ab Hiſtoriæ prophanæ, Phyſicæque ſtudio abſtineamus, quamvìs ingenti cum delectatione hiſce adminiculis excolatur animus, & amplificetur rationis regnum. Et contrà nemo nos excuſatos habeat, ubi ignoremus, & cognoſcere nolimus, quæ officia, quæ virtutes, qui mores exigantur à legibus, tum ad prudenter honeſtéque vivendum, tum ad continendam ſocietatem humanam. Ex quo enim nos natura fecit, non bruta, ſed ratione utentia animalia, neque ſolitarios eſſe voluit, ſed propinquis, amicis, civibus, cæteríſque mortalibus per domos, per urbes, per diverſa jura & commercia conjunxit: tunc impoſita nobis neceſſitas ea noſcendi atque intelligendi, quæ honeſtatem vitæ alant, quæ prudentiam adferant, quæ nos in omni officiorū genere peritos expeditóſq; efficiant.

Nihil autem hominibus magìs futurum eſt cordi, quàm ea perſpecta habere, quibus erudimur in veri Dei reli-

gione. Ad beatam æternitatem nos perducere poteſt una religio, nimirum credere, quæ de Deo credenda ſunt, & Deum colere ac amare eo cultu & amore, quem ipſe nobis præſcripſit. Itaque cùm religio vera, tum ſingulæ iſtius religionis veritates præ omnibus inquirendæ ſunt nobis, inter quas tamen aliæ neceſſariæ, aliæ utiles tantùm & delectabiles. In comparatione iſtius veritatis quidquid ſplendoris, quidquid utilitatis in humanarum diſciplinarum curriculo habetur, inane eſt, & flocci faciendum, ut non injuriâ inſipientiſſimos omnium & infeliciſſimos appelles tot veteres Philoſophos ac Sapientes, quos æterna quidem fama nobis commendavit, ignorata autem ſive contempta religio vera abjectiſſimos in oculis Dei conſtituit. Quòd ſi tantum eſt religionis negotium, ut cætera præ illo negligenda, & poſthabenda videantur, dubium non eſt, quin omnem ad illius veritatem aſſequendam convertere debeamus cogitationem & curam, atque adeò ſit enitendum, ut ne cùm totam literis & veritatis inquiſitioni vitam dederimus, id unum adhuc nobis reſtet ediſcendum, quod unicè ſcire juvat, & probè tenere neceſſe eſt. Atque hoc quidem nobis de veritate ſcribere volentibus in primis ante oculos erit. Nam religionem veram, aut quòd illam ſatìs non inquirant, atque adeò ex inertia, ignorare ſolent homines innumeri; aut quòd nimium inquirant, & ingenii ambitione in tranſverſum agantur, perdere interdum poſſunt. Quid itaque juris habeat, & quos fines habitura hìc ſit humanorum ingeniorum meditatio, in poſterum diſſeretur; & ſi quid proditum fuerit, quo non ſolùm ad neceſſarias religionis veritates credendas, ſed etiam ad reliquas ejuſdem utiles & delectabiles veritates eruditè pertractandas, tutior ac planior via demonſtretur: neque nos ſuſcepti laboris, neque alios lectionis adhibitæ fortaſſe pœnitebit.

CA-

CAPUT II.

Ut Religio vera noſcatur, an à dubitatione ſit inſtituendum iter. Dubitandi neceſſitas, ut error evitetur; & pericula, ne veritas amittatur. Prudens dubitatio commendata, temeraria verò repudianda.

APeruimus ampliſſimum campum humanis ingeniis, cùm nullum eſſe verum diximus, quod honeſtum ex ſui natura non ſit inveſtigare & cognoſcere, ſimúlque poſuimus, verum, quod ad Religionem pertinet, non honeſtè ſolùm poſſe quæri, ſed neceſſariò quærendum, ſciendúmque eſſe. Quod ſi quærere veram religionem oportet, conſequens eſt etiam, ut adhibere liceat ac oporteat rationem quærendi omnium aptiſſimam, per quam quæſita inveniantur. Jámque nonnulli accedunt, quibus nulla fortaſſe opportunior occurrat ratio, quàm à dubitatione inſtituere inquiſitionis iter. Quo enim modo veram religionem quærere, & aſſequi poſſint homines, niſi primùm dubitare incipiant, utrum religioni veræ nomen jam dederint, an in errore verſentur, & dubitando inveſtigent, inter tam varias à populis uſurpatas religiones quænam ſit falſa, quænam ſit vera religio? Et iſta ſanè inquirendæ veritatis ratio, quâ mens humana omnibus anteceptis opinionibus valedicens, nulli rei, niſi perſpicuis argumentis probatæ aſſentitur, à Socrate manavit, & ab Academicis, aliiſque Philoſophis ſummoperè laudata, proximéque præterito ſæculo à Carteſio potiſſimum inſtaurata, ac temperata, nunc utramque recentium Philoſophorum paginam implet, quippe quæ ad verum inveniendum, aut ſaltem ad errorem evitandum, non parum conducat. Ex horum ergo ſententia conſequi videretur, nefas non eſſe religionem ſuam in dubium revocatam expendere. At aliis ſecus videbitur; nam ubi de religione omnibus relinquatur dubitandi facultas, mirum eſt, quot religioni veræ excidia creari poſſint, & quot erroribus janua aperiatur. Qui dubitare incipit, animóque ſtatuit, nonniſi evidentibus & perſpicuis rebus aſſenſum dare, & ubique ne fallatur timet: aut æternùm de omnibus dubitaturus eſt, quòd Scepticorum filiis accidit; aut multum quidem falſi, ſed unà cum eo multum etiam veri exſcindet ac repudiabit; quod ambitioſis ingeniis non ſine ingenti infelicitate ple-

plerumque contingit. Præterea quicumque in religione vera titubare cœpit,& de ſua fide incertus eſſe, jam infidelis eſt,& certo bono renuntiat,ut incertum exquirat. Quæ cùm ità ſint, & cùm unicuique perſuaſum ſit, veram eſſe religionem ſuam,cæteras autem falſas: nemo proinde ſibi licitum arbitrabitur, fidem ſuam in dubium revocare, bellúmque erroribus indicere, quos tamen convellere non poſſit,ſi religioni ſibi ducat, incipere de ipſa religione dubitare

Itaque in ipſo argumenti ſuſcepti veſtibulo jam nobis graviſſima impedimenta occurrunt, à quibus niſi nos expediamus, omnis progrediendi ſpes ſublata videatur. Id autem præſtitum faciliùs ibimus, poſtquam nonnulla præmiſerimus utiliſſimæ quæſtioni dirimendæ perquam neceſſaria. Primò igitur ex omnium conſenſu liquet, naturale ac univerſale hominibus deſiderium eſſe,& jus evitandi erroris,aut expellendi,cùm illum incautè induerint. Etenim errare,& falſum credere,ex ipſa naturæ inſtitutione contrarium eſt homini,eúmque in maximas, atque etiam æternas calamitates protrudere poteſt.Secundò dicimus,ex hoc jure aliud effluere,nempe licere cuicumque iis uti ſubſidiis, quæ tum ratio, ac natura, tum honeſtæ artes à ſapientibus doctíſque viris excultæ tradiderunt, ut per illa vitari,deponive poſſit error.Imò ſcientiæ artéſque ipſæ nihil aliud ferè ſunt, quàm hujuſmodi ſubſidia. Ipſæ tamen artes ac ſcientiæ aliis indigent peculiaribus ſubſidiis;quibus ſe ſuóſque cultores arctiùs regant. Si ſecus fecerint,interdum erroris,non veritatis,magiſtræ evadunt, & infida ad verum dignoſcendum, errorémque auferendum,ſubſidia fiunt.Criteria veritatis nuncupamus hujuſmodi peculiaria ſubſidia, eorúmque ſcientiam appellare Criticam poſſumus, ſi hoc nomen latiùs, quàm ſoleat, uſurpare placet. Excurrunt autem criteria per quamlibet ſcientiam, & artem, eorúmque ope quid certum, quid probabile,quid dubium,quid fictum ac falſum ſit, ubique rimatur, & non rarò cognoſcimus. Nimirum iis præeuntibus, ſolicitóque examine ſingula penſantibus, & ſecernentibus, ſæpè diſcimus, quos errores invexerit, & invehat aut perverſa ratiocinatio,aut vis præjudicatæ opinionis, & imperium affectuum in nobis regnantium, aut nimium erga antiquitatem obſequium, nimiúmve recentiorum temporum amor, aut immodica fides habita noſtris ſenſibus, Præceptoribus, Majoribus, Hiſtoriis, aliíſque humanæ vitæ fallacibus documentis. Dicam uno ver-

verbo: faciunt hujuſmodi præſidia, ne temerè credamus, ne falſa aut dubia pro veris aut certis, certa & vera pro dubiis & falſis habeamus Quocirca cùm & ratio prodiderit, & ſapientiſſimi viri paſſim commendent, ac adhibeant horum ſubſidiorum apparatum in inſectatione erroris, & inquiſitione veritatis: neque dubitari, quin rectus illorum uſus cùm maximè honeſtus ac utilis, tum etiam interdum neceſſarius ſit omnibus, errorem fugere, & verum aſſequi optantibus.

Tertiò, inutilia planè forent iſta ad errorem evitandum ejiciendúmque ſubſidia, ſi de rebus ac ſententiis, in quibus verum exquirimus, dubitare prius nequaquam liceret. Imò nullius errãdi finis. nulla veritatis hauriendæ ſpes erit, ubi nefas ſit in dubium vocare & expendere tot opiniones, rerúmque notiones, per cogitationem, aut per ſenſus corporeos in phantaſiam, animúmq; noſtrum immiſſas; quarum tamen complures vel falſæ, vel parum firmæ deprehenderentur, quoties de iis dubitare, eáſque ad criteria opportuna exigere vellemus, atque poſſemus. Igitur ad ipſius naturæ, errorem ubique refugientis, principia & jura pertinet, poſſe de propoſitis, aut animo jam perceptis ſine prævia conſideratione rebus, primùm ſibi dubitationem aliquam movere, tum laudata adhibere ſubſidia, ne fallamur, neve in antiquo errore diutius perſtemus.

Quartò, præter hæc inſita homini jura, inſitæ etiam ſunt quædam leges, quas nemo ſciens ſine culpa levi aut gravi; nemo inſcius ſine magna aut aliqua ſaltem infelicitate violare poteſt. Nam ſicuti inſtitutioni rectæ rationis convenit, ut quiſque contendat ab errore, aut falſitate ſibi cavere, ità & eidem rationi repugnat, ut homo veritati renuntiet, noceat, atque obſiſtat. Quapropter qui unicè de fugiendo errore ſolicitus eſt, tantúmque hujuſmodi ſtudio inſiſtit, ut veritati ipſi fidem adjungere neget, aut illam ſibi inſectandam ſumat, ubique fallaciam ſibi metuens: aliâ quidem viâ impingit, ſed tamen impingit in errorem. Dubitare autem poſſumus, utri miſeriores ſint, an qui errorem contrahunt ob cautionis defectum, an qui veritatem repudiant ob ejuſdem cautionis exceſſum. Id certè experientiâ conſtat, illis ignorantiam veniâ aliquâ dignam, iſtis intolerandam ſuperbiam hujuſmodi mala plerumque creare.

Quintò, ſi igitur à recta ratione jubemur, veritatem non impugnare neque perdere, ſed ejus præſtantiſſimum recipere & cuſtodire lumen, neceſſe quoque erit eam adhibere

hibere curam, eíſque uti ſubſidiis, quæ nos à lædendi & reſpuendi veri periculo avertant;& contra ſingulis,quantum per nos licet, renuntiare impedimentis, quæ remorentur in regione veri progreſſum noſtrum. Neque iſta lex juribus dubitandi ſuprà conſtitutis opponitur, ſed cum iis conſentit,modò intra æquos limites,ratione præeunte, contineatur illorum uſus. Jam enim peccant, aut miſeri ſunt,qui nimiùm dubitationi ſe tradunt,quàm qui nimis facilè credunt, utrique nimio aut erroris fugiendi deſiderio, aut veritatis improbandæ timore abrepti. Ipſamet ſubſidia, & criteria veri, per quæ diximus errores ab humanis mentibus arceri, niſi utentibus adſit prudentia cum humilitate conjuncta,non minùs ad errores evertendos, quàm ad ipſum verum rejiciendum, inſervire poſſunt.Quare opus eſt,ut dubitandi jura, in effrenem audaciam interdum aſſurgentia, perpetuò temperet alia comes dubitatio ac timor, ne ſcilicet unà cum erroribus veritatem ipſam incautè exſcindamus. Quæ autem ſint impedimenta, ne verum perſpiciatur, quæ ſubſidia ut percipiatur, nos infrà, quantum ad rem noſtram pertinet, oſtendere conabimur.

Interim ex his legibus ſequitur, commendari à recta ratione prudentem dubitationem.improbari vero temerariam. Neque enim propterea quod nobis natura dubitandi jus dederit, ut falſum declinemus, verúmque aſſequamur, ideò ſine diſcrimine cuicumque, & de quibuſcumque rebus, dubitari fas eſt. Certis quibuſdam terminis omnia naturæ jura coërcentur, ultra quos excedere peccare eſt in ipſum naturæ conditorem.Sic humanorum affectuum innata jura ſuos habent fines, modúmque ſuum. Nihil etiam efficaciùs natura nobis commendat, quàm amorem uſúmque virtutum; ſed ejuſdem naturæ documentis prohibemur lædere ordinem limitéſque virtutibus poſitos. Una prudentia tum affectuum tum virtutum omnium dux & moderatrix futura eſt.Ejuſdem conſilio & imperio indigent reliqua omnia, ſed potiſſimum dubitationis jura, ut rectus, non pravus, fiat inter homines illius uſus.

Quanquam verò nihil difficilius occurrat; quàm conſtituere, quando, & cui,& quibus de rebus prudenter dubitare liceat (nam prudentia, ut ajunt Philoſophi, circa particularia, quæ innumera ſunt, verſatur) attamen monere juvat, quaſdam etiam univerſales haberi leges, quibus ferè ſemper ſingularia reguntur.Has inter eminet illa:

De

De primis principiis per ſe notis, & de rebus certâ experientiâ, aut omnium hominum omniúmque temporum conſenſu probatis, aut evidentiſſimis, ne imprudenter dubitato. Tum altera: *De veritate rerum, aut ſententiarum, quas doctiſſimi viri tradunt ac probant, rudes atque omninò imperiti ne litem movento.* Certè quicumque, vel acutiſſimi viri ne de primis principiis quidem ſe certos prodidere, ſæpè temeratis, rarò prudentiæ famam ſibi comparârunt. Quis autem rationis compos prudenter dubitet, an vivat, an cogitet, an edat, an loquatur, & ſcribat, cùm evidentiſſimè hæc ſingula ſentiat? Quis dubitationem ſibi prudens moveat, num aridum lignum combuſtibile flammis injectum comburi poſſit, num corpus grave, impedimentis ſublatis, ex alto in imum ſit ruiturum? Deinde quàm prudenter ille agat, qui tot rebus, quas aut ſcientiæ atque Artes liberales tradunt, aut Hiſtoriæ à doctis viris commendatæ concorditer referunt, ipſe omnium ignarus atque imperitus adjungere fidem neget, earúmq; veritatem pro libidine ſua, & ſine ulla ratione, revocare velit in dubium?

In primis verò animadvertendum eſt hìc, duplicem eſſe dubitationem, alteram quidem multum, alteram parum conſentaneam rationi. Utriuſque differentia in fine, & cauſa dubitandi ſe prodit. Quidam enim de rebus vel evidentiſſimis dubitant, non quòd ſibi earum rerum veritas dubia ſit atque ſuſpecta, ſed ut veritatem ipſam dubitando ac diſputando in meliori collocent lumine, atque ut aliis, non ſibi, dubitationem eximant. Nemo ſanè huiuſcemodi dubitationis genus improbet, imò non laudet; non enim propriè id dubitare eſt, ſed dubitantis dumtaxat perſonam induere. Quapropter præſtantiſſimis viris nunquam non licuit dubitantis ſpecie inquirere, *utrum ſit Deus, utrum vera ſit Chriſtiana Religio, & num certa, rectéque pluriumſeculorum & hominum conſenſu ſtabilita ſint tot prima principia.* Quod rudibus utique licet, illud eſt, ut à ſapientioribus referant lumen, quo & ipſi alacriores fiant in credendis altiſſimis abditíſque rebus. Contra verò rationi adverſatur illorum confidentia, qui non alium dubitando ſibi finem ſtatuunt, quàm acutiſſimi ſui ingenii periculum facere: & tum ſibi videntur cordati ſapientéſque viri, cùm unius ſuæ mentis vocem ac judicium audiunt, aliorum contemnunt; & ad deſtruendum quàm ædificandum aptiores, aut nihil probant, aut id ſolùm probant, quod animi ſui appetitibus blanditur, & quod ſuæ tantùm meditationis aciei perſpicuum firmiſſimúmque apparuit.

CA-

CAPUT III.

Non omnibus dubitandum de veritate ſuæ Religionis. Ratio & Auctoritas in Religionis negotio, earúmque pondus. Quæ quærenda ſint, ut conſtet, an vera ſit aliqua Religio. Prudenter poſſunt imò debent de veritate ſuæ Religionis dubitare Ethnici, Judæi, Muhammedani. Juſtæ apud eos dubitandi cauſæ.

FAcilè nos in vaſtam planitiem argumentum perduceret, ſi animus foret ſingula nunc diſſerere ad dubitationis fines modúmque ſpectantia. Sed per brevem hanc orationis excurſionem præcipua fundamenta detexiſſe contenti, quibus initur æqua dubitandi ratio, jam ad caſtra regrediamur. Noſtra ante omnia refert, quæ ſemita in itinere ad religionem veram ſervanda ſit, diligenter inquirere. Atque in primis, cùm errore capi ac detineri in re tanta homo poſſit, imò cùm ſatis conſtet, innumerabilem hominum copiam erráſſe, ac errare in amplectenda religione, quam plerumque non ulla ratio primùm perſuadet, ſed educatio & parentum, populorúmque exempla tenellis mentibus inſpirant: dubitari non poteſt, quin generatim loquendo, non honeſtum dumtaxat, ſed & neceſſarium ſit de ſuæ religionis veritate ſibi aliquam dubitationem movere. Et ſane quî unquam fiat, ut Muhammedanus, ut Ethnicus, ut Judæus, aliáque hujuſmodi Sectarum genera, quas religioni falſæ, aut à cœlo improbatæ addictas eſſe non tam credimus, quàm dolemus, ſe revocare, aut per alios revocari poſſint à perverſa opinione, inolitóque errore, ſi prudentis dubitationis jure uti unuſquiſque renuat, & piaculum arbitretur?

Prudentem autem dubitationem ideò commendamus & ſuademus, ne à legibus æquiſſimis diſcedatur, quibus conſtringuntur, ut diximus, ipſa dubitationis jura. Sed ità me Deus amet, paucos invenias, qui eâdem uti aut ſciant, aut velint. Ut enim quiſq; religioni alicui ab ineunte ætate nomen dedit, reliquas contemnere, & fallacibus ac falſis accenſere, earúmque cultores imprudentes ducere; unam verò ſuam cum ratione & veritate conſentire, ſeque nonniſi imprudenter facturum putare, ſi opinionem ſuam in periculum dubitando adducat. Reſtat igitur, ut ad inquirendum noſtra feſtinet oratio, quinam in tanta religionum

num diverſitate prudenter de ſua dubitare debeant, & qui minimè debeant. Hîc rei maximæ cardo vertitur; hîc ſi ſapere incipiamus, meliora quæque ſperanda ſunt nobis, tum ad firmandos homines in veritate ſtantes, tum ad excitandos in errore ſtertentes. Cùm autem religionis nomen tot gentium ſectarúmque ſuperſtitioni tribuimus, hoc quidem καταχρηστικῶς, ſive abuſivè, facimus; una quippe non multiplex eſſe poteſt vera religio ſed non ſine divinarum Scripturarum exemplo facimus, apud quas falſa quoque numina ſub Deorum appellatione ſæpè memorantur, intacta nihilominus ſemper unius Dei fulgentiſſimâ veritate.

Dicimus ergo à dubitatione illi eſſe temperandum, qui ſuam religionem facilè perſpicit certiſſimis principiis, & fundamentis innixam. Duo autem ſunt hujuſmodi fundamenta, ratio, & auctoritas. Rationis nomine hoc loco intelligimus vim & lumen intellectûs ad dignoſcendum verum & falſum, bonum & malum, ſimúlque eam vim, per quam rationalis anima è certis ſibique notis præmiſſis certum aliquid argumentando deducens, ſibi illud aut aliis perſuadet. Auctoritatis vocabulo vim illam ſignificamus, quam habet ad aliquid perſuadendum alterius narratio, verbis, aut ſcriptis menti noſtræ communicata. Quò firmiora ſunt hæc fundamenta, eò fortiùs veritas ſtat illis innixa, & clariùs effulget, & faciliùs homini perſuadetur. Utraque autem ad perſuadendam religionem veram collatis ſignis, quanquam diverſo pondere, conſpirant.

Vix autem negare poſſumus, quin humana ratio ſemina quædam contineat veri & boni inſita ab ipſa natura, nam & nullo docente pueri ſua ſe ſentire malè facta pudore teſtantur, & dolent ſe fuiſſe deceptos. In primis autem hujuſmodi ſemina deprehenduntur, dilucidéque nobis apparent, cùm attenta meditatio excutit penetralia rationis, & cùm optimorum librorum, eorúmve hominum conſuetudine utimur, qui iſtas veri boníque ideas, jam ſibi perſpectas, aut in nobis excitant latentes, aut, ſi ità dicere amamus, in nos immittunt peregrinas & novas. Excitatis in homine iſtis boni & veri ſeminibus ac ideis, progredi multum poteſt, quamvis pluribus morbis laborant, humana ratio ad naturam qualitatéſque non viſibilium tantummodo, ſed & inviſibilium rerum intelligẽdam. Cujus progreſſus tot ſunt exempla, quot veterum Philoſophorum meditamenta ſunt litteris conſignata. Nimirum ſolo rationis lumine ducti illi in plurima pene-

trârunt, quæ certiſſima eſſe lux melior ſubinde nobis patefecit.

Quantùm etiam ponderis habeat auctoritas in uſu vitæ atque in aliquibus diſciplinis, & in hiſtoria potiſſimùm, nemo non ſentit. Si nihil aliud credere, quàm quod ratio in ſe invenit, animum induceremus, magna non ſolùm humanæ ſcientiæ ſive eruditionis portio periret, ſed etiam infinita homini, atque hominum regimini impenderent incommoda. Aliorum ergo narrationibus, & fidei, fidem habeamus oportet, niſi inter ſomnia computare velimus, quidquid habent libri & fama de præteritis ſæculis, immo & de præſenti ævo: quod profectò non faciat, niſi verus ſomniator & amens. Duplex autem auctoritatis eſt genus. Altera à Deo eſt, altera ab hominibus; illa nunquam, iſta ſæpè ac ſæpius fallax. Inter prima rationis evidentiſſima præcepta illud omnium conſenſu præcipuè probatur: *Certum eſſe verum & inconcuſſum, quidquid revelat, ac narrat prima Veritas Deus.* Etenim, ut ajebat Salvianus Lib. 3. *Dei ſermo ipſe ſibi teſtis eſt, quia neceſſe eſt, quicquid incorrupta Veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium Veritatis.* Ut autem hominum eſt falli & fallere, decipi & decipere, ità eorum auctoritati non continuò fidendum. Sola ratio, ſive prudentia, advocatis experientiæ, & critices, & aliarum artium in ſuam opem documentis, feliciter oſtendere poteſt ac ſolet, quando neganda, quando habenda ſit fides hominum dictis. Ad ipſam quoque rationem pertinet expendere, an fallantur, aut fallant homines, cùm voce aut ſcriptis aliquid referunt ac nuntiant tanquam à Deo revelatum & proditum; tunc enim non in Deum, qui æternùm eſt verax, ſed in hominem, qui facilè vel propter ignorantiam, vel propter improbitatem, eſt fallax, prudens dubitatio noſtra atque ſuſpicio convertitur. Quamobrem ſapientiſſimè Joannes Apoſtolus in Epiſt. I. 4. ſuis diſcipulis injungebat, ne cuicumque crederent divina dogmata ſe afferre dicenti. *Nolite*, inquit, *omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint; quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Prætereà cùm falli ac fallere poſſint homines in intelligenda, exponenda, interpretanda auctoritate, quam alioqui divinam meritò credant: hinc eſt, quòd iterum conſulenda eſt ratio, ut percipiatur, an hîc homines errent. Statuendus itaque videtur hic ordo. Primò quærendum, an rectæ rationi adverſetur religio, quam quiſque amplexus eſt. Si adverſatur, planè de ipſius veritate non ſolùm dubitandum eſt, ſed in ipſam protinus

tinus dicenda ſententia. Si nequaquam repugnat, quærendum ſecundò eſt, num à Deo proceſſerit, an verò ab hominibus tantùm, hoc eſt, utrùm divinâ, an humanâ auctoritate inducta ſit illa religio. Si homines ſolos auctores habuit, de ipſius veritate dubitandum eſt; ſin Deum, nulla dubitatio occurrere poteſt, quin vera ſit; ſiquidem divina auctoritas ſupra ipſam rationem valet, atque ab omni fallaciæ ſuſpicione immunis eſt. Adhuc tamen inquirendum reſtat, & tertiò dubitandum, an quæ Deum tradidiſſe credimus, rectè à nobis intelligantur & exponantur: quod ubi præſtiterimus, vel ratione duce, vel regulis tutioribus, ſi quæ ſunt, à Deo præſcriptis, tum prudentis erit conquieſcere, ne inconſultâ dubitatione nobis majoris periculi ſimus auctores.

His præmiſſis, dicimus, Ethnicos tum veteres, tum recentiores potuiſſe ac poſſe prudenter, immò etiam debuiſſe & debere de veritate ſuæ religionis movere ſibi dubitationem. Vix enim ſecum ſincero animo reputare poſſunt, quibus principiis nitatur inſpirata ſibi à teneris unguiculis opinio, quin illam evidenter nutare ſtatim deprehendant. Non prima rationis edicta, non divina auctoritas, quæ unicè firma ac certa eſt, iis occurrere, mentémque ab ulteriori hæſitatione & inquiſitione retrahere poſſunt; ſed hinc recta ratio pluribus modis læſam ſe exhibet, & inde ſola fallax hominum auctoritas ſe prodit, cui non citò, neque inconſultè, habendam eſſe fidem, ratio ipſa efficaciſſimè clamat. Et quid quæſo rationi evidentiùs adverſatur, quàm plures credere Deos, atque inter ſe diſcordes; quàm debitum uni Deo cultum, in homines, in ſidera, in elementa, atque in vilia aut naturæ, aut hominum opera transferre, quàm ineluctabili fato humanas voluntates ſubjectas opinari; quàm rationali animæ, ut quidam cenſuerunt, ac cenſent, nullam ultra corporis mortem tribuere vitam; quàm ignorantiam, libidinem, impotentiam, atque alios aut defectus, aut ipſis hominibus indigna facinora in Deo excogitare? Hæc atque alia complura in oculos meditantium facilè incurrunt, ne de reliquis in diſciplina morum vitiis loquamur, quibus Ethnicorum religio aut conſentit, aut etiam laudem & præmia pollicetur. Accedit, quòd eorum opinionem non divina Auctoritas, ſeu prima Veritas Deus, invexit, ſed aut Poetæ argutis mendaciis ludentes, aut incerta, inconſtans & fallax hominum, immo & anicularum, rudiſque popelli traditio,

Digitized by Google

cui certè ſinè ratione, ſinè prævio examine adjungere fidem, deſipientiam potiùs, quàm inſipientiam appelles. Jure itaque dubitare poſſunt ac debent gentes de ſuæ religionis veritate: quod ſi præſtent, eámque cum Chriſtiana demum componant, niſi rationis & prudentiæ legibus renuntietur, intelligent, hanc unam eſſe veram ac perfectam; reliquas verò idolorum cultui addictas, in craſſiſſimis atque intolerandis erroribus verſari. Vel ante Chriſtum natum id perſpexêre non pauci Philoſophi, ſolùm rationis lumen ſectati. At nunquam id melius patuit, quàm ubi chriſtianæ doctrinæ majeſtas & veritas longè latéque effulgens totum terrarum orbem permeavit, ejuſque cultores, per tormenta, per ignes invicti, fortitudine ſuâ ſuaſerunt, quod ratio ſola perſuadere poterat. Tunc enim non vi tormentorum adhibitâ; non armorum terrore ac metu compulſi Ethnici, ſed vi veritatis devicti ſeſe Chriſto adjunxêre, atque ii ipſi potiſſimum populi, qui ingenio, & litterarum culturâ cæteris præcellebant.

Quod eſt ad Judæos, nihil in eorum religione occurrit, quod recta ratio improbet. Traditam verò eorum legem ab ipſo Deo fuiſſe, tot ac tanta argumenta oſtendunt, conſentientibus hinc Muhammedanis, inde Chriſtianis ipſis, ut imprudenter ſanè illud in controverſiam adducas. Quæ ſint hujuſmodi argumenta à luculentis aliorum libris præſtat petere, quàm hîc leviter attingere. Verùm ne his quidem contenta eſſe jure poteſt Hebræorum natio. Ulteriùs etiam progrediendum, prudentia & ratio monent. Scilicet illi dubitandum eſt, num rectè intelligat, atque interpretetur divinarum Scripturarum oracula; in hoc enim contingere poteſt, ut imbecilla ratio fallatur. Eò autem magis Judæo ſuboriri hæc ſuſpicio debet, quòd audiat, tot nobiliſſimas nationes, ingenio, judicio, & litterarum omnium ſcientiâ illuſtres, doctioréſque ſine comparatione, quàm Judaïca gens, æquè ſaltem ac Judæi de religionis veræ negotio ſolicitas, neque minorem quàm Judæi venerationem ac honorem habentes divinis Judæorum libris, concordi voce clamare, certúmque habere, noſtris temporibus in interpretandis atque aſſequendis eorum librorum ſenſibus quemlibet Judæum turpiſſimè cœcutire. Quid, quod nihil in ſacris litteris tam apertè reperitur, quàm venturum Meſſiam, idque fatentur Judæi? Nonne prudentia poſcit ut ſeriò inquirant, an fortè venerit, qui à tot populis non ex fama temeraria, ſed ingenti rationum ac miraculorum pondere, jam veniſſe perhibetur?

Digitized by Google

tur? Juſtam dubitandi cauſam augere debet præſentis ſortis & conditionis conſideratio. Omnium abjectiſſima gens Prophetis, Sacerdotibus, Templo deſtituta, neque à paucis annis, ſed fermè à ſeptemdecim ſæculis, inviſa hominibus ac Deo, vix alia de cauſa ad tantam infelicitatem excogitari poteſt adducta, niſi quod Meſſiâ contempto & legibus perperam intellectis deſierit eſſe Dei viventis populus. Fac autem, ſincero dociliſque animo Judæus de ſuæ legis intellectu dubitet, & chriſtianæ religionis originem, documenta, rationéſque ſedulò expendat. Si adhuc priori in ſententia perſtet, neque videat tot Prophetarum oracula in Chriſto ejúſque religione evidentiſſimè completa, miſeræ cœcitatis aut pervicaciæ notam apud cordatos prudentéſque viros haudquaquam effugiet.

De Muhammedi Sectatoribus multa dicenda forent. Sed rem paucis expediemus. Difficile à Muhammedanis impetrare poſſis, ut dubitent, an aliquid in ſuis legibus occurrat rectæ rationi contrarium. Neque nos moleſti percunctatores eſſe nunc volumus. At cùm auctoritatem divinam ſuæ religioni ubique prætendant, præcipuéque huic argumento inhæreant: Prima prudentiæ & rectæ rationis principia prorsùs exigunt, ut non temerè credant cuicumque ſe eſſe Meſſiam dicenti, & delapſa è cœlo dogmata, ſive ſcripta jactanti. Ne ipſi quidem negent, ab impoſtoribus cavendum eſſe; & ſaltem nullus inter eos habeatur, modò ſit prudentiæ legibus imbutus, qui ad novam ab homine promulgatam religionem continuò ſe conferat, tametſi nihil rectæ rationi iſte legislator repugnet, immo pietatem multam redoleat, & quarto quoque verbo exclamet, ſe nuntium veritatis è cœlo demiſſum, niſi etiam dogmata, fidémque ſuam probet veris miraculis, ſanctiſſimis moribus, oraculis præcedentibus, optimâ doctrinâ, aliiſque divinæ legationis teſtibus ſignis. Gravior quoque ſubeſt dubitandi cauſa de Muhammedo. Ex ejus enim apertiſſimâ confeſſione cùm veteris, tum novi Teſtamenti Scripturæ divinitùs traditæ fuerunt, religionémque veram attulerant Moyſes & Chriſtus, atque iſtius lex & doctrina ſub finem uſque ſeculi Æræ Chriſtianæ Sexti (quo tempore ipſe Muhammedus vivere cœpit) germana veritatis magiſtra fuit. Qua igitur prudentia fidem habeas ſtatim & ſine dubitatione homini abroganti, immo poſtea damnanti religionem ſuâ confeſſione prius optimâ atque à Deo traditam, niſi evidenter ſe id facere ex ipſius Dei imperio probet, ſigniſque certiſſimis ſe verũ eſſe Prophetam

Digitized by Google

phetam cœlíque nuntium oſtendat? Certè non eſt, cur diuturnius regnum ſibi polliceantur Alcorani ipſius dogmata, ubi tam facilè credere liceat novam è cœlo religionem ſe advehere ſolùm teſtanti.

Quod ſi convenit in Muhammedi fidem ſuſpicio, & ratione monente in examen eſt advocanda auctoritas, quam ille divinam dictitabat: nullo tunc negotio, quantum quidem arbitror, de ſua opinione dejicietur Muhammedanus, & ſingulari cum utilitate ſuâ vincetur, dum vinci velit. Tum, inquam, facilè patebit, nullum ab impoſtore Muhammedo certum ſignum divinæ ſuæ legationis productum, nullum ab ipſo miraculum fuiſſe patratum, quo novæ doctrinæ fides conciliaretur; obſtat enim nonnullorum famæ ac traditioni de miraculis per Muhammedum factis evidens Alcorani, ſeu ipſius Pſeudoprophetæ, & ſapientiorum Moſlemorum contraria confeſſio. Lectis autem ſacris Judæorum & Chriſtianorum Scripturis, palam continuò fiet, nihil minus eſſe verum, quàm quod affirmabat Muhammedus, ſe nempe, ſuámque doctrinam in iis libris ſæpiſſimè fuiſſe prædicta, ſéque nil aliud in Alcorano docere, quàm quod Moyſes & Chriſtus tradiderant. Itidem intelligent, fieri omnino non potuiſſe (quod commentus eſt ille Impoſtor) ut à Judæis & Chriſtianis divinæ literæ per totum terrarum orbem vulgatæ, & in plures linguas tranſlatæ ex induſtria & ex concordi at ſecretiſſimâ tot populorum conſpiratione corruptæ & depravatæ fuerint, ne ea loca apparerent, quibus prænuntiabatur illius adventus atque doctrina, & quæ tamen ipſe ignorâſſe convincitur, dum ea non recitat, recitaturus certè in ſuæ cauſæ beneficium, ſi illa noviſſet. Conſtabit etiam, quantum infra ſanctitatem & perfectionem Chriſtianæ legis ſit Alcorani doctrina, & diſciplina moralis, cùm illa ſpiritum ubique, & iſta ubique carnem ſapiat; illa pacem, iſta bellum ſuadeat; illa ad veram animorum beatitatem, hæc ad corporeas vileſque delicias totam fermè referat doctrinam ſuam. Quare nulla excogitari poteſt ratio, cur Deus immutatam voluerit, uti Muhammedus contendit, perfectam Chriſti religionem in minus perfectam, immo in admodum imperfectam, & vitiis non paucis ſcatentem, tum in diſciplina morum, tum in dogmatis tradendis à divina ſacrarum Scripturarum revelatione penitus alienis; quæ non ratione ſed gladio nititur, quæ vi armorum, non ſuaſione veritatis invecta & propagata eſt, atque etiam per vim amplificanda traditur, interdictâ omni diſputatione

de

de religionis negotio, ne qua ſit via detegendæ fraudis, ne qua ſpes deponendi erroris. Tandem luce meridianâ clariùs apparebit, non alia de cauſa Muhammedum tanta fuiſſe commentum, niſi ut ſuæ libidini atque ambitioni conſuleret; librúmque illum, quem ex præconcepta opinione Muhammedani diviniſſimum cenſent, innumeris iiſque putidis fabulis, mendaciis, & ſuperſtitione ità abundare, ut neque Deum auctorem habuiſſe, neque ullam hominum fidem mereri facilè cognoſcatur, dummodo adhibeatur in conſilium ratio recta, aut cum Alcorani tenebris conferatur lux Evangelii.

CAPUT IV.

An Chriſtiano homini dubitandum de ſuæ Religionis veritate. Æquum id videtur, ſed gravibus periculis obnoxium. Dubitatio & hìc licita, & quando, & quomodo, ne fidei donum perdatur. Ratio & authoritas ſtatuunt veritatem Chriſtianæ Religionis. Cur Chriſtianorum vulgus acquieſcere prudenter poſſit in religione ſua, ſitque ab onere dubitandi exemptum. In Eccleſiæ Catholicæ Paſtoribus potiſſimum ſcientia Religionis expetita.

AD Chriſtianos demum accedamus, ſcrutaturi, an & ipſi prudenter de veritate ſuæ religionis dubitare poſſint, immo etiam debeant. Equidem præſentio, quorumdam animos adeò delicatos eſſe, ut horrorem concipiant vel ex hoc ſolùm, quòd dubitem, an de re tam nobis certa ſit dubitandum. Sed quæſo ne patiantur ſe inanibus umbris & ſolis nominibus terreri. Omnes imprudentem dubitationem refugimus, omnes prudentem amplectimur; nam ut à prima ſibi nolle cavere, temerarii eſt, atque irreligioſi, ità alteram quocumque pacto rejicere atque improbare eſt inſipientis. Quodcumque autem de propoſita quæſtione ſtatuatur, negari non poteſt, quin multis incommodis obnoxium appareat. Si enim Chriſtiano viro fas eſſe dicamus in dubitationem adducere ſuæ religionis veritatem: quomodo ſtabit illius fides? Fruſtra illum tam eximio dono dignatus fuerit Deus, ut ſinè ulla dubitatione veram crederet eſſe Chriſtianam religionem Et certè jam fidem perdidiſſe videtur, qui dubitare cœpit, num falſa credat an vera; atque idcirco, ut in C. J. de Hæreticis habetur, dubius in fide, Infidelis eſt. Periculoſæ inſuper plenum opus eſt aleæ de

Digitized by Google

de re tanta dubitare. Quanquam enim nulla ſit religio, quæ rectæ rationi præſtantiâ, & ſanctitate,& veritate ſe tantùm commendet, quantùm Chriſtiana Religio: infirmitate tamen humanæ mentis contingere poteſt,ut qui de illa dubitare cœpit, dubitare in poſterum non deſinat, aut etiam judicio deceptus & cupiditate in tranſverſum actus, ad alterius religionis caſtra deficiat: quod quidem aliud non eſt, quàm de certo bono in certum malum inconſultâ curioſitate velle ſe præcipitem dare.

Contrà verò ſi de ſuæ religionis veritate nequaquam eſſe chriſtiano homini ambigendum pronuntiemus, quàm æquo jure actum erit cum Ethnicis, Judæis, & Muhammedanis? Exigent & illi à nobis, quod nos meritò ab ipſis exegimus. Si recuſabimus eo nomine, quòd veritatem à nobis: ab illis errorem ſtare, certò cognoſcimus: iiſdem verbis ſe à nobis expedient, quoties iis eſſe de ſua religione dubitandum indicimus. Aut etiam reponent: certi equidem eſſe poteſtis, omnes vos Chriſtiani, de fide illa, hoc eſt perſuaſione, qua veram eſſe religionem veſtram creditis; at certi eſſe non poteſtis omnes religionem iſtam verè eſſe, qualem vos creditis, niſi prius illam cum reliquis religionibus compoſueritis, vobiſque conſtet, eam à ratione minimè abhorrere, atque inſuper auctoritate divina fuiſſe conſtitutam. Et cur tantùm vobis à dubitatione timetis,ſi tam firma eſt ac aperta religionis veſtræ veritas? Illi paveant, qui in errore verſantur, eoque ſtultitiæ devenerunt, ut grave ducant,ſe ab erroris ſervitute liberari, & ad regnum veritatis perduci.

Ut iſti controverſiæ fiat ſatis, ſimulque inveſtigandi veri jura ſerventur atque avertantur perdendi pericula, memoria repetendum eſt, quod præcedenti Capite diſſeruimus; nempe rudes atque ignaros dubitare non debere de veritate rerum, quas doctiſſimi & ſapientiſſimi viri ſemper tradiderunt ac tradunt. Secundò poſſe quemlibet honeſto fine ſibi dubitationem creare vel de evidentiſſimis rebus,non quòd earum veritatem ſuſpectam habeat,ſed ut earum cauſas & rationes & veritatem clariùs reſpiciat. Hoc autẽ nõ doctis ſolùm & ingenioſis hominibus, ſed & imperitis ac rudibus facere licet, modò primi ingeniũ contineant intra limites concordi prudentũ conſilio ſtatutos, reliqui verò ad fideles ſapienteſque Magiſtros dubitationem ſuam conferant, ſeq; illis erudiendos tradant Licitum inquam eſt aliquo modo dubitare ſeu per-

perſcrutari, quàm firmè rationis atque auctoritatis principiis innitatur ſua lex, dummodo id homines præſtent, intellectûs ſui illuſtrandi gratiâ, atque dum id præſtant, à ſe certitudinem illam nondum rejiciant, quam de legis ipſius veritate ante conceperant, & dummodo inſtrumenta ad rectè judicandum neceſſaria in id opus adhibeant. Ità fiet, ut nobiliſſimum fidei donum, quo à Deo per ſacrum Baptiſma donantur Chriſtiani, vel in ipſa dubitationis ſpecie ſervetur intactum, & Chriſtianæ Religionis veritas magìs eluceat, & fortiùs confirmetur in hominum mentibus.

Neque dicant Ethnici, aut Judæi, aut Muhammedani, levia nos à noſtris petere, poſtquam gravia ab ipſis petierimus. Volumus æquis rationibus cum illis agere: non alium in finem, non aliis conditionibus eos de ſua religione dubitare volumus, quàm dubitaturi ſint Chriſtiani. Nam vel ex hujuſmodi cauta dubitandi forma, certum nobis eſt, conſecuturos eſſe contrarios quidem, ſed optimos effectus utrinque, quando ſinceris animis examen habeatur, & media ſtet ratio liberum prolatura judicium. Scilicet Chriſtianus quilibet tunc arctiùs in ſua religione firmabitur, atque ad eam contra inimicos tuendam aptior validiórque efficietur; quod ſanè omnibus Chriſtianis ſuadet S. Petrus in Epiſt. I 3. ità ſcribens: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe.* Reliqui verò hucuſque à Chriſto alieni, aut mentem victam ad Evangelii leges convertent, aut tacitè oſtendent, ſe ab una pervicacia ſeu terrena cupiditate, aliiſve parum honeſtis cauſis, detineri, ne ſanctæ Chriſtianorum religioni ſuum dent nomen, & animum.

Atque hoc profectò eſt peculiare iſtius legis decus ac prærogativa, ut ipſa ſit, non dicam credibilis ſupra cæteras, ſed una ſit evidenter credibilis, & conſentanea æquitati naturæ atque rationis. Quamobrem inquirantur, ut lubet, ejus fundamenta ac principia. Nullum planè ibi dogma occurrat, quod rectæ rationis ſuffragio non comprobetur, atque laudetur. Nonnulla quidem Myſteria ibi traduntur de natura ac voluntate divina, quæ aut captum humani intellectûs excedunt, aut perfectè intelligi, dilucidéque exponi non poſſunt. Verùm hæc ipſa non contra rationem, ſed ſupra rationem eſſe, omnes intelligent. Neque mirum, quod finita potentia in infiniti Dei capienda atque explicanda natura aliquantum deficiat. Illud præterea omninò exploratum eſt, nos iſta credere, eò quòd

ab ipſo Deo de ſe teſtimonium ferente revelata ſunt, & novimus à Deo revelata fuiſſe; & quandoquidem rationi minimè iſta repugnant, propterea quoque à ratione recta incunctanter probantur.

Quod eſt ad auctoritatem divinam, tantus ſignorum rationúmq; concentus in Chriſtianam Religionem confluit, ut illam niſi impudenter negare nequeas à Deo conſtitutam. Etenim ejus fundator Chriſtus compluribus Prophetarum oraculis prædictus antea fuerat, eáque proſtant in libris, quos Judæi, inimica Chriſtianorum natio, à tot ſæculis venerantur. Accedunt planè cœleſtis vita, ac mores Chriſti, & manifeſta atque innumerabilia miracula, quibus tum ille, tum ejus ſectatores virtute ab ipſo acceptâ iſtius religionis veritatem confirmârunt. Ad hæc puritas & ſanctitas dogmatum, legúmque ad mores ſpectantium rectitudo, quibus nulla alia Religio, æquè ac Chriſtiana, homines ad cuncta virtutum officia impellit, atque à terrenis ad cœleſtia & ſpiritualia perducit, docétque non ſolùm credere digna de Deo, ſed etiam dignè colere Deum optimum, maximum. Præterea non ad inſtituentium commodum, aut emolumentum & gloriam propoſita fuit; non vi propagata per totum fermè terrarum orbem; ſed ab idiotis viris primùm deprædicata, tum immenſo rationum pondere, tormentorúmque incredibili tolerantiâ à doctiſſimis viris, fortiſſimíſq; Martyribus propugnata fuit: quibus tametſi ardua quædam rationi humanæ proponentibus, & voluntati non ſenſuum oblectamenta, voluptatéſque, ſed legem crucis, excidiúmque cupiditatum indicentibus, nihilominus tandem ceſſit non paucorum Judæorum pertinacia, & immanis aliorum populorum numerus. Hæc atque alia complura ſigna, ſeu motiva credibilitatis, ut vocant, latiſſimè ab iis pertractata, qui de Chriſtianæ Religionis veritate agunt, niſi illam à Deo eſſe, illíque prudenter eſſe credendum, evidenter probant, fortitérque perſuadent: quid aliud exſpectes? Certè nulla alia religio tanto ſignorum conſenſu Deum ſibi vendicet auctorem: & ſiquidem habenda eſt aliqua religio (utì procul dubio habenda eſt) certè Chriſtianam, cujus *teſtimonia credibilia facta ſunt nimis*, longè eſſe reliquis præferendam, qui non videt, nihil videt.

Cùm verò à tot ſæculis floruerint, ac floreant apud nos accurata omnium doctrinarum, & præcipuè divini cultûs, veræq; religionis ſtudia, & cùm quidquid unquam Theologia & recta ratio docuit, cùm ad veteris novíque Teſta-

menti

menti interpretationem & confirmationem, tum ad morum diſciplinam, atque intellectûs voluntatíſque humanæ perfectum regimen, totum id non minori pietate quàm eruditione ac ingenio ab eximiis Chriſtianis pertractatum, literíſque etiam conſignatum fuerit, & etiamnum ex inſtituto pertractetur, ac diſputetur in eorum Scholis atque Eccleſiis: hinc eſt, quòd rudè Chriſtianorum vulgus eximatur à præcepto, quod prudentia unicuique injungit altius inquirendæ veritatis in potiſſimo religionis negotio, hoc eſt perpendendi prima illius fundamenta & principia. Imprudenter ſanè & crudeliter exigas, ut quilibet è populo Theologiæ, linguis variis, atque aliis compluribus diſciplinis det operam, quæ neceſſariæ ſunt ad explicandas divini Inſtrumenti Scripturas, & ad inſtituendum exquiſitum de religione examen. Fecerunt id ſtudioſiſſimè, & quotidiè faciunt innumerabiles Eccleſiæ Paſtores, atque Doctores. Igitur dum tot, ac tales anteſignanos (ut alia omittam nobis, non aliis faventia) Chriſtiana plebs ſequitur, imprudens ſit, qui illam imprudentiæ accuſet.

Sed non idcirco omnes Chriſtianos ab hujuſmodi onere eximimus. Arbitramur enim, ſacros Eccleſiarum Miniſtros & omnes, quibus erudienda creditur plebs Chriſti, debere diligenter inquirere & noſcere Chriſtianæ Legis fundamenta ac principia, neque hujus tantùm veritatem, ſed & reliquarum falſitatem habere perſpectam. Tum etiam magìs id neceſſarium ducimus, cùm Chriſtianus populus in gentilium, aliarúmque ſectarum vicinia conſtitutus eſt, & aut occaſio fert, aut caritas ſuadet, pugnandum ſæpè numero eſſe non minus contra ſuperſtitionem, quàm pro religione legitima. Quando enim, ut diximus, populo Chriſtiano fas eſt conquieſcere in ſapientia, fide, pietate tot Majorum ſuorum, doctrinam à Deo revelatam, rationiſque ſuffragio probatam tradentium, ſi fortè populo eidem dubitationes injiciantur, ſive occurrant, aut ſi ab hoſtibus impugnetur Chriſtianæ Legis veritas: quis hæreditatem ſanctam in tuto collocabit? Eſt id Paſtorum procul dubio, quibus cura gregis demandata fuit. At quî periculum à grege avertent, ubi præ ignorantia ne ſe quidem expedire poſſint ab inſtantibus lupis? Quocirca cùm non in alium finem magiſtri & Duces dati ſint populo Dei, niſi ut illum doctrinâ ſanâ imbuant, & in veritate confirment, & ab erroribus arceant: vires etiam ſibi parent neceſſe eſt, quibus muneri inſtitutóque ſuo reſpondeant.

Digitized by Google

Manifeſtum autem eſt in hanc rem Apoſtoſtoli præceptum. *Oportet enim*, inquit ad Tit. cap. I. *ut Epiſcopus potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* In II. verò ad Tim cap. 4. *Prædica*, inquit, *verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina &c.* In eamdem ſententiam loquuntur SS Patres & Concilia. Quam certè legem, ſi ad omnes cujuſcumque gradûs Paſtores in Chriſtiana Republica extendemus, nimis ſeveri non erimus. Singulorum enim eſt gregem paſcere ac tueri. Quod quidem præſtari etiam poſſe per ſubſidiarios & mercenarios non negaverim Sed tum demum laudabiliter præſtabitur, cùm Paſtores deligendis optimis mercenariis ſint apti, ac intenti; & ipſi quoque ad curam gregis conferant diligentiam ſuam, doctrinam, ſapientiam. atque pietatem, ne ſi ſolo Paſtoris nomine & honore contenti ſint, ex ignorantia & deſidia mentem fruſtrentur ſummi omnium Paſtoris Chriſti.

CAPUT V.

An ad ineundam Religionem veram Auctoritas præcedere Rationem debeat. Manichæorum jactantia exploditur. S. Auguſtino ſententia hac de re abſurda à Pherepono affictа. Rationes extrinſecæ, ſeu Motiva Credibilitatis adhibendæ ante Fidem, nec exigendæ Rationes Dogmatum demonſtrativæ. Uſus Catholicæ Eccleſiæ hìc laudatus, à qua nemo ſine ratione cedere jubetur. Scire & credere quantùm differant. Miracula, extrinſecæ Rationes. Alia Pherepomi ſomnia putantis, Catholicos olim ſine rationibus exegiſſe Fidem.

EX hactenus dictis conſequitur, rationem atque auctoritatem conſulendas eſſe, eáſque confluere, ut quiſque prudenter aut ſuſceptam ſervet, aut amplectatur religionem veram. Quòd cùm plerique non animadvertant, aut negligant, & ab una hominum fallaci auctoritate ſe duci ſinant; hinc fit, ut tot Provinciæ in antiquis erroribus perſtent, & ad verum Dei cultum nunquam convertantur. Omnium autem maximè Chriſtiana religio auctoritate & ratione ſe niti profitetur; cæteris verò aut unum ex iſtis funda-

fundamentis, aut utraque deeſſe invictis argumentis contendit. Apoſtoli, eorúmque ſucceſſores, & SS. Patres, & reliqui Chriſtianæ Reipublicæ Doctores legem hanc non aliis artibus in toto ferè terrarum orbe propagârunt, quam oſtendendo divinitùs revelatam, & rationi conformem, idque rationibus probando, quibus humana prudentia prorſus acquieſcat, niſi carnem audire malit, quàm ſpiritum. Proinde primâ fronte videatur non injuſtâ cenſurâ à Joanne Pherepono argui S. Auguſtinus, quippe qui in libro *de utilitate credendi* perſuadere nititur, Chriſtianam religionem ſine ratione priùs veram eſſe credendam, ut illius veritas ratione poſtea percipiatur. *Vera religio*, inquit ibi Auguſtinus Cap. 9. *niſi credantur ea, quæ quiſque poſtea, ſi ſe bene geſſerit, dignuſque fuerit, aſſequatur atque percipiat, & omnino ſine quodam gravi auctoritatis imperio iniri rectè nullo pacto poteſt.* Auguſtini ſententiam Phereponus in animadverſione ad eumdem librum pag. 596. his verbis inſectatur: *Quo argumento probare poterat, priùs eſſe quædam ſine ratione (nam hoc debet intelligi) credẽda, quæ poſtea perciperentur? Quis mendaciorum & fabularum Propola non potuit ſimilia exigere: & poſtea dicere, ſi quis commenta ejus rejeciſſet, eum fuiſſe indignum, qui ea adſequeretur? An non Judæi & Ethnici Chriſtianis, contra ſe ratiocinantibus, talia reponere poterant; eſſe credendum, non ratiocinandum?* Tum oſtendere pergit, non injuriâ petere poſſe homines ad Chriſti fidem convertendos, ut hujus fidei veritas rationibus ante vera probetur, quàm vera credatur. Aliter præpoſtere agi; nullámque ſuperſtitionem eſſe, ad quam pertrahi non poſſunt homines, ſi obtineat opinio Auguſtini.

Verùm enim verò Phereponus ineptam Auguſtino ſententiam affinxit, eíque contigit, quod reliquis, qui cùm in hoſte quærant, quod criminentur, errores & culpas deprehendunt, quas tamen non hoſtis ſæpè admiſit, ſed Cenſoris livor incautè ſomniavit, atque creavit. Nos æquiore animo Auguſtini mentem inveſtigantes palam faciemus, nihil æquius ab Auguſtino ſuaderi atque exigi potuiſſe, quàm quod ipſe à Manichæis exigebat; & ſimul quodnam ſit rationis pondus, & quî ratio procedere debeat in religionis negotio, oſtendemus. Utì diximus, religio vera ab authoritate, ſive revelatione divina, deſcendere debet. Cùm Deus nolit ſingulos per ſe alloqui homines, eíſque religionem veram mirandum in modum cōmunicare: neceſſe eſt, ut iſti ad rationis conſilium, & ad auctoritatem quoq; humanam confugiant, per quæ ſubſidia de divinæ reve-

revelationis veritate certi efficiantur. Ipſa humana auctoritas, quanquam multum polleat, ad rationis tribunal & examen trahenda eſt, noſque è rationis conſenſu, ſive diſſenſu, illius vim, aut infirmitatem dignoſcimus. Rurſus ratio duplici viâ nos ad cognoſcendam veritatem divinæ revelationis perducere poteſt; vel per demonſtrationem, & argumenta intrinſeca, vel per credulitatem, & perſuaſionem prudentem, hoc eſt per extrinſeca argumenta.

Manichæi magnificis verbis homines ad religionem invitabant, polliciti ſe omnia illius myſteria & dogmata demonſtraturos eſſe evidenter cum veritate concordia, priuſquam ab aliquo fidem exigerent. Scilicet, ſi pollicitationem ſequebatur effectus, poterant homines primò per rationem, ſive per intrinſecas rationes, intelligere, veram eſſe illam religionem, quam ſubinde per fidem credituri erant, ita ut fidei fundamentum foret ipſa ratio. Contrà Catholici contendebant, priùs eſſe credendum per fidem, ut poſtea per rationem, & per intrinſeca argumenta, intelligi ardua quædam religionis myſteria & dogmata poſſent. Quam quidem rationem pertrahendæ gentis ad veram ſapientiam ambitioſiſſimè deridebant Hæreticorũ omnium ſtultiſſimi Manichæi, non aliter ad tantam rem procedendum rati, quàm nihil credendo, niſi rationi priùs inſtrinſecè conſtaret veritas per explicationem omnimodam, atque evidentem demonſtrationem omnium dogmatum, atque myſteriorum.

Totus eſt Auguſtinus ut oſtendat, quàm injuſta flagitarent Manichæi, quàm juſta Catholici. Primò, quia ne ipſi quidem hæretici promiſſa præſtabant. *Plus enim*, ut ait cap. 1. Lib. de Util. cred. *in refellendis aliis diſerti & copioſi erant, quàm in ſuis probandis firmi & certi.* Et cap. 6 affirmat, eorum Auditores *falſa pollicitatione rationis inaudita millia fabularum credere & colere fuiſſe coactos.* Ipſos item Magiſtros ineptiſſimos fuiſſe in reddenda ratione, ſuiſque doctrinis confirmandis, tradit lib. contra Epiſt. Manichæi cap. 5. & cap. 14. Immo id oſtendit in reliquis ſuis adverſùs eos Hæreticos lucubrationibus. Secundò, quia & ipſi Manichæi ante omnia hortabantur auditores ſuos, ut Chriſto crederent, atque in hoc ſequerentur auctoritatem Eccleſiæ Catholicæ. Quo facto, pollicebantur ſe expoſituros, verúmque eſſe demonſtraturos, quidquid dixerat Chriſtus, & in Scripturis habebatur Manichæo calculo probatis. Tertiò, cùm dviina quædam Myſteria & Dogmata vim & captum intellectus humani ex-

cedant, & ſint non quidem conrra rationem, ſed ſupra rationem : ideo Catholici aiebant, per fidem ſternendam eſſe viam rationi, ut hæc in alta atque obſcura, impetrato per fidei obedientiam cœleſti auxilio, poſtea penetraret. Quartò, oſtendebant Catholici, etiamſi Myſteria divina & ſacræ Scripturæ humanis viribus intelligi poſſent, paucorum tamen hominum eſſe rationes intrinſecas capere, quibus mens ad certam cognitionem rerum omnium divinarum perducatur. Num ergo cæteris hominibus, qui tam ſereno ingenio, tam vivido intellectu, præditi non ſunt, idcirco neganda aut differenda religio, neque per fidem ad verum credendum ſunt ii pertrahendi? Si hoc ſtatuamus, tunc rudes & craſſâ minervâ afflati, arbitrantes non ſine rationibus & demonſtrationibus eſſe credendum, nunquam ad veram religionem pervenient, quia nunquam obſcura & ardua quædam religionis arcana ſatis ſint intellecturi. Tandem, ut alia prætercam Auguſtini argumenta, Chriſtus ipſe non aliâ ratione homines ad ſe pertraxit, nihil prius, nihil fortius exigens, quàm ut ſibi crederent, cùm tamen illi nôdum eſſent idonei ad divina percipienda ſecrata. Neque ſecus ad noſtra uſque tempora actum fuit in Eccleſia Catholica; & porrò ſecus agere periculoſum eſt, aut certè exiguum afferet fructum. *Hæc eſt*, inquit Aug. cap. 10. de Util. cred. *providentia veræ religionis. Hoc juſſum divinitùs. Hoc à beatis majoribus traditum. Hoc ad nos uſque ſervatum. Hoc perturbare velle atque pervertere, nihil eſt aliud, quàm ad veram religionem ſacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec ſi eis concedatur, quod volunt, poſſunt quò intendunt pervenire. Cujuſmodi enim libet excellant ingenio, niſi Deus adſit, humi repunt. Tunc autem adeſt, ſi ſocietatis humanæ in Deum tendentibus cura ſit. Quo gradu nihil firmius in cœlum reperiri poteſt.*

Sed hactenus deducta dubitationi lectoribus eximendæ ſatis non ſunt. Nondum argumenta Phereponi dejecta, nondum ejus error detectus. Cùm audiunt lectores, veterem Chtiſtianorum Rempublicam, & Auguſtinum poſcere, ut ad veram religionem accedentes primùm ſine ratione credant, facturi ſibi gradum etiam ad intelligenda religionis myſteria non continuò opinentur, iis imperatam eſſe fidem ſine ulla omninoratione. Exigebatur, ut veram crederent Chriſti legem? ſed ſimul credendi rationes exponebantur, quibus ducti homines prudentiſſimè veram crederent. Rationes autem iſtæ erant, quæ nunc in Scholis ſigna ſeu motiva credibilitatis, ap-

appellantur, extrinſecæ quidem rationes, ſed propoſito fortiſſimè probando omnium conſenſu idoneæ. Nos aliqua ex his argumentis ſuprà attigimus Proponebantur infideli unà cum divinis utriuſque Teſtamenti libris myſteria & dogmata Chriſti, atque etiam explicabantur. At parcebatur intrinſecis rationibus, quæ difficiles plerumque ſunt, ac intelligi nequeunt, niſi poſt longum ſtudium, & peculiari auxilio Dei, quod per fidem divinitùs infuſam, & per Baptiſmatis gratiam ſperare deinde fas eſt. *Ego*, ait Auguſtinus cap. 14. *credere ante rationem, tùm percipiendæ rationi non ſis idoneus, & ipſa fide animum excolere excipiendis ſeminibus veritatis, non ſolùm ſaluberrimum judico, ſed tale omnino, ſine quo ægris animis ſalus redire non poſſit.* Sacerdotibus Chriſti fidem prædicantibus inter Infideles, non Theologiæ Baccalaureos, ut barbaro utar vocabulo, ſed Chriſtianos facere animus erat. Præviis igitur argumentis efficacibus credibilitatis movebantur Infideles ad credendum, veram eſſe Chriſti religionem. Quo fundamento poſito: cognitâque veritate revelationis divinæ, quidquid poſtea ab iſta cœleſti religione propoſitum erat atque explicatum, etſi non intelligeretur, etſi intrinſecæ cauſæ & rationes non afferrentur, aut ſatis non caperentur, verum credebatur, & credendum erat, quippe à Deo mentiendi impotente in ea vera religione traditum. Ita extrinſecæ rationes animum inſtruebant ad fidem; miſericordia autem Dei animum ita inſtructum ad baptiſmum, & ad cœleſte fidei ſalutaris donum perducere ſolebat, Animus tandem divinâ gratiâ imbutus, ad obſcura & abdita myſteria & dogmata intelligenda, quantum creatæ menti licet, efficiebatur aptiſſimus.

Quod itaque in Catholicis criminabantur Manichæi, nihil aliud erat, quàm iſtud præcipere fidem ſine prævia demonſtratione, ſine rationibus intrinſecis, evidentiuſque dogmatum omnium atque myſteriorum probatione. Id importune à Manichæis exigi, quin etiam parum piè, atque imprudenter exigi, Auguſtino præeunte, didicimus. Satius enim erat, ac tutius & expeditius, ad religionem adducere homines per motiva credibilitatis, hoc eſt, per extrinſecas rationes. Ad hæc animū Phereponus non advertens, ubi audiit, Manichæos rationem petere ante fidem, Auguſtinum verò in contraria eſſe ſententia, tum cenſuit ſine ullis rationibus præviis impoſitum ab Eccleſia Catholica credendi jugum futuris fidelibus. At amabò, quid aliud Auguſtinus in Manichæis damnat, quàm quòd ante

ante fidem *rationem ſe de obſcuriſſimis rebus pollíceantur reddituros*, utì Cap. 9. ait: Secundò, quòd *credendum negent, niſi indubitata ratio reddita fuerit &c. Et niſi apertiſſimam rationem ſtultis de Deo protulerint, nihil credendum eſſe contendant*? Nihil ergo aliud probare Auguſtinus contendit, quàm prudenter credi poſſe ac debere, vel antequam ratione, & certâ cognitione, divina quædam ſecreta & ardua quædam ac obſcura myſteria intelligantur. Nónne ad ritè prudentérque veram religionem ineundam, ſatis eſt, ſi externis argumentis, quæ multa atque efficaciſſima habet ſola Chriſti religio, ad credendum ducaris? Ubi enim tibi conſtitit, veram eſſe aliquam religionem, tibi etiam conſtat, nonniſi vera in ea contineri, tametſi per demonſtrationem veritas ſingulorum tibi nondum perſpecta fuerit. Auguſtinus ipſe, quibus rationibus permotus fuerit, & quibus reliqui permoverentur ad amplectendam Chriſti legem, prodit in ipſo libro de Utilitate credendi Cap. 14. dum ſignificat; ſe Chriſti moram in terris credidiſſe *populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ. Famæ*, inquam, *celebritate conſenſione, vetuſtate roboratæ*. Deinde Cap. 16. partim admirandis Chriſtianæ religionis prodigiis, quæ nemo niſi impudens neget, partim credentium multitudine, quæ Auguſtini tempore ſe latiſſimè per ingentia terrarum ſpatia effundebat, moveri nos ad credendum ait: *Homini non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique ſe ſinat auctoritas præſto eſt, quam partim miraculis, partim multitudine valere, nemo ambigit.* Sequenti autem capite pleraque credibilitatis motiva enumerat, quibus Infideles adducti prudenter credere jubebantur, noſtríſque etiam jubentur temporibus. *Hoc factum eſt*, inquit, *divinâ providentiâ per Prophetarum Vaticinia, per humanitatem doctrinâmque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his univerſis, digna rebus tantis, atque virtutibus, pro temporum opportunitate miracula.* En argumenta, en rationes, quæ ab Infidelibus fidem impetrabant, priuſquam certâ & internâ demonſtratione, ſive cognitione, intelligerentur omnia divinæ legis documenta atque myſteria. Hinc Auguſtinus dicere pergit: *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam mi-*

raculorum majeſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Alia hujuſmodi argumenta extrinſeca, quæ Auguſtinum in Eccleſiæ Catholicæ gremio tenerent, luculentiùs ab ipſo recenſentur in lib. contra Epiſt. Manichæi Cap. 4.

Nunc ergo accedat Phereponus, & dicat pag. 596. Animadv. *Quis mendaciorum & fabularum Propola non potuit ſimilia exigere? An non Judæi & Ethnici Chriſtianis contra ſe ratiocinantibus, talia reponere poterant: eſſe credendum, non ratiocinandum?* At quis mendaciorum Propola, quis Ethnicus, aut Judæus tot ac tanta motiva credibilitatis afferre poterat, aut poſſit, quibus probet ſuam religionem divinitùs inſtitutam, aut à Deo ſemper in priſtinis legibus & ritibus conſervatam, quot & quanta producere potuit, & poteſt Chriſti religio? Non ergo ſibi timere debebat Auguſtinus, immo Catholica Eccleſia, ſi credendum priùs eſſe monebat, quàm intimè evidenter omnia intelligerentur; nam reliquæ religiones tantâ vi, tanto numero & concentu argumentorum carent, quibus fidem exigant ante rationem. Propterea extra oleas Phereponus fertur, cùm in reliquis animadverſionibus ſuis Auguſtino minatur, & flagra intentat, quaſi hic nullâ ratione prolatâ, Chriſto, ejúſque religioni, & Sacerdotibus, credendum eſſe moneat. *Qui credit* (ſunt Phereponi verba pag. 597.) *veram aliquam eſſe Religionem, ſeu Deum coli velle ab hominibus, ſine ulla omnino ratione; aut inſanit, aut ità hebes eſt, ut ab inſanis non multum diſtet. Qui fidem habuit tibi ſinè ratione, idem etiam ſinè ratione, cùm videbitur, tibi fidem detrahet, adſentietúrque æquè facilè Arianis, ſi rerum potiantur, aut etiam, quod deterius eſt, Muhammedanis, quod revera fecerunt Afri poſt Auguſtini tempora.* Non vacat inquirere, cur in Muhammedanam ſuperſtitionem conceſſerit unà cum Aſia & Græcia, ipſa quoque Africa. Hoc unum dicam, temerè pronuntiari, Afros ſinè ratione olim credidiſſe Chriſto, & ejus religionem ſinè ratione didiciſſe, & per aliquot etiam ſæcula ſinè ratione ſervâſſe. Neque in animo eſt perpendere, quot exceptionibus ſubſit, & quot explicationibus indigeat regula illa: *Qui tibi fidem ſinè ratione habet, facilè etiam ſinè ratione tibi fidem detrahet.* Siquidem & Judæorum, & Moslemorum filii ſinè ratione plerumque credunt parentibus, & majoribus ſuis, religionem propriam tradentibus; neque tamen facilè de ſua ſe fide atque opinione dejici patiuntur. Quod ſi id illis contingit, quantò magìs id Chriſtianis continget, & porrò contingere debeat? Qui enim vel ſinè ratione Chriſto credit, & per Baptiſmatis lavacrum reli-

religioni veræ conjungitur, dum id ex animo faciat, & non ſictè credat, eâ cœleſti virtute profectò donatur, quæ illum vel ſinè ratione in fide conſtantiſſimum continere poſſit.

Hæc, inquam, miſſa faciamus, & certa ſit undequaque Phereponi ſententia, imò non aliud ſit, quàm quod habetur Cap. 19. Eccleſiaſt. *Qui citò credit, levis corde eſt.* At quid rei hæc habent cum Eccleſiæ Catholicæ diſciplina, quæ à Chriſto ad noſtram uſque ætatem ſanctiſſimam religionem propagavit, tot rationibus, causíſque propoſitis, cur Sacerdotibus ſuis, & Chriſto credendum foret? Bardos planè ſtupidóſque neceſſe eſt, faciat exiſtimétque Phereponus tot populos ingenii famâ alioqui celebres, qui ſeſe ad Chriſtum hucuſque adjunxerunt, ſi aliter eos cenſet Chriſtianæ religioni conſenſiſſe, neque iis, antequam crederent, fortiſſimè perſuaſum putat, jure fuiſſe credendum. At, inquit Phereponus, non rationi, ſed Sacerdotibus fidem exigentibus credendum eſſe Auguſtinus monet. Id juris ſi ſibi arrogent Sacerdotes Ethnici, & eadem, quæ Auguſtinus habet de utilitate credendi, Chriſtiano occinant, quid reſponſi dabimus? Intoleranda ab iis peti, Chriſtianus exclamabit. *Ne ergo,* ſubdit Cenſor, *bona ratiocinatio habeatur in Africa Chriſtiana, quæ Paralogiſmus fuiſſet ad ortum Euphratis.* Si ſinè ullis omnino rationibus Chriſtiani Antiſtites ſibi adhibendam fidem dixiſſent: ferri utcumque poſſet iſta Phereponi percunctatio. Verùm, ut vidimus, aliter ſeſe res habuit. Præter animum non fictum adferebant Chriſtiani Sacerdotes rationum pondus, quibus evidenter credibilem eſſe religionem ſuam probarent, vel non intellectis evidenter ſingulis ejus dogmatibus atque myſteriis. Manichæi verò ità obfirmatis animis pugnabant, ut neque Sacerdotibus Catholicis, quamlibet ſincerè agentibus, neque extrinſecis argumentis, quamlibet fortiſſimis, eorum ex parte productis adjungere fidem vellent, & adjungendam præfractè negarent, niſi certâ cognitione atque intrinſecis rationibus prius intelligerent, & vera eſſe evidenter cognoſcerent omnia divinæ legis myſteria atque documenta. Itaq; ſpontè evaneſcit inter Chriſtianos atque Ethnicos Sacerdotes inſtituta comparatio.

Cùm verò Auguſtinus Cap. 12. lib. de Utilit. cred. quæſiiſſet: *Quomodo, ſi quod neſcitur, credendum non eſt, ſerviant parentibus liberi, eoſque mutuâ pietate diligant, quos parentes ſuos eſſe non credant?* Phereponus inſurgit, & hæc planè diſſi-

Digitized by Google

milia eſſe pronuntiat. *Nam parentes,* ità ſcribit, *& alii ſcire poſſunt, & revera ſciunt, quinam ſint ſui, & certorum hominum liberi; nec ullâ utilitate ducuntur, ſaltem plerumque, ad ſupponendos ſibi alienos liberos. Sed Sacerdotes, qui volunt ſibi credi de religione, ejus veritatis non ſunt magis conſcii, quàm alii homines, ſi rationibus ſunt deſtituti, & plerumque non ſine magna utilitate ſua ſuum gregem augebant.* At hoc ipſum exemplum dilucidè oſtendit, quod hactenus de quæſtione iſta non perſpexit Phereponus, qui tametſi criticæ artis magiſter moneri ſe patiatur, ut quando ad aliorum cenſuram fertur, diligentiùs eorum opera legat, mentémque ſcrutetur. Tria eſſe dixerat Auguſtinus Cap. II. *Intelligere, credere, opinari. Intelligere* idem eſſe ac *ſcire,* ſeu *aliquid mentis certâ ratione tenere ſtatuit.* Tum hæc addit: *Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati, quod opinamur, errori.* Ut autem oſtendat, falli Manichæos, qui dicunt, *nihil eſſe credendum, niſi quod ſcimus,* liberorum exemplum adducit, qui procul dubio mentis certâ ratione & per demonſtrationem ſcire ac intelligere nequeunt, ſuos eſſe parentes, quos ut tales diligunt & colunt, & tamen piè prudentérque tales eſſe credunt, quia auctoritate, hoc eſt, argumentis & rationibus extrinſecis ad ità credendum atque agendum moventur. *Credimus,* inquit, *& ſine ulla dubitatione credimus, quod ſcire non poſſe confitemur.*

Quid nunc rei tam certæ objicit Phereponus? *Parentes,* ait, *& alii ſcire poſſunt, & revera ſciunt quinam ſint ſui liberi.* At ut præteream, ne ipſos quidem parentes id *ſcire* interdum poſſe per *ſcientiam certámque mentis cognitionem,* quo ſenſu Auguſtinus hîc *ſcire* accipit: numquid liberi per rationes intrinſecas, & per ſcientiam noſcunt parentes ſuos? Non hercle. *Non enim ratione* (ut ipſis Auguſtini verbis utar) *ullo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſitâ matris auctoritate de patre creditur; de ipſa verò matre plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius poteſt, aliuſque ſupponi, nonne poteſt decepta decipere?* Sed, inquit Phereponus, hoc exemplo probare vult Auguſtinus, credendum quoque eſſe Chriſtiano Sacerdoti ſine ratione, cùm tamen hæc ſint planè diſſimilia. At quandonam ſomniavit quiſquam, liberos ſine ulla omnino ratione credere, hunc aut illum eſſe parentem ſuum? Illud ergo exemplum in eum tantummodo finem Auguſtinus adfert, *ut oſtendatur, nihil omninò humanæ ſocietatis incolume remanere, ſed nihil credere ſtatuerimus, quòd non poſſumus tenere perceptum,* hoc eſt, cujus certa non habeatur ſcientia. Nimirum inter Auguſtinum

&

Digitized by Google

& Manichæos vertebatur iſta quæſtio utrùm ſcilicet credi quædam prudenter poſſent, atque deberent per ſola credibilitatis argumenta, an verò neceſſe foret earum rerum ſcientiam prius habere, ut prudenter deinde crederentur. Nemo neget, quin liberi veriſimilibus rationibus ducti prudenter credant, & credere debeant parentes ſuos. Nemo etiam negare audeat, quin Infideles auditis dumtaxat motivis, ut ajunt, credibilitatis, credere prudenter poſſint ac debeant Sacerdoti Chriſtiano, quamvìs internas quorumdam divinorum dogmatum rationes nequaquam proponenti. Diſſimilia autem ſunt hujuſmodi exempla, ſed contrariâ atque aliâ ratione, quàm Phereponus cenſet. Liberi enim facilè in credendis parentibus ſuis, ut liquet, falli poſſunt; Infidelis verò in credendo Sacerdoti tot credibilitatis argumenta adferenti, ſi rationem conſulat, ſentit ſe falli non poſſe, etiamſi Sacerdos ille ad utilitatem quoque propriam eo in negotio reſpiceret: quod tamen quàm modeſtè, quàm verè, à Pherepono Chriſtianis Sacerdotibus affingatur, ipſe viderit. Tanta quippe eſt eorum argumentorum vis, quibus credenda oſtenditur Chriſtiana religio, ut eam non ſolùm prudenter, & ſinè difficultate credere quiſque poſſit, ſed etiam difficillimum ſit homini iis auditis temperare à credendo. At Phereponus ſibi temerè perſuadet, ſine ullis omnino rationibus olim Sacerdotes fidem præcepiſſe, dum nequaquam intelligit, quid *ſcire* hoc loco ſit Auguſtino. Poterat tamen ipſe ex iis, quæ retulimus, abundè perſpicere, & partim etiam perſpexit in eodem Cap. 14. ſed qui extra orbitam cucurrerat, ſe in viam revocare non valuit.

Diſciplinam Eccleſiaſticam de exigenda fide ante rationes intrinſecas exemplo Chriſti confirmabat Auguſtinus, inquiens eum nihil prius, neque fortius, quàm credi ſibi voluiſſe. *Fide*, ait, *ille ſtultos ducebat; vos ratione ducitis. Laudabat credentes ille; vos objurgatis, &c.* Hîc Phereponus ſuas obtrudit notas, oſtenſurus egregia morum præcepta & miracula duas graves fuiſſe rationes, quibus divinus ille Magiſter ſibi conciliabat fidem, quamvìs Judæi non intelligerent, quæcumque dicebat. At rogo quid novi adfert eruditus Cenſor? Nónne & Auguſtinus ibidem hæc habet: *Quid enim aliud agunt tanta & tam multa miracula ipſo etiam dicente illa fieri non ob aliud, niſi ut ſibi crederent?* Quare ergo non intellexit aliquando Phereponus, ſatìs eſſe poſſe ad prudenter credendum religioni Chriſtianæ argumenta credibilitatis, eáque argumenta antiquis Chriſtianis in

 creden-

credendo, & in prædicando Infidelibus Evangelio familiaria fuiſſe? Ipſe Chriſtus cauſas & rationes intrinſecas altiſſimorum quorumdam dogmatum non attulit; & tamen ut ſibi crederetur, inſtabat. Sola miracula, quæ nemo alius fecerat, pro ratione erant, eorumque gratiâ prudenter aſſentiri Chriſto poterant immo debebant Judæi. Miracula autem non intrinſecas eſſe, ſed extrinſecas rationes, ad probandam doctrinæ veritatem, manifeſtè conſtat. Prætera Phereponus hinc diſcere debuit, excipiendum cum riſu fuiſſe exemplum Chriſti àCatholicis adhibitum, ſi iſti non ſolùm ſine intrinſecis, ſed etiam ſine extrinſecis rationibus poſtulâſſent, ut ſibi crederetur, quando ipſe Deus Filius non aliter fidem præceperit, quàm præmiſſis ingentibus prodigiis, hoc eſt graviſſimis rationibus extrinſecis, quibus tutò deducerentur Judæi ad credenda illa etiam, quæ ſatis non intelligerent. Videat igitur Cenſor, quàm rectè in hæc verba concludat: *Itaque non potuit Auguſtinus exemplo Chriſti uti, ut probaret Eccleſiam Catholicam jure ſibi ſine ratione credi poſtulare.*

Itidem ex aliis quoque Auguſtini Libris, quæ Catholicorum atque ipſius Auguſtini mens & conſuetudo foret, colligere Phereponus poterat, niſi figmentum ſuum nimis amâſſet, ex quo exercendi ingenii cenſorii tam bella occaſio ſuboriebatur. Inquit autem Auguſtinus in Lib. de vera Religione cap. 34. *Ipſa quoque animæ medicina, quæ divinâ providentiâ & ineffabili beneficentiâ geritur, gradatim diſtinctéque pulcherrima eſt. Diſtribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas* [videlicet argumenta credibilitatis) *fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionémque perducit. Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deſerit, cùm conſideratur, cui ſit credendum; & certè ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis auctoritas.* In Ep. 120. cap. 1. aliàs 222. apertiùs exprimit, quæ ſententia foret Eccleſiæ Catholicæ. *Abſit* [ſunt ejus verba) *ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, ſive quæramus; cùm etiam credere non poſſemus, niſi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibuſdam rebus ad doctrinam ſalutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, ſed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, quâ cor mundetur, ut magnæ rationis capiat & perferat lucem: hoc utique rationis eſt*, Quæ verba Phereponus veritatem prorſus conſentientem habere & ipſe adnotavit atque affirmavit; quamvis poſtea fateatur ſe non intelligere, quomodo hæc in concordiâ redigi poſſint cum iis, quæ alibi de auctoritate ab Auguſtino traduntur.

At

Digitized by Google

At nihil homini facilius erat, quando ad ejus libros acceſſiſſet amantis potius quàm inimici animo, & non inſectandi, ſed illuſtrandi tanti viri cauſâ in eum commentarios ſibi conſcribendos ſuſcepiſſet.

Cæterum lepidus mihi videtur Phereponus, cùm veras divinare vult cauſas, cur Auguſtini tempore Fides, ut ille ſomniat, ſine ratione exigeretur. Prima eſt, quòd Chriſtiani *non ſatis erant in Philoſophia Criticáque exercitati, ut Scripturam contra objectiones Manichæorum, aliorumque defendere commodè poſſent. Altera, quòd revera ſibi conſcii eſſent, non pauca à ſe dici planè contraria rectæ rationi; qualia erant tam multa, quæ de gratia & prædeſtinatione, aliiſque dogmatibus iis adnexis, quaſi capite fidei credenda ab Auguſtino proponebantur. Deniq; is ſermo fuit partium jam vires ſuas ſentientium, & multitudine ſua fretarum; quam ſæpè jactat hic Auguſtinus, contemtâ paucitate aliter ſentientium.* En quot criminum poſtulet Eccleſiam Catholicam ſuis hiſce divinationibus Phereponus noſter. Sed ad primam cauſam quod attinet ab eo excogitatam, negamus, ita Critices & Philoſophiæ ſcientiâ deſtitutos fuiſſe veteres Chriſtianos, & potiſſimum Auguſtini tempore, ut commodè interpretari tuerique non poſſent Scripturas ſacras. Proſtant eorum libri, quibus vindicârunt ab Ethnicorum, Manichæorum, aliorúmque hoſtium cenſuris veritatem, & ſanctitatem divinorum codicum. Multi è Manichæis, plures ex aliis Sectis, innumeri è Paganorum ſuperſtitione ad veram Chriſti Religionem perducti (niſi omnes illos inter pecora ſtipitéſque referre volumus) argumento ſunt, non infeliciter neque ſegniter verſatos eſſe veteres Eccleſiæ Catholicæ Præſules & Paſtores in ſacris voluminibus protegendis & rectè explicandis. Secundò dicimus, peculiarem illam Criticã & Philoſophiã, quam expetit Phereponus, ne neceſſariã quidem olim fuiſſe, neque adhuc eſſe, ut quis jure ad Chriſtianã & Catholicam Religionem advocetur, atque impellatur. Satis ſupérque ſunt argumenta, quibus prudenter credibilis, imò evidenter credibilis, oſtenditur Chriſti Religio. Non aliis uſus eſt ipſemet Chriſtus; non aliis ferè ſemper in prædicatione Evangelii uſi ſunt ejus Apoſtoli, atque Apoſtolorum Succeſſores, ceterique Eccleſiæ Catholicæ Doctores. Non aliis utendum contendit Origenes lib. 1. contra Celſum, hominem nempe, qui Pherepono in hujuſmodi accuſatione præiverat. Curæ tot agricolarum, quanquam Philoſophiæ & Criticæ, ſi Phereponum auſcultamus,

ritorum, quanta meſſis reſponderit, ac reſpondeat, nulla non loquitur hiſtoria. An multos ad Chriſtum adducere poſſit, atque adducat præſcripta à Pherepono via, tantúmque ab eo commendata Ars Critica, vident alii. Illud quidem affirmari poſſe reor, ſi homines induxiſſent, aut inducant in animum, tum ſolùm credendum eſſe Chriſto, cùm ſublatæ evidenter fuerint omnes in divinis Scripturis dogmatibúſque occurrentes difficultates, eos aut ſerius quàm par eſt, aut nunquam futuros fuiſſe, & fore Chriſtianos. Rationi feroci, atque admodum curioſæ, ſive etiam infirmæ, nunquam ſatis eſt neque eſt ulla gens tam diſcordiarum ferax, quàm quæ enixam dat operam Criticæ, & de omnibus dubitat, nihilque credendum ducit, niſi quod eſt evidenter probatum. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat, unuſquiſque ſupra alium ſe ſapere arbitratur, & uni ſibi credere novit. Quamobrem tutior, & laudabilior ſemper fuerit ratio prædicandi & perſuadendi Evangelii, quam Chriſtus, quam noſtri Majores hujuſque ſervarunt, & quam fortaſſe non impugnaſſet ipſe Pherepunus, ſi Auguſtini concilium ſententiámque hac de re (quod facile fuit) melius percepiſſet Sed alibi de Critices uſu, abuſu & neceſſitate & de ſcientia Patrum quædam commentabimur.

Quod eſt ad alteram cauſam, nempe ideo à rationibus reddendis ſe abſtinuiſſe veteres Chriſtianos, & Catholicos, *quod revera ſibi conſcii eſsent, non pauca à ſe dici contraria rectæ rationi*: à veritate omnino abhorret. Nonnulla quidem diximus in Catholica Religione tradi, quæ ſupra humanam rationem ſunt, qualia ſunt à Chriſto revelata de Dei natura. At aliqua ibidem tradi, quæ ſint, ſi Superis placet, planè contra rectam rationem, & id non ignorari à nobis, nullus unquam Catholicus, niſi errans, ſibi perſuaſit; nullus niſi ſtultus, ſomniavit. Et queîs, rogo, auctoribus tam deformem ſententiam Eccleſiæ Catholicæ imponit Phereponus? Hæreticos forſitan cùm antiquos tum recentes, quibuſcum & ipſe ſentit & facit, ſui dicti daturus eſt teſtes. Verùm quoniam ex Canone Critico didicit ille, credendum eſſe hoſtibus noſtris affirmantibus, quod nos conſtantiſſimè negamus? Quandoquidem tamen Auguſtinus ipſe accerſitur in hanc eamdem cauſam, oſtendat quæſo Phereponus, eum ſibi conſcium fuiſſe, adverſari rectæ rationi, quæ *de gratia & prædeſtinatione* à ſe proponebantur. Mihi nullũ dubium eſt, quin Auguſtinus hac de re interrogatus nõ ſolùm ſe tam abſurdæ opinionis conſciũ

ne-

negaſſet, ſed etiam invictis rationibus oſtendiſſet, ſententiam ſuam cum recta ratione penitus conſentire, aut ſaltem ab illa non abhorrere. Pro ipſo luculenter reſpondere adhuc poſſunt editi ejus Libri, in quibus unicè probat, nullam aliam, quàm ſuam, & Eccleſiæ Catholicæ, de gratia & prædeſtinatione ſententiam habere conſenſum ſcripturæ atque rationis. Si ille (ſignamus rem à vero longè alienam) in ea fuit opinione, quam Calvini Sectatores eidem tribuunt, non inficiamur, quin contra ipſum recta ratio pugnaret. Sed, hoc etiam poſito, certiſſimum eſt, non advertiſſe Auguſtinum, quantopere hujuſmodi ſententia adverſaretur rectæ rationi. Nam & ipſi Calviniani, qui revera in hiſce quæſtionibus contraria rationi docent, induci non poſſunt ut credant, ſe rationi contraria tradere, atque in tam miſero errore verſari. Deinde prodit ipſe Liber de Utilitate credendi, qualia Auguſtinus ſentiret. *Credere*, inquit is Cap. 11. *tunc eſt culpandum, cùm vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facilè creditur.* Utique fatemur, nihil indignius excogitari de Deo poſſe, quàm quod Auguſtino Calvinus adſcribit: nempe à Deo creari homines, qui antecedenti neceſſitate non ſecus ac fato compellantur ad bonum & malum, & ſubinde ab ipſo Deo propter delicta puniantur, quæ illi non coacti quidem patrarunt, ſed electione & reſiſtendi facultate ſine ſua culpa deſtituti evitare nullo pacto potuerunt. Talia Deum prorſus dedecent, nimiúmque rationi adverſantur. Si verum foret, eam fuiſſe Auguſtini ſententiam in Gratiæ & Prædeſtinationis negotio, quam tradidiſſe ab hæreticis recentioribus dicitur, & conſcius ille ſibi fuiſſet in quot à ratione abſona atque indigna Deo, ſe ſua opinio conjiceret: adeóne mentis inops fuiſſet, ut tunc eſſe culpandum hominem diceret, *cùm de Deo indignum aliquid creditur?* Sed Auguſtinus à Calvino perverſè explicatus, neque indigna Deo tradidit, multóque minus ſibi conſcius fuit, ſe aliquid credere contrarium rectæ rationi.

Denique idem ille eſt Auguſtinus, qui Epiſt. 143. olim 7. hæc ſcribit non ignorata Pherepono, immo aurea jure ac merito ab ipſo appellata: *Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, nam vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimæ certæque rationi velut Scripturarum ſanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit; & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit ſed ſuum potius objicit veritati; nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo velut pro eis invenit opponit.* Idem

etiam Lib.4. de Trin. Cap. 6. præclariſſimè inquit: *Contra rationem nemo ſobrius, contra Scripturas nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit.* Similia habet aliis in locis. Nunc ergo à Pherepono petimus, quâ fronte affirmare poſſit, reverà ſibi conſcium fuiſſe Auguſtinum à ſe tradi contraria rectæ rationi in quæſtionibus *de Prædeſtinatione & Gratia.* Niſi cenſeat Auguſtinum, virum ingenio & memoriâ ad invidiam præſtantiſſimum, ſupinè admodum delirâſſe, aut virum ſummè pium impoſtorem fuiſſe mendaciſſimum, qui aut ignoraret, quæ in animo certa & ſtatuta habebat, aut quædam intimo corde crederet, contraria verò alios decepturus deprædicaret: Hæc, inquam, niſi devorare velit Phereponus, fateri tandem cogatur, Auguſtinum, qui contra rectam rationem ſentiendum eſſe negat, ſibi conſcium non fuiſſe à ſe proponi quædam, quæ ipſam rectam rationem inimicam haberent; ſive, ſi ità Pherepono placet, errâſſe quidem Auguſtinum contra ipſam rationem, ſed ipſum ſe errare non cognoviſſe.

Facilè verò nobis foret oſtendere, ne errâſſe quidem Auguſtinum, neque à ratione abſona prodidiſſe in controverſiis de Prædeſtinatione & Gratia. Sed occupata jam fuit iſta provincia à doctiſſimis inter Catholicos viris, quorum etiam curâ atque eruditione palam factum eſt, quantùm Auguſtini dogmata à Calvinianis diſtent. Illud in præſentia adnotâſſe ſufficiat, ab Auguſtino adhuc Presbytero conſcriptum fuiſſe Librum de *Utilitate credendi.* Eo autem tempore, cùm inter ipſum & Pelagianos, quippe nondum ab ovo eductos, nullæ quæſtiones de Gratia interceſſiſſent: ineptè dicitur Auguſtinus aliena à recta ratione in Gratiæ & Prædeſtinationis argumento propoſuiſſe. Immo tantum abeſt, ut id contigerit; ut nihil prius neq; antiquius tum Auguſtino eſſet, quàm liberum hominis arbitrium à Manichæis defendere, quod poſteà in reliquis contra Pelagium ſcriptis ab ipſo læſum nonnulli perperam opinantur. Teſtis etiam eſt ipſemet Auguſtinus, ſe tum temporis incautè adhæſiſſe opinioni de initiis fidei meritò hominis, non gratiæ Dei, tribuendis, quam poſteà adoptârunt Semipelagiani. Quamobrem cùm liquidò conſtet, eo ſaltem tempore, quo Librum illum ſcribebat Auguſtinus, ab ipſo propoſita non fuiſſe aliena à recta ratione in argumento divinæ Gratiæ: Conſtabit etiam, nihil magis abs re produci à Pherepono potuiſſe, quàm quòd Catholici ideo fidem ante rationem exigerent, quia conſcii ſibi erant, tradi à ſe quædam planè contraria rectæ rationi. Idem

quod de dogmatibus ad Gratiam ſpectantibus dictum eſt, dici & de aliis poteſt, quæ in Catholica Religione rationi rectæ repugnare Phereponus credit, & quæ libenter, ut opinor, hîc quoque memorâſſet, niſi fortaſſe conterraneis ſuis non omnes illius ſententias, non ejus ubiq; licentiam æquo animo ferentibus, parcere conſultius duxiſſet.

Tertia cauſa, quare poſtulabant Catholici, ut rationi anteverteret fides, Pherepono divinante, ea fuit, quòd ii ſuas jam vires ſentirent, ſuáque multitudine freti, aliter ſentientium paucitatem contemnerent. *Ejuſmodi partes*, inquit is, *ac ingenia pati non poſſunt ſibi obloqui pauciores, ſed volunt fidem loquentibus continuò haberi.* Neſcio, an hîc Dordracenam Synodum tacitè carpat ingenioſus Cenſor. Hoc quidem novi, ipſum, quanquam minimè falſa de Catholicis hîc narret, multitudinem ſuam Manichæorum gregi objicientibus non minus tamen quàm anteà in nos contumelioſè agere. Ampliſſima quippe Catholicorum reſpublica ſibi fidem ab Ethnicis habendam eſſe contendebat, non quòd tantummodo loqueretur, ſed quòd, ut vidimus, evidenter credibilia vel ſinè rationibus intrinſecis, loqueretur. Nunquam hùc reſpicere Phereponus didicit. Ubi autem in Hæreticos diſputatur, multitudo quoque ipſa validum præbuit ſemper argumentum dignoſcendæ Religionis veræ. Cùm enim quæritur, quæ inter tot Sectas, quarum unaquæque ſibi veram Chriſti Religionem tribuit, Orthodoxa ſit, & germana Religio: præter alia *Credibilitatis argumenta*, quæ unis Catholicis favent, illud quoque favet, quòd iſti re & nomine Catholici ſint, ſempérque fuerint ab Apoſtolorum ætate. Hoc eſt, quòd per univerſum terrarum orbem diffuſa ſit, & adhuc ex divino munere latiſſimè pateat una Catholicorum Religio: quod hucuſque Hæreſi nulli contigit, neque continget ante ultimi judicii dies, & quando etiam contingere poſſet (quod non concedo) nihil Religionis, quæ hucuſque Catholica fuit, veritati officeret, ut nemo non intelligit. Hæc etiam teſſera ad reliquas accedit, quibus in unum collectis vera Chriſti Eccleſia à falſis atque Hæreticis diſtinguitur; eámque ſapientiſſimè in ſacris Symbolis, in œcumenicis Conciliis, in Patrũ ſcriptis conſtitutam habemus, & ab Hæreticorũ oppugnatoribus efficaciſſimè ſemper adhibitam ſcimus. Sed commodiùs hac de re in ſequentib. Capitib. habebitur ſermo.

Præſenti finem faciemus, ſimul ac monuerimus, Lectorem non hîc tantùm ſed & aliis in locis Phereponum Auguſtino loquenti de *Utilitate credendi* bellũ indixiſſe. Attamen

Digitized by Google

men cùm tam imparatus ad accuſandum venerit, ut quod maximè opus erat, ne ſtatum quidem quæſtionis intellexerit; nullo negotio patebit, quàm imbellia ſint in iſta contentione illius tela, & quàm incautè pugnet, ſi memoriâ repetantur, quæ hactenus conſcripſimus. Quapropter nulla mihi ampliùs cura refellendi ejus animadverſiones in cap 7. Libri de quantitate animæ, & in cap. 2. lib. 1. de libero Arbitrio. Tamen omittendum non eſt, quod ille habet in hunc poſtremum locum. Culpat nimirum, aut potiùs deridet Auguſtinum, quòd ex Iſaiæ cap. 7. hæc verba citârit: *Niſi credideritis, non intelligetis*, iiſque probare contendat, prius eſſe credendum, quàm intelligendum. At iſta Prophetæ verba nihil ad rem facere novus Cenſor exclamat, quippe ab Hieronymo aliiſque rectè translata diverſum reddunt ſenſum, nempe *Niſi credideritis, non permanebitis*, ità ut Prophetici ſermonis ſeries ab Auguſtini mente longiſſimè abſcedat. Pro ſententia Prophetæ, inquit Phereponus, *laudat bonus vir figmentum Græcorum Interpretum, &c. Credidit enim hunc eſſe ſenſum Scripturæ antequam ſciret, an* LXX. *Interpretibus per omnia fidere liceret, aut hunc locum bene eſſe ab iis verſum conſtaret.* Lectorem nolo diu detinere diſputando, an ſuſtineri aliquâ ratione poſſit LXX. Interpretum verſio, cujus ſenſum in his verbis uſurpârunt alii doctiſſimi Patres, & Hieronymus ipſe non improbat. Quæcumque ſit germana eorum verborum ſententia, certum eſt, Auguſtinum rem veram, ut vidimus per ea probare voluiſſe. Verum autem dogma, etſi inutilia ad illud confirmandum congerantur, verum certúmque eſſe non deſinit. Imò regula eſt, quando ex diverſis interpretationibus diverſi ſacræ Scripturæ ſenſus emanant, iis licere nobis uti, non ad fundandum quidem, ſed ad illuſtrandum aliquod dogma; nihil enim periculi ſubeſt, ut ille ſenſus, quanquam alioqui non proſit, dogmati noceat, quod veritati congruere ex aliis Scripturarum locis evidentioribus oſtendi poteſt. Auguſtinum autem non exſpectâſſe, ut à Pherepono de diverſa illius verſione certior fieret, conſtat è lib. 2. cap. 12. de Doctrina Chriſtiana, quem ab ipſo conſcriptum novimus duos annos poſt libros de libero Arbitrio.

CA-

CAPUT VI.

Infirmitas humanæ mentis, atque rationis, & errandi in homine facilitas. Ejus cauſæ fuga diſciplinæ, ſocordia in inquiſitione veri; corpus malè compactum, & peſſimè affectum; penuria atque abuſus ſubſidiorum ad inveniendam veritatem; memoriæ exilitas; phantaſiæ impotentia, & præcipuè dum affectus in animo regnant, voluntatis perverſa indoles, mentis ipſius anguſtia, ignorantia, oblivio, & prava electio principiorum, quibus ad rectè judicandum uti neceſſe eſt.

HActenus dictum eſt, quouſque in inquiſitione veri, quantùm ad religionem ineundam ſpectat, humano ingenio ſit procedendum hominíque prudenter agenti ſufficere, imò neceſſarium eſſe, diximus, ut argumentis credibilitatis contentus fidem ſuam religioni veræ priùs accommodet, quàm omnia illius dogmata atque myſteria per evidentem rationis intuitum perſpicere atque intelligere velit. Sed non deſunt, qui Manichæorum pervicaciam imitentur adhuc, ſuæque mentis ambitione faſcinati rerum omnium veritatem aſſequi ſe poſſe ſuis viribus temerè confidant, & rationis humanæ vires ultra æquum exaggerent. Ut perniciosa hæc opinio funditùs concutiatur, invadendum nunc eſt in artem errorum omnium, hoc eſt aperienda ſunt homini, quàm breviſſimè poterimus, tum infirmitas, tum ſtultitia creatarum mentium. Hinc leges, hinc præcepta moderandi ingenii petamus oportet. Nos noſcere ante omnia noſmetipſos, ab ipſis quoque ſæculi ſapientibus jubemur. Neque ſanè ullus ad veri Dei cognitionem, atque amorem ſperandus eſt progreſſus, niſi priùs præceſſerit imbecillitatis noſtræ cognitio, & niſi humilitas ab ipſo Deo in nos deſcendens nos ad ipſum convertat, animúmque ſuperbientem caſtigans, efficiat idoneum ad majora è cœlo dona aut excipienda aut impetranda.

Cùm dicimus, infirmam eſſe atque imbecillem hominis mentem atque rationem, ſignificare volumus, hominem licèt ratione præditum, ſuis tamen viribus difficilè ad verum inveniendum, rectéque judicandum pervenire, facilè verò

verò in errorem rapi , atque in errore jacere. Duplici è cauſa manare videtur hujuſmodi infirmitas atque impotentia. Prima eſt , quòd homo veritatem quærere non vult, & adhibere ſubſidia ad veritatem inveniendam idonea. Altera, quòd etiamſi verum quærat, invenire ſæpè non poteſt ex ipſius difficultate veritatis, aut ex inepto rationis uſu. Has cauſas ſigillatim explicabimus , ut ſua humanæ rationi vulnera evidentiùs conſtent , & ingenia noſtra tandem pudeat ſuæ ambitionis, atq; proterviæ.

Sentiunt omnes, nemo negat, rationale animal ab utero matris craſſiſſimam ſecum afferre ignorantiam omnium rerum. Mox iſta ignorantia paulatim depelli ſolet,ubi ſenſibus,& meditatione pollere, iiſque uti homo cœpit. Ideæ rerum an nobis ingenitæ ſint , adveniántne peregrinæ in mentem noſtram, Philoſophi diſputant, nos in medio relinquimus Illud conſtat, neceſſarium eſſe meditationis & ſenſuum uſum , quo aut in animo domeſticæ excitentur, aut in animum novæ importentur rerum ideæ. Hinc Seneca in Ep 95. *Omnium.* inquit, *honeſtarum rerum ſemina animi noſtri gerunt,quæ admonitione excitantur,non aliter quàm ſcintilla flatu levi adjuta ignem ſuum explicat.* Meditari autem dicimus, cùm anima vegeto corpore , & ut ità dicam, ipſa vigilans aciem ſuam in res, & earum eſſentiam, cauſas, effectus, &qualitates acutè intendit. Uſus ſenſuum,experientia, parentum & æqualium conſuetudo, atque alia humanæ vitæ inſtrumenta, rudem intellectum, velit nolit, ſenſim informant , & aliquam veri notitiam in ejus penetralia inferunt. Sed quota pars hæc veri immenſi dici poteſt? Quot etiam erroribus & falſis opinionibus permixta non eſt, atque infecta? Sola plerumque rerum vulgarium, & ſenſibus obviarum notitia hinc fluit; imò ſola ipſarum ſuperficies cognoſcitur. Quare niſi ulteriùs homo procedat, & quærere velit immanem reliquarum veritatum copiam, atque intimè perpendere, quæ jam didicit : interdum bipes à quadrupede, niſi ex habitu corporis externo, diſſimilis non videatur. Quidam igitur ſocordiâ atque odio laboris,& affectibus pravis impediti : quidam nimio ardore incitati erga humanæ vitæ negotia, & vilia quæq; commoda,quibus unicè inhiant ; alii, quòd invenire ſcientiam deſperent; alii,quòd ſe opinentur ſcire quod neſciunt (& ſi quæ ſunt aliæ cauſæ) verum quærere nolunt, negligúntq; ſubſidia homini ad inveniendum verum neceſſaria atque opportuna. Quot autem erroribus id hominum genus ſerviat, & pateat, nemo neſcit. Infantes planè appareant, cùm

Digitized by Google

cùm de rebus agitur, quæ vulgarem humani commercii uſum aliquantum excedunt, eorúmque mens in anguſto ſenſibilium quarumdam rerum gyro conſtricta, latiùs explicare volatum non ſolet, erratura, ſi faciat. Vigente igitur in iſtis primævâ adhuc ignorantiâ, quam expellere fortaſſe potuerunt, at certè noluerunt: nil mirum, ſi imbecillima eſt eorum ratio, ſi ſtultis falsíſque opinionibus ſe abripi quotidiè ſinunt, ſi vetera deliria nunquam abjiciunt, & ſe impares ſentiunt ad abdita rerum noſcenda, ad arduas & invias quæſtiones dirimendas, ad ritè meditandum, falsúmq; in caſibus innumeris à vero diſtinguendū?

Longè gravior altera infelicitas eſt, quòd nempe homines, etiamſi verum, & ſcientiam, & ſemitas ad utrumque perducentes quærant, reperire tamen ſæpè nequeunt, Hujuſmodi impotentiæ triplex in medium adferri cauſa poteſt, corpus videlicet, inſtrumenta ſciendi, & animæ ipſius facultates internæ. Et quod eſt ad corpus, præter organa malè animorum indoli reſpondentia, quæ nullo neque ſtudio, neque voto emendare valemus in nobis, innumeri morbi bellum corpori quotidie indicunt, atque ideo conflictantur cum animo ipſo. Sui carceris dolores atque incommoda non ſentire animus nequit, ac proinde nemo non ſentire cogitur, quantùm imbecillitatis è corpore imbecilli, infirmo, & malè affecto inferatur in mentem, quantúmque tenebrarum tenebroſa hæc maſſa corporis lucidiſſimæ rationi creet. Certè hac de cauſa hominum pleriq; in priſtina ignorantia perdurant, & ad nobiliores diſciplinas, quanquam velint, conſcendere nequeunt; neque fas eſt obtuſis craſsíſque ingeniis & nullâ memoriæ tenacitate præditis ſe immiſcere parum obviis atque reconditis veritatibus, ſuúmque interponere judicium in arduis non vulgarium rerum quæſtionibus.

Ad impotentiam humanæ rationis veniamus, quæ nobis obvenit ex inopia & fallacia inſtrumentorum, per quæ verum colligitur, falſum evitatur. Et hîc ſuos patitur manes mortalium conditio. Multis deſunt ejuſmodi adminicula atq; inſtrumenta ſciendi. Quot adhuc populi ſunt, quibus liberales diſciplinæ tradantur, quibus ſint præſto Doctores? Utique pauci Apud complures ne minima quidem earum artium veſtigia offenduntur, per quas ad verum conſcenditur, & eruditus atque excultus animus cavere ſibi aliquo pacto ab imēnſa errorum colluvione poteſt. Reſpice Africam, Aſiam, Americam, & quæcumq; ſunt in ipſamet Europa nimium Hyperboreo ſeptem ſubjecta

Trio-

Digitized by Google

Trioni. Immo hanc ipſam omnium Beatiſſimam terrarum Europam intuere. Quotæ hominum parti tam bene vult natura, ut doctoribus affluant, & diſciplinis? Quotæ, etiamſi adſint, iis operam navare ſolent, aut cupiunt? Quibus profectò perinde eſt carere optimis artibus, earumque magiſtris, ac ab iis addiſcendis propter impedimenta & negotia vitæ perpetuò removeri. Nemini autem dubium eſt, quin tanta barbaries, tanta doctrinæ, linguarúmque inopia, naturalem inſcitiam foveat, innumeriſque etiam erroribus januam aperiat.

Deinde ipſa hæc ſciendi adminicula, ſæpe veritatis, at non rarò etiam erroris inſtrumenta fiunt. Ut eſt hominum genus præ improbitate ad mentiendum ac ad fallendos alios proclive, præ mentis verò infirmitate falli ac decipi facilimè poteſt: ita neceſſe eſt, ex aliorum hominum conſuetudine, ipſorúmque doctorum commercio ad errandum pertrahamur. Hinc parentes, hinc nutrices inde majores, & inde æquales, nos ab ipſa ineunte ætate fabulis imbuere, perverſiſque judiciis teneram occupare mentem, quam deinde, novis illatis errorum tenebris, ita docti eruditíque ſuis interdum ſcriptis ac voce deformant, ut longè priore ignorantiâ deteriorem rerum ſcientiam ſive intelligentiam habeamus.

Attamen gravioribus etiam cauſis humanæ mentes à vero percipiendo avertuntur, aut impediuntur. Quod facilè patet, ubi conſideremus interiores animorum receſſus, atque impedimenta veri, quæ ipſi animo ſunt aut propiora aut etiam intrinſeca. Prima errorum cauſa tribui poteſt hominum phantaſiæ, & memoriæ, Nam ſimul ac aliqua rerum vivaciſſima imago in phantaſiam irruit, atque in ea fortiter inſcribitur, tum difficilè anima ſeſe abſtinere poteſt ab ea imagine contemplanda, quam ſibi vel nolenti paſſim ingerit, atque objicit potentiſſima illa facultas. Dum autem tantâ vi ante oculos animæ internos obverſantur hujuſmodi altè impreſſa phantaſmata, ita liberos animæ motus uſurpant ac impediunt, ut ipſa impar eo tempore fiat contemplandis recipiendíſve aliis phantaſmatis, quorum tamen ad rectè judicandum neceſſaria meditatio foret. Ad hæc anima occupata à nimium præſente aut urgente imagine aliqua, ſatis auſcultare neque ſolet, neque interdum valet rationes aliarum rerum, & placido conſilio verum à falſo dirimere, bonum, & non malum, eligere. Atque adeò quò fortior eſt phantaſiæ vis, quò frequentius, aut ferocius in ipſam imago aliqua illabitur,

bitur, eò debilior efficitur animæ virtus in inquiſitione atque inventione veri. Ita fit, ut quæ facultas à natura inſtituta fuit in auxilium dominaturæ rationis, eamdem rationem non rarò ſervam efficiat, atque impotenter in homine regnet.

Sed phantaſia ac memoria tum maximè rationis conſilio nocent, cùm unà cum animi perturbationibus; ſive affectibus, in nos penetrant imagines rerum tam ſenſibilium quàm intelligibilium. Non ſolent iſtæ in penetralia homines ingenti cum impetu deferri, ibique altè infigi, atque internum animæ intuitum in ſe pertinaciter convertere, quotieſcumque ea, quæ à ſenſibus nuntiantur, aut ab intellectu excogitantur ſive percipiuntur, nullum aut etiam levem creant in anima affectum, ſive perturbationem. Multa quotidie aſpicimus, multa audimus, quæ perinde quaſi aſſiduitate viluerint, ad phantaſiam quidem perveniunt, ibique habitant, ſed ſine ullo, aut ſummum ſinè aliquo gravi animæ ipſius motu. Contrà quæ excogitata, ſeu ſenſibus accepta, amorem, odium, metum, ſpem, ſtuporem, dolorem, aliáſque hujuſmodi affectiones in animo excitant, concitatius phantaſiam aggrediuntur, profundiúſque in ipſa cõſignantur. Hinc fit, ut quoties phantaſmata ita conformata mens contemplatur (quod ſæpè ultro facit, immo ſæpè facere penè cogitur), toties animæ objicitur non ſolùm ipſum phantaſma, ſed ipſa etiam conjunctæ affectionis notio. Nunquam ferè alicujus hoſtis imago exhibetur animæ, quin & odii veſtigia renoventur in anima. Nunquam latronum avarus meminit, quin timeat. Nunquam amantis animo obverſatur conquiſitæ pulchritudinis ſpecies, quin amoris etiam flammæ excitentur. Porro ſi animi affectus cohibere atque ad normam rectæ rationis redigere, arduum opus eſt; ſi nihil verius eſt, quàm paucorum eſſe, inſidias omnes cuniculos, & abdita machinamenta ſuorũ affectuũ detegere, atque eludere; ſi certum eſt, importune à conjuncta Phantaſia animam vel recuſantem rapi ad intuendas & contemplandas imagines rerum, quas alicujus ferventis affectus notio continuò ſequitur: quis non intelligat, cùm phantaſiã ac memoriam tum animi perturbationes non ſolùm ad veritatem percipiendam ſæpe impedimenta eſſe, verùm etiam complurĩũ errorum fontes eſſe dicendas? Quod malum cùm frequens ſit in humanæ vitæ negotiis, frequentiſſimum tamen eſt in litterarum ſtudiis, & in eruditorum Republica. Nam, ut alia omittam, ubi alicujus phantaſiam occupavit imago,

 puta

puta Platonis, aut Epicuri, aut Ariſtotelis, eorúmque opiniones & ſententiæ ad animæ noſtræ notitiam pervenêre. Si admiratio, ſi amor, ſi reverentia imaginem hujuſmodi conſectata ſunt, ita exinde pulſatur atque agitatur animus ab iſta imagine, & ab iſtis affectibus, ut ſola Platonis, Epicuri, atque Ariſtotelis dicta magni æſtimet, reliquorum contemnat. Contrarium accidit, ſi pro amore odium, pro admiratione contemtus erga ſcriptorem aliquámve ſententiam concipiantur. Tamdiu autem erroribus obnoxia eſt anima, quamdiu in phanſtaſia ac memoria impotenter dominantur adeò vivida phantaſmata, & pergunt ſinè freno interiùs regnare priores affectus, quos ſola recta ratio diligenter excutiens, eorúmque penſitans juſtam injuſtámve originem, in ordinem cogere & moderari poteſt.

Voluntatis etiam perverſitate fit, ut ſæpe ac ſæpius erretur. Omnium hominum eſt, ſe velle eſſe beatos. Ex hoc naturali appetitu varia affectuum familia voluntate naſcitur. Nihil enim aliud ſunt animi affectiones, quàm voluntatis motus, vel in bonum acquirendum, aut acquiſitũ, vel pro bono acquiſito, vel propter bonum deperditum, aut nondũ acquiſitum. Amamus, dum uniri bono, aut in ejus unione permanere volumus. Dum bonum quærimus, deſideramus. Dum non longè à conſequendo ſumus, ſperamus. Conſecuti, gaudemus. Soliciti ne amittamus, metuimus. In rapientẽ aut rapere volentem odio & irâ movemur. Propter amiſſum bonum, dolemus. Idem de reliquis affectibus dicendum. Cæterùm ſi erga unum verum bonũ perpetuò moveretur voluntas, ſempérque prudentiam adhiberet ſuorum motuum ducem, nihil voluntati ſucceſsêre, nihil inde ſibi timere intellectus poſſet. At cùm corrupta hominum voluntas plerumque feratur in apparentia bona, quæ mala profectò ſunt, quotieſcumque animum à vero bono avocant, & arcent: hinc ipſemet intellectus in ſervitutem, miſerrimámque conditionem devolvitur, & erroribus innumeris ſubeſt. Ruit voluntas in corporeas voluptates, in divitias, in fluxos honores, terrenæ hominis parti, cui arctiſſimo vinculo & amore conjuncta eſt, beatitatem, ut ſibi perſuadet, paritura. Illã occupat aut gloriæ appetitus, ejuſque ſoboles novitatis ardor, aut dominandi libido, aut aliæ cupiditates hujuſmodi, quæ uno concupiſcentiæ nomine deſignantur in ſacris Scripturis. Ita imperio delirantis & in varios affectus diſſipatæ voluntatis abreptus intellectus, delirare & ipſa cogitur. Neque enim, dum tam malè

ſe

ſe habet voluntas, & dum corpori nimiùm ſervit, menti vacat veritatem perſcrutari, atque errores detegere; quippe quæ tum unicè ſtudet rationibus, quibus voluntati cōparentur illa apparentia bona. Et ſiquidem vacat, in irritū ſæpe cedit mentis conatus, nō ſinente malè ſano affectu, ut ſincerè mens judicet, & apertè aut ſubdolè agente voluntate, ut ſuæ cupiditati faveat & cōſentiat intellectus infirmus.

Tandem ad ritè ac tutò judicandum duo impedimenta ſuperſunt. Primum in eo ſitum eſt, quòd creatæ mortalium mentes, quanquam latiſſimè excurrere poſſe ſibi videantur, admodum tamen anguſtis concludantur limitibus, & ſpatiis, ſi cum angelicis mentibus conferantur, ne Deum huc advocem, cujus comparationem humanæ mentes nullo pacto ſuſtinere poſſunt. Sunt quamplurima, ad quæ circumſcripta vis intellectus noſtri, donec in iſto mortali corpore verſatur, penetrare nequit, quantacúmque demum adhibeatur meditationis intentio & ingenii ſolertia. Multa ex his habet Phiſica, plura habet Aſtronomia, Medicina, ut de aliis artibus taceam. Eo redit mentis conatus, ut probabilia tantùm, & veriſimilia de his percipiat atque excogitet, non autem certa atque intrinſecus evidentia humanæ rationi. In eundem ſenſum ferè veniunt, quæcumque credi, non cognoſci, dicuntur, qualia ſunt tam multa, quæ ſolam hiſtoriam, & famam habent teſtem, Cùm creatæ hominum mentes omnibus temporibus, omnibúſque locis non adfuerint, neque adeſſe potuerint, aut poſſint, quod ſolius eſt Dei, ſi tamen cupido ſubit ea noſcendi, quæ præteritis temporibus, & non præſentibus locis, non neceſſariò contigerunt, atque fuerunt, aut etiam non neceſſariò ſunt, atq; contingunt: fruſtra cogitationis aciem illuc intendimus, quò per ſenſus noſtros pervenire non licuit, ſive non licet. Quamobrem in iis percipiendis dubiæ & fallaci aliorum hominum librorúmque fidei neceſſe eſt intellectus omnino fidat. Quamvis autē ſæpe iſta quoq; ratione veritas attingatur, non ea tamen certitudine & ſecuritate pedem figere ratio ſolet, ut omnis prorſus tollatur errandi ſuſpicio. Idem incomodū manifeſtiùs recurrit, quoties internas aliorum hominum cogitationes perſcrutari lubet, & arcana cordium noſcere cupimus. Ab externis quidem ſignis interna conjicias, ſed ſe noviſſe, quid in animis alienis interius agatur, quis certò plerumque ſciat?

Verùm quæ ſit anguſtia humanæ mentis, nunquam melius intelligas, quàm ubi devenitur ad alicujus rei contēplationem,

ſtionem, quæ aut infinita ſit, aut aliquid infiniti præſe ferat. Tum videas vacillare aciem intellectus, tum occurrere tenebras, & ingens chaos, tum deficientes oculos mentis fateri impotentiam temeritatémque ſuam. Fruſtra velit finita potentia rem infinitam metiri, atque complecti. Terrarum orbis menſuram ineas vel uno cubito, atque ulnâ quantum ſatis eſt repetitâ, quia ſuos terra habet fines. At cùm ad infinitum accedimus, quæcumque menſura finita ad illud adhibeatur, nihil proficit; neque tantum unquam dimetiendo progrediamur, quin ſemper longè major, immo ut melius dicam, quin infinita pars adhuc dimetienda ſuperſit. In Phyſicis ac Geometricis id genus quædam occurrunt, quorum quidem ideam aliquam ratiocinando nobis comparamus, ſed quæ nunquam rerum interminatæ amplitudini reſpondere poſſit. Aliis tamen omiſſis, unum eſt revera omni ex parte infinitum, Deus optimus maximus, & quicquid in Deo eſt, videlicet illius potentia, ſapientia, providentia, bonitas, juſtitia, & reliquæ dotes, ſive ut appellari ſolent, attributa infiniti Numinis. Nihil ſimplici hac veritate certius, nihil evidentius habet pars hominum ſanior. Atqui ſi divinam naturam, ſi divinas dotes intimè perſpicere, ſuóque pede metiri velit humana ratio, duplex illam exitus manet. Aut enim imbecillitate ſuâ confeſtim deprehenſa venerabunda, & immenſo lumine victa ſubſiſtet, aut in mille abſurdas opiniones, ineptiáſque temerario curſu rapietur.

Alterum impedimentum, à quo ſeſe expedire mens in judicando difficilè poteſt ac ſolet, proficiſcitur ex ignorantia, oblivione, aut prava electione principiorum, quibus uti in judicando neceſſum eſt. Sunt quædam rerum ideæ, quædam rationis principia, quædam primæ veritates, vel à natura, vel à divinis humanisve legibus, vel à mutuo hominum conſenſu tanta vi conſtitutæ, ut iis nemo plerumque aſſenſum obſequiúmve neget, aut negare poſſit, ac velit. Secundùm iſta principia, rerúmque ideas, ac veritates ab hominibus judicatur. Nihil autem aliud eſt judicare, quàm ad hæc principia, ad has veritates, ac ideas univerſales, veluti ad regulam certámque amuſſim exigere ſingularia, & particularia quæque. Si proportio, æqualitas, ſimilitudo comperitur inter has regulas, atque inter collatas ſeu comparatas cum his regulis res particulares: tum dicimus iſtas bene ſe habere, & veritati, aut rectitudini conſentire. Sin ſecus, falſas aut perverſas pronuntiamus *Omnis homo eſt animal.* En principiū, en regula. Varios homines ad hanc

hanc regulā admovemus, & æquamus, putà Petrum & Joannem, ſtatimque dignoſcimus iſtos, qui ſunt homines, rectè veréque animalia Dei Quòd ſi alicujus primi principii, ſeu ideæ rectitudo & veritas in dubium vocatur, exploranda eſt iſta adhibitis aliis certioribus magíſque generalibus principiis & ideis, è quorum collatione iſtorum minus generalium, minuſque certorum principiorum veritas aut etiam falſitas deinde colliguntur.

Facile ſibi multorum hominum ſuperbia blandiatur exiſtimantium, perſpecta ſibi eſſe quælibet principia, quaſlibet primas veritates atque ideas rerum, nihilque obſtare, quominus tuto pede ad judicandum properent. Qui tamen tantum ſibi tribuunt, primum illud certiſſimū principium ignorare videntur, quod non à ſacris tantùm divinitúſque traditis Libris, ſed & ab ipſis inter Ethnicos Philoſophis, atque à ratione edocti ſumus: plura nempe ſemper eſſe, quæ homini cuicumque neſciantur, quam quæ ſciantur. Id quod homini meditanti, & quotidie aliquid diſcere cupienti, ſéque cum aliis viris eruditione claris cōponenti, experientia ipſa ſuadere luculentiùs poteſt. Periculum igitur non rarò ſubeſt, ne hominem alicujus principii, alicujus primæ veritatis, atque ideæ, hoc eſt alicujus regulæ ignoratio in judicia perverſa deducat. Hac certè de cauſa ſaltem rudè vulgus ſæpè ac ſæpius in judicando delirat. Demus tamen liberaliter, acutos eruditóſque viros nihil eorum ignorare, quæ futura ſunt fundamenta rectis judiciis. Ipſi omnia axiomata, principia, certáſque regulas didicerint, quibus judicatur: non idcirco tamen illorū mens omnem ſemper ſuſtulit errandi cauſam. Nam quandoque non omnium, cùm fert occaſio, recordamur; quandoque unum principium pro altero malè eligimus, & regulam nō ſuam aptamus propoſitæ rei. Et profectò, cùm de re quapiam ritè judicare volumus, opus eſt ex omni latere, intus, & exterius, rem propoſitam excutere, in ejus cauſas, effectus, qualitates, relationes, aliáſq; diverſas rerum modificationes & formas intendere aciem intellectus, tum circūſpicere, ad quam regulam, ad quod rationis principiū (quæ millia occurere poſſunt, & millia conſulere oportet) ea res tum ſit exigenda, atque applicanda. Atqui non rarò accidit, ut neque ſingulas rerū circumſtantias, modificationes, relationes, & cauſas perſpiciamus, neque phantaſia, memoria, & voluntas, ſeu deficiētes, ſeu ad agendū tardæ, intellectui tū repoſcenti offerant, quæcumquæ principia, & axiomata neceſſaria ad illam occaſionem forent. Quod ſi offe-

offerunt, mens infirma & incauta, non rarò alterum pro altero eligit, ſecundùm quod judicans, cavere ſibi ab errore non poteſt. Unaquæque res quid ſimile habet cum multis principiis, atque ideis; ſed occaſionibus datis cum uno tantùm omnimodam integrámq; ſimilitudinem, proportionem, & æqualitatem habet. Quare ſi pro iſto rationis principio cujus menſura unicè adhibenda nunc eſt, alterum ex iis adſciſcas minimè ad iſtam rem opportunis, ſimilitudine recti & veri deceptus, pravum falsúmque judicium pronuntiabis. Judicio, inquam, deficies, non quòd malè ſibi conſtet principium illud, ſed quòd ea in re illud, aut unum illud dumtaxat principium, ante oculos habuiſti, inconſultis aliis rationis rectæ documentis tunc longè apertioribus.

Monet me rei dignitas, ut uno aut altero exemplo hîc utar Politicarum legum, ratione minimè diſſentiente, axioma eſt: *Pœnâ capitis plectendum eſſe hominis injuſtum interfectorem* Cum hócce generali præcepto componens Judex alicujus ſicarii facinus, integram ſibi videtur deprehendere ſimilitudinem, ac proportionem inter iſtud principium, ſeu inter hanc legem & rem propoſitam; quamobrem in interfectorem ultimo ſupplicio animadvertit. Nihilò tamen ſeciùs errat judex, ſi iſtius vitam ſervari tunc exigat publicum bonum, aut ejus mortem ingentia Reipublicæ damna ſint conſecutura Tunc enim altera lex, ſive alterum principium priore opportunius reſpiciendum eſt, nempe: *Ob privatum delictum homini non eſſe tunc mortem afferendam, cùm illum vivere plurimùm Reipublicæ intereſt.* Itidem, *Reverentiam eſſe debitam locis Deo ſacris*, Axioma eſt inter Catholicos probatiſſimum, & Religioni omnino conforme. Hoc reſpicientes non ſolùm Epiſcopi, ſed & ipſi Reges. ſtatuerunt in iis locis immunitatem hominibus levium quorumdam criminum reis: quam deinde in provinciis nonnullis extenderunt ad omnia propemodum ſcelera, arbitrati ſe rem gratam Deo præſtituros, ſi quibuslibet locis Deo ſacratis & hoc privilegium accederet. Verùm aliis viſum, tantam aſylorum amplitudinem non eſſe ferendam; ad aliud quippe axioma rem retulerunt, nempe: *Deo magis gratam eſſe debere ſcelerum pœnam, publicæque tranquillitatis ac juſtitiæ conſervationem quàm immunitatem Templorum*; imò in ipſorum Templorum recidere, quod ſcelerum omnium receptacula, & latronum ſpeluncæ fiant, impediántq; innocentium ſecuritatem, & inanem efficiant juſtitiam, quam Deus principibus præcipit. Quamobrem ad hanc potiùs regu-

regulam, quàm ad ſuperiorem, referendam eſſe Eccleſiaſtici azyli diſciplinam contendunt. Hæc autem conſideratio cùm in Politicis, tum in Moralibus, & Phyſicis, & Theologicis rebus dijudicandis locum habet, atque adeò in reliquis humanæ vitæ conſiliis & ſcientiarum meditationibus, in quibus ratio tanquam magiſtra & moderatrix adhibenda eſt. Non enim tantummodò fallimur, cùm falſis dubiiſque principiis, quæ tamen vera &certa nobis eſſe videntur, ſingularia componimus, & à regula vitioſa rectam petimus rei alicujus dimenſionem, ſed etiam cùm certum & verum principium, ſed inopportunum, & abs re, tanquam opportunum uſurpamus de ſingulari quapiam re judicaturi.

CAPUT VII.

Rationis humanæ imbecillitas experientiâ teſte. Ad ipſius medicinam, ut Religio vera noſcatur, neceßaria eſt humanitas, & expoſcendæ à Deo vires atque ſapientia. Quid ſcientia, quid perſuaſio, ſive credulitas prudens. Prima principia, quibus ratio & prudentia reguntur in inquiſitione Religionis veræ, qualis eſt unica Chriſti Religio, ratione & auctoritate in ipſius probationem confluentibus.

QUanta à rectè judicando arcere poſſint humanam rationem, ex iſtis, nî fallor, conſtare poteſt, quæ innuimus potiùs, quàm explicuimus. Poſtremæ dementiæ fuerit, nolle in homine aut agnoſcere aut fateri multas errandi cauſas; ambitionis, nullam unquam in ſe velle credere, aut ſuſpicari. Accedat & ipſa experientia. Nulli provinciæ Religio unquam defuit, aut deeſt, ſed compluribus aut defuit, aut deeſt Religio vera. Excogitari autem non poteſt delirium ullum, quod populus aliquis non adoptaverit, atque in ſuam Religionem invexerit. A recenſendis tot monſtris abſtineo. At unde tanta errorum ſilva excrevit, totúmque ferè mundum pervaſit? Quæ cauſæ tam miſerandi excidii, niſi quas hactenus oratione noſtrâ complexi ſumus?

Et ne quis arbitretur uni hominum ſocordiæ atq; ignorantiæ, non autem infirmitati mentis humanæ tribuendas eſſe tot populorum tenebras ac deliramenta, perinde quaſi in inveſtiganda veritate ii nullam unquam collocaverint curam, ingenitáſq; rationis vires aut ſtultè non ſenſerint, aut ignominioſè neglexerint: præterita tempora expendátur.

tur. Suos olim Brachmanes & Gymnoſophiſtas Indi habuêre, ſuos Magos Perſæ, ſuos Druidas Galli, literis artibúſque nobilioribus excultos. Ægyptii, Chaldæi, ac præcipuè Phœnices ſcientiarum gloriâ floruerunt. Quantùm autem in diſciplinis olim Sinenſes proceſſerint, noſtra etiam tempora teſtantur. Ne exceptis quidem Scythis, qui admirabilem virum Anacharſim dedêre nobis, pauci aut nulli populi in vaſtiſſimo Aſiæ ſinu poſſunt numerari, apud quos antiquitùs non habitaverint ſcientiæ. Immo ex iis ipſis barbaris, ut latè oſtendit Clemens Alexandrinus Lib 1. Stromatum in Europam fluxit quidquid ſcientiarum in Græcis & Latinis, poſteà demiratus eſt orbis. Jam quid in literis præſtiterint Græci, & Latini Veteres, paucis ignotum. Divina ingenia, præſtantiſſimos Philoſophos, omnium diſciplinarum ad miraculum peritos, eo numero, eo pondere antiqua ætas tulit, ut parem proventum neſciverit reliqua poſteritas ad finem uſque ſæculi à Chriſto nato decimi quinti. Diceres, tum proditum, quid natura poſſit, & quouſque humana ingenia contendere valeant.

Non igitur ſtipites, non infantes, non homines rationis neſcios aut incurioſos ante Chriſtum reperimus, ſed viros omni ſcientiarum laude inſignes, atque admirabiles, & unâ ſaltem in re nobis præferendos, quòd ii ſcientias & artes potiùs fecerint, quàm acceperint, noſtrámque ætatem ſuo ingenio etiamnum illuſtrent, non futuram adeò in literis eminentem, niſi eorum lux præceſſiſſet. Sed ut talium ingeniorum felicitas nota eſt nobis, ità & eorum infelicitas in aſſequenda omnium nobiliſſima veritate. Religionis veritatem intelligo, tametſi æquè conſtet, ex antiquorum perpetuis in re literaria diſſidiis, multam veritatis partem eos fugiſſe cùm in Phyſicis, tum in Moralibus, Aſtronomicis, Geographicis, Hiſtoricis, aliiſque ejuſmodi ſtudiis. Enixè quidem perſcrutati ſunt divinam naturam, providentiam, ac potentiam, & inveſtigârunt, quî colendus foret Deus, & quæ ipſi debeat mortalium natura, quid quid homo homini debeat. Sed bone Deus! in quot abſurdas atque impias opiniones prolapſi non ſunt? Nunquam magìs revelata eſt humanæ rationis imbecillitas. Nam aut indigna Deo ſenſerunt, aut indigna homine, & omnium una Religio fuit idolorum cultus Qui ſibi omnium acutiſſimi videbantur, ii aut ipſum Deum ſuſtulêre, aut animæ immortalitatem, in teterrimum propterea ſcelus miſeriámque devoluti. Alii verò ſuæ Religionis falſitatem

rectè argumentando noverunt Sed nota Ciceronis vox eſt: *Utinam tam facilè vera invenire poſſem, quàm falſa convincere.* Quare ne ſic quidem factum eſt, ut aſſecuti ſint Religionem veram. *Impugnatæ ſunt*, ajebat Lactantius Lib. 2. cap. 3. divin. Inſtitutionum, *à prudentioribus falſæ Religiones, quia ſentiebant eſſe falſas; ſed non eſt inducta vera, quia qualis aut ubi eſſet, ignorabant. Itaque ſic habuerunt, tanquam nulla eſſet omnino, qui veram non poterant invenire; & eodem modo inciderunt in errorem multò majorem, quàm illi, qui falſa tenebant.* Veterum autem Philoſophorum errores, atque inſipientiam, ità Apoſtolus delineabat Cap. I. 21. ad Romanos ſcribens: *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, &c.* Similia ſcribit ad Epheſios. Cap. IV. 17.

Sed quorſum hæc diſputatio, & cur tot rationibus & exemplis confirmare pergimus humanarum mentium calamitatem in inveſtigatione veri? Ecquid amplius reſtat, niſi ut cum Academicis & Scepticis amicitiâ initâ, nihil eſſe certi, nihil veri ſub ſole credamus? Abſit à nobis tantæ inſaniæ periculum; ſiquidem non inſani minus ii ſunt ac deplorandi, qui omnia vi ſuæ rationis aſſequi poſſe ſibi videntur, quàm qui nihil Eò argumenta noſtra attentum Lectorem non deducunt, neque porrò deducere poſſunt. Non extinctum ſed infirmum eſſe in homine rationis vigorem, & verum difficilè poſſe ac ſolere inveniri diximus; non autem ejus inveniendi ſpem omnem ſuſtulimus. Illud enim, quòd noſtri intellectûs aciem & capacitatem ſuperat, dum animam mortale corpus alligat, & premit, ſi intelligere planè velimus, aut aptè intelligi poſſe opinemur, riſum veris ſapientibus moveamus. Itaque non ingenium, non rationem excludimus à perquirenda Religione vera, ſed eorum ſuademus moderationem, omnibus utique in tanto negotio, ſi quidquam ſapiunt, apprimè neceſſariam. In quo autem ſita ſit hæc moderatio, deinceps explicabitur

Primò noſcenda eſt homini ſuæ mentis rationiſque imbecillitas, quo nihil facilius, dum ſecum in animo verſet, qualia & quanta cognitionem veritatis impediant, & in errorem adducant. Sibi ante oculos ſiſtat exempla tot excellentium virorum, quorum ingenio & eruditioni im-

parem ſe forſitan ſentiat, aut ſaltem, niſi ambitioſiſſimè ſecum agat, ſe non reputet ſuperiorem. Cùm iſtis non contigerit, ut acie ſui intellectûs religionem veram aut detexerint, aut ſatìs intellexerint, aut intellectam ſuſceperint, immo etiam pateat in errores multos opinionéſque ridendas ipſos conceſſiſſe: quid è viribus propriis ſperandum ſit, tandem agnoſcat. Præterea auctor eidem futura eſt ipſamet ratio, ne nimium ſibi arroget, ne nimium fidat. Nam quî tantum ſibi polliciatur ac tribuat, ut arbitretur, ſe optimo ingenio atque admirabili judicio pollere, quibus nihil pervium non ſit? ſe nullis detineri falſis præjudiciis? ſibi omnia diſciplinarum ſubſidia, atque inſtrumenta ſciendi adeſſe, ſéque iis ritè ſemper uti? nihil menti ſuæ atque judicio officere inordinatos corporis motus & voluntatem ſuam, quæ ab univerſis pravis cupiditatibus, atque ab impotentia & fraude quorumcumque affectuum libera ſit oportet, ut rectè judicetur? ſibi denique perſpecta eſſe, neque ſolùm perſpecta, ſed & præſentia quælibet principia, primáſque veritates atque ideas omnes, quibus judicia recta niti neceſſe eſt, atque ex his principiis, quod opportunum & congruum pro rei propoſitæ dimenſione ſit, non verò alterum atque inopportunum, fuiſſe in judicando ſemper electum? Qui tam magnificè de ſemetipſo ſentiat, ne ipſe quidem in interno ſuæ mentis tribunali, ubi ſincerè ſecum ineat rationes, ſe ab arrogantiæ ac temeritatis culpa abſolvat.

Secundò, poſt ſuperbiam in ſe deprehenſam, atque profligatam, ratio poſcit, ut humillitas & animi depreſſio ſubſequatur; hanc autem conſoletur auxilii, ſi quod eſt, deſiderium & ſpes. Et quoniam à nobis utpote infirmis hanc opem ſperare non licet, neque tutò ſemper ab aliis mortalibus, qui falli aut fallere poſſunt: reliquum eſt, ut ad Deum omnium parentem, omníſque boni auctorem, ſeſe convertat mens humilis, & ſapientiam atque intelligentiam ab ipſo depoſcat. Id quod Jacobus Apoſtolus prædicabat in Epiſtola ſua Cap. I. 5. his verbis: *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* His poſitis principiis, ad Religionem inveſtigandam ſe alacriùs conferat humana ratio, ubicumque ſpes eſt eam inveniri poſſe. Sæpè etiam non quærentibus offeret divina clementia per pios Libros aut præcones veritatis ſuæ. Negari autem non poteſt, quin facilis & tutus ad Religionem veram aditus foret, ſi illam Deus ipſe homini immediatè revelaret. Quid enim

enim ampliùs titubet humana ratio ſub tanto præceptore hoc eſt ipsâ primâ veritate docente? Sed temerè poſtules, multò etiam magis temerè ſperes, Deum uſitatis naturæ legibus à ſe ſtabilitis tui causâ renuntiaturum, quò te ipſe per aliquod prodigium ad veritatem adducat. Illud potiùs ſperandum, clementiſſimum Numen alicui ex hominibus verè piis, ſuiſque Prophetis, tradidiſſe, quæ de ipſo credenda ſint, & qui cultus ſit ſibi ipſi adhibendus *Scit enim Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt*, ut ait S. David in Pſal. 93. 11. Cùm in eum præcipuè finem homines creâſſe cenſendus ſit, ut ab his amaretur, & glorificaretur, meritò quoque exiſtimare juvat, aliquam ab ipſo revelatam fuiſſe Religionem, per quam docerentur homines verum amorem verámq; gloriam ſuo reddere Creatori. Id præſtare illius ſapientiam & clementiam decuit, id ſubſidii habere noſtræ imbecillitati neceſſarium fuit. Neq; in loco tam abdito veritatem ſuæ religionis conſtrinxiſſe credendus eſt Deus, ut nullus ad ipſam humanæ unquam rationi ſit aditus. Sed potiùs ità conſtituiſſe cenſendus, ut ſi rectè uti velimus illius auxilio, & naturalibus rationis humanæ viribus, ad eamdem veritatem pervenire tutò liceat. Ille ad ſe advocat homines ratione præditos, & per gratiam quidem ſuam, ſed non ſinè ratione vult ad ſe veniri. Sint licèt oppido tenues humanæ mentis vires, dum adſit divinus favor, multum valent, atque per eas cognoſci revelatio religionis veræ à falſis atque confictis diſtingui poteſt. Igitur inter nimiam abjectionem ſui, nimiámque ambitionem ingenia continenda ſunt; utrinque enim periculum ſubeſt, ut aut nulli aut falſæ revelationi adhibeatur fides. Quæ autem hîc ſint rationis humanæ vires, & qui rectus earum uſus, nos ipſa ratio docebit.

Nos verum duobus modis attingi diximus, vel ſcientiâ vel perſuaſione, ſive crudelitate prudenti. Primum contingit, cùm per demonſtrationem & ſyllogiſmos, ex certis præmiſſis conſtantes, aliquid, quod neceſſariò ſit, aut fuerit, aut eſſe debeat, ſive debuerit, intelligimus. Id per rationem intrinſecam nos ſcire tum dicimur. Alterum fit, cùm aliis hominibus aliquid non neceſſarium, ſed contingens narrantibus, fidem habemus, & verum ab ipſis narrari credimus, cùm ipſamet ratio per argumenta non quidem demonſtrativa, ſed veriſimillima, atque evidentia extrinſecè nobis perſuadet, eos neque falli in ea narratione poſſe, neque fallere velle. Id nos per prudentiam credere tum dicimur. Sunt autem regulæ quædam, per

per quas ad ſciendum, aut prudenter credendum in hac vita perduci poſſumus ac ſolemus. Permulta ex his aut naturæ lumine, aut conſenſu hominum tum doctorum, tum indoctorum per omnes terras ità ſunt pervulgata ac probata, ut nemo ſanæ mentis aut ignoret, aut neget, aut auditis conſentire nolit. Nam, ut Cic. ait cap. I. de Natura Deorum, *de quo omnium natura conſentit, id verum eſſe neceſſe eſt.*

Nemo exempli causâ non cognoſcat, aut ſi fortè nondum animadvertit, edoctus non ſtatim intelligat, quàm vera ſint & neceſſaria principia iſta, videlicet: *debere eſſe primam aliquam omnium rerum & cauſarum cauſam; hanc eſſe ab homine colendam atque amandam; homines ex ſe ipſis, & ſine Dei amicitia, eſſe non poſſe beatos; lumini naturæ adverſari, plures eſſe Deos; nefas eſſe indigna & nefanda tribuere Deo, & creaturas ipſius Dei loco habere, & arbitrari; fato ac præcedenti neceſſitate hominum voluntates trahi ad bonum, & malum.* Contra verò nemo non fateatur, *honeſtum eſſe & bonum, nemini contumeliam inferre, ſuum cuique tribuere, alteri non facere, quod ſibi quiſque nolit fieri*; aliáque ſexcenta ejuſmodi: ſuis itidem legibus prudentia regitur, quas unuſquiſque probat, quales ſunt: *Credendum eſt, verè contigiſſe, aut fuiſſe, aut eſſe aliquid, cùm id ab hominibus narratur, qui recti judices ea in re eſſe potuerunt, & quos nulla veriſimilis ratio aut erraſſe aut imponere voluiſſe perſuadet,* cujuſmodi eſt, aliquam urbem, aut montem, aut fluvium eſſe, vel fuiſſe, aliquod prælium commiſſum, apparuiſſe aliquem cometam, & olim regem, aut alium virum vixiſſe, & quædam egiſſe. Item negandum non eſt, quin ſit alicui Auctori Liber tribuendus, cujus nomen præfert adhuc, & cujus fœtum ab origine ſua conſtat fuiſſe habitum, fidem hujus rei facientibus, aliis æqualibus ſcriptoribus, aut nemine contradicente, aut nullâ aliâ ratione veriſimili in contrarium pugnante. Prætereà ſinè rationibus admodum urgentibus adjungenda citò non eſt fides aliquid narranti, quod uſitatas naturæ leges ſuperet, atque in commodum narrantis apertè vergat. Nunquam verò fides adjungenda eſt novum aliquid tanquam à Deo ſibi revelatum adferenti, & cœleſtem legationem jactanti, ſi ab honeſtate ac pietate abhorreant illius dogmata, ac mores, & quando etiam non abhorreant, niſi ipſe evidentibus ſignis doctrinæ ſuæ veritatem firmet. Hæc aliáque hujuſmodi principia, quicumque ratione utitur, improbare nolit, ac nequeat.

Dum ergo religionis veritatem quærit humana mens, aut

aut eidem proponitur amplectenda religio, duo occurrunt, nempe, an reverà à Deo revelata fuerit illa religio, tum quid illa revelatio contineat exhibeátque ſciendum, ſive credendum. Ad cognoſcendum autem, revelata ne fuerit, necne, religio propoſita, vel ſola prudentia Deo adſtante perducit, & perducere poteſt. Nam omnibus hominibus, dummodo non pueris, neque fatuis, prudentia ſufficit communes illas regulas & leges, quarum ſubſidio unicuique intelligere fas eſt, num ſit credenda, an rejicienda illa revelatio; & rurſus adeò evidentia & multa ſunt argumenta, quibus una Religio Chriſtiana ad Judaïcæ complementum à Deo revelata probatur, & reliquæ confictæ ab hominibus, ſive depravatæ oſtenduntur, ut nemo futurus ſit, qui à credendo abſtineat. Subſequitur eorum inquiſitio, quæ in Chriſtiana Religione Deus revelaverit. Multa hîc ſunt humanæ rationis viribus pervia. Sunt alia, quæ non rudibus tantùm, ſed etiam acutis ingeniis impervia videntur, cujuſmodi ſunt, Deum unum eſſe & trinum, Verbum divinum humanam carnem induiſſe, homines in poſtremo judicio iterum ſuo corpori eſſe reſtituendos, atque id genus alia. Igitur hîc modum habere debet inquiſitio, ſuæque infirmitatis monenda eſt humana ratio. Quæ per ſyllogiſmos certos vera intelligi poſſunt, intelligantur; quæ verò non poſſunt, credantur. Hic eſt rectus humanarum virium uſus, in quo neſcias, utrùm plus obſequii Deo revelanti præbeas, an prudentiùs imbecillitati tuæ conſulas. Secùs facere, ambitioſi, temerarii, atque inſani ingenii fuerit. Etenim conſtat, divina eſſe ſupra humanæ rationis captum; ideóque mortalium menti, cum veneratione hæc eſſe accipienda, non autem ambitioſè noſtro ſubjicienda judicio. Præterea quid abſurdius excogitari poteſt, quàm nihil aliud credere velle de natura & voluntate divina, quàm quod tu intelligere poſſis? Debuitne igitur infinitus Deus talis eſſe tantummodo, qualis finitæ menti videri poteſt, eáque dumtaxat velle, quorum tibi perſpicuæ forent cauſæ, effectus, & ordo? Non effugiat miſeræ amentiæ notam idiota, ſi falſa affirmare velit, aut vera credere nolit, quæ Philoſophis, atque acutis viris certiſſima apparent, non aliâ ductus ratione, quàm quòd ea capere ipſe non valeat. Multò autem major illorum eſt dementia, qui à Deo veritatis fonte revelata, vera & certa reputare nolit, quòd ſui intellectûs acumen excedant.

At iſti continuò inquient, ſibi nullam de veritate Dei reve-

revelantis occurrere dubitationem ; ſolùm ſe ſuſpicari, num fallantur aut fallant, qui Deum hæc revelâſſe tradunt. Non facilè credendum eſſe hominibus ex opinione quoq; noſtra. Auctoritati autem divinæ humanam quidem rationem ſubmittere faſces debere, vel ſinè ratione accepta; ſed cùm ſinè rationibus vult auctoritas humana fidem facere divinæ revelationis, auſcultandam ſtatim non eſſe quippe non rarò fallacem. Si ergo iſtis credimus, etiamſi quædam à Deo revelarentur, quæ intelligere humana ratio non valeret, adhuc tamen ab ipſis vera crederentur, dummodo certi ſibi forent, eadem à Deo revelata fuiſſe. Nos autem diximus, adeò evidenter probari per homines, credibilitatis motiva adferentes, Chriſtianam Religionem à Deo revelatam fuiſſe, ut homini prudenti integrum non ſit eidem negare aſſenſum. Quid ergo ampliùs exſpectant, ut vera itidem credant, quæ per tam evidenter credibilem religionem proponuntur certiſſimè tradita à Deo? Quòd ſi nonnulla occurrunt in revelatione Chriſtianæ legis, quæ menti humanæ impervia videantur; hæc tamen ea ſunt, ut non ſinè ratione ſint credibilia. Ratio enim docet, vera eſſe, quæcumque à Deo revelantur; nihílque ideo eſſe falſum, quod captum ſuperet humani intellectûs, & divina eſſe ſupra rationem humanam; eáque ſolùm reputanda ſinè dubitatione falſiſſima, quæ ſunt apertè contraria rectæ rationi. Dogmata autem religionis veræ, qualem nos dicimus eſſe unam Catholicam, nihil habere, quod rationi rectæ adverſetur, jam luculentiſſimè demonſtratum eſt à viris doctiſſimis, & ſentiet ac fatebitur quilibet æquus judex, vel Chriſtianorum ſacris nondum initiatus. Siquidem patet, contradictoria, ſive contraria non eſſe, quæ de Unitate, ac Trinitate in Deo prædicantur, cùm illud eſſentiam, & ſubſtantiam, iſtud perſonas reſpiciat; & hoc ipſum perſonarum nomen neutiquam accipiatur, quemadmodum in humanis, ſed inventum ſit atque uſurpatum in divinis, loquendi & diſputandi neceſſitate de ineffabilibus rebus. Cætera dogmata, ſi rectè conferantur cum omnipotentia, juſtitia, clementia, providentia, aliíſque Summi Dei infinitis attributis, quanquam excedere vim intellectûs creati atque finiti interdum ſentiantur, manifeſtè tamen cognoſcuntur non adverſantia rectæ rationi. Atque hactenus vidimus, quæ ingenii moderatio hominem deceat nondum veram religionem aſſecutum. Nunc reſtat videndum, quî itidem ſe regere debeant hominum ingenia, ubi jam Chriſtianæ Religioni dedêre nomen. Quippe non minus periculoſa

Digitized by Google

culoſa eſt, immo etiam magìs periculoſa eſt nonnunquam ingeniorum libido in homine veram religionem amplexo, quàm amplexuro. Saltem nihil differt medio in mari naufragium facere, & medio in portu, quando naufragum certa mors utrobique maneat.

CAPUT VIII.

Quî noſcenda vera Chriſti Religio inter tot ejus ſectas. Scriptura ſacra primum veritatis promptuarium. Sed viribus noſtris difficile intelligenda vera doctrina. Aliquem veritatis viſibilem interpretem ſuæ religioni Deus dederit oportet. Eccleſia vera, verax, & ab errore immunis; atque hæc una eſt Catholicorum Eccleſia.

DUplex eorum genus eſt, qui Chriſtianam Religionem à Deo fuiſſe revelatam ſentiunt & credunt. In alteros à teneris annis beata hæc & ſanctiſſima perſuaſio irrepſit. Alteros jam adultos præveniens gratia Dei pertraxit per argumenta credibilitatis ad perſpiciendam cùm falſitatem reliquarum religionum, tum veritatem unius Chriſtianæ legis. Sed ne ſic quidem iſtorum ingenia conquieſcere aut poſſunt aut ſolent, quoties occurrit hæc ipſamet religio in tot ſectas diviſa, & prope comminuta, quarum quælibet ſibi veram Chriſti hæreditatem tribuit, cæteris improbatis, & falſi poſtulatis. Hinc eſt Catholica, quæ in ſingulis orbis partibus, & præſertim in Europa, Eccleſias oſtendit. Illinc præter Schiſmaticos Græcos habet Oriens Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas, alióſque complures vel antiquos, vel recentes Hæreticos. Numerat Occidens Lutheri, Calvini, Socini, Anabaptiſtarum, Bohemorum, Anglorum filios & ſectatores, & mille alias vel ſinè nomine Chriſtianorum ſectas, quibus & ipſa Africa in Abyſſinorum imperio abundat. Apud ſingulas háſce gentes Evangelium regnat, & Chriſti nomen cum veneratione ſonat; cæterùm in doctrina Chriſti explicanda mirum eſt, quantâ opinionum varietate & diſſenſione inter ſe digladientur. Quid hîc faciat? quò ſe vertat humana ratio de invenienda veritate, vitandóque errore ſolicita? Num cùm jam poſuerimus, à Deo profectam

eſſe

eſſe religionem iſtam. Deus autem diſcordia, & contraria revelare nequiverit: ſicuti fieri non poteſt, ut omnes iſtæ opiniones ſint falſæ, ità certum eſt, niſi unam eſſe poſſe veram. Sive igitur quis alicui Chriſtianorum ſectæ ſeſe adjungere velit, ſive jam ſeſe adjunxerit, neceſſe eſt anceps animi diu pendeat, donec intelligat, quæ ſit lucis & veritatis, quæ tenebrarum & erroris regio. Hîc autem ſuus quoque rationi eſſe debet locus, dummodo & hîc ſuæ memor imbecillitatis intumeſcere nolit, séque regi patiatur quibuſdam ſalutaribus regulis, quæ tutiſſimè ad veritatem perducunt. Age verò, quænam ſint iſtæ regulæ diſpiciamus.

E tam variis Chriſtianorum ſectis nulla fermè eſt, quæ divinas utriuſque fœderis Scripturas non amplectatur. Eas eſſe primum veritatis canonem, ibique contineri fundamenta & præcipua ſaltem ac neceſſaria revelatæ religionis dogmata, quidque credendum, quidve agendum, ut quis verè Chriſti ſectator dicatur, & ſit, una omnium vox eſt. Quare hinc iter inſtituendum videtur; nam quî meliùs ſperes te aſſurrecturum ad veritatem, & in errores non declinaturum, ſi Scripturis ſacris, hoc eſt divinâ voce & lumine, regaris? Et profectò maximum ſacræ literæ ſunt rationis humanæ ſubſidium, ſimul & frenum. Per illas intellectus mirum in modum proficere poteſt, dum certa illic ſe habere intelligit, & credere revelatis illic jubetur, & vanas cogitationes ſubſternere certiſſimæ Dei revelantis veritati. Proinde ſuboritur prima hæc regula: *Firmiſſimè credenda ſunt, quæcumque verè & evidenter ſacris iis in libris habentur, & nihil credendum, quod iis verè & evidenter adverſetur.*

Progreditur itaque ratio, & quid reapſe divinis in litteris tradatur, & quid iiſdem repugnet, inquirit. Sed hîc titubare incipit infirma potentia, rhodum & ſaltum videns. Niſi homo cæcâ temeritate agatur, & monita prudentiæ flocci pendat, hîc ſubſiſtat neceſſe eſt. Nam primò qui certò ſciat, quæ ſint Scripturæ divinitùs traditæ, cùm de legitima quarumdam origine dubitari & diſputari intelligat? Quî deinde ſibi polliceatur, ſe in legitimos omnes ſacrorum librorum ſenſus ingreſſurum, quando linguas perfectè non calleat, quibus in origine ſua deſcriptum fuit ex imperio divino Teſtamentum utrumque? quando nulla adſit verſio, cui tutò fidendum cognoſcat? quando tot obſcura, & in ſpeciem contraria occurrant, in quibus aut facilè falli poteſt, aut judicium ſaltem ſuſpendere cogitur?

Teſtis

Digitized by Google

Teſtis autem S. Petrus in Epiſt. 2. in interpretandis Pauli Epiſtolis multos erràſſe, eò quòd in iis *ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Et in hæc quidem & alia impedimenta evidenter impingat omnium rudium atque indoctorum hominum ratio. Quod eſt ad perſpicaces eruditóſque viros, ne ii quidem multùm hîc habent, quod ſuis è viribus ſperent, quamvìs Orientalium linguarum periti, & Critices, aliarúmque artium & ſcientiarum ſubſidiis inſtructi. Si enim verè docti ſunt & humiles, nuſquam evidentius quàm illic perſpiciant, quæ ſit humani intellectûs ægritudo, & ardua quæſtionum copia atque ſublimitas. Sin ambitioſi accedunt, nullus controverſiarum & difficultatum eſt modus; unuſquiſque enim facilè in ſuo ſenſu abundat, & opinionibus anteceptis in tranſverſum rapitur, & aut novitati, aut ſuis cupiditatibus ſtudet, ſive etiam totam operam in ſuo cœtu potiùs, quàm in ipſa veritate tuenda incautus impendit. Neque mentiri nos ſinit experientia ipſa. Meridiano ſole clarius eſt, ab ipſis Religionis Chriſtianæ incunabulis ad noſtra uſque tempora viros eruditione & ingenii acumine præſtantiſſimos interpretandis ſacris Literis, atque in ſtatuendis earum ope graviſſimis Chriſtianæ fidei dogmatis, toto inter ſe cœlo diſſenſiſſe, & adhuc diſſentire, nullámque eſſe tam impiam Hæreticorum ſententiam, quam non ipſi ſibi videantur è divinis Literis depromere, atque inde confirmare. Quare idem periculi ſibi imminere ſentiant reliqua ingenia, licèt pari literarum cognitione exculta, & acumine ſimili prædita. Quis igitur niſi ſuperbus aut imperitus illud non videat: *Difficillimum*, nempe, *eſſe humanæ rationi viribus aſſequi propriis, quæcumque dogmata verè habeantur in Scripturis divinitùs traditis, quæve ipſis repugnent?* Atque hæc altera eſto regula, quam ratio conſiderans neceſſe eſt, non ſolùm ut ne nimiùm ſibi fidat, ſed ut etiam aliam, ſi qua eſt, commodiorem tutiorémque eligat viam ad intelligentiam divinorum voluminum.

Hanc autem viam in terris haberi tum divinæ clementiæ conſentaneum, tum humanæ imbecillitati neceſſarium eſt. Si enim tantopere, atque à tot ſæculis, tot acutiſſimi ac ſolertiſſimi viri diſſentiunt in conſtituendo, non ſolùm quæ ſit vera ſacrorum Librorum doctrina, ſed etiam qui libri ſint in Canonem Hagiographorum referendi: quid rudibus & infirmis facias, quibus non idem eſt mentis vigor, & eruditionis copia? Quid iſti ſperent, imò quid ſperent

omnes, ubi expendere prius velint tot ardua loca, unúmque cum altero conferre, & interpretes diverſos perſcrutari: ad quæ præſtanda non ſolùm temporis multum, ſed immanis ſubſidiorum apparatus exigitur, iiſque etiam præſtitis ipſimet eruditi aut dubitare, aut in oppoſitas abire ſententias hucuſque perrexerunt? Igitur aut ſerò, aut nunquam, aut ſemper cum dubitatione aliqua, ſibi perſuadebunt homines, germana Scripturarum ſacrarum dogmata, iiſque contrarios errores ſe rectè intellexiſſe. Miſera planè veritas chriſtianæ Religionis, ubi cognoſci non poſſit inter tot & tam varias Chriſtianorũ ſectas, niſi per hoc arduum, incertum atque etiam quandóque periculoſum ſcripturarum examen. Fierine verò poteſt, ut cùm omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire velit, omnibúſque Evangelium prædicari mandaverit Deus, ita ab eo conſtituta fuerit Religio chriſtiana, ut quæ vera ſit inter tot falſas illius ſectas dignoſci faciliùs non queat?

Reſtat igitur, ut optimus & clementiſſimus Deus comodiore ac breviore via conſuluerit hac in re mortalium generi. Ea autem via eſſe alia non poteſt, quàm quæ ſuperiùs homini præſcripta eſt, ut facilè ac tutò chriſtianæ Religionis veritatem à non chriſtianarum falſitate diſtinguat. *Extrinſeca argumenta credibilitatis* hîc etiam præſto ſunt ut evidẽter comperiatur, quæ vera & germana ſit inter tot Chriſtianorum ſectas hæreditas & Eccleſia Chriſti. Et ſicuti cognitâ ſanctitate Religionis chriſtianæ, hæc una prudenter amplectenda eſt, cæteræ ejurandæ; idque credi prudentiſſime poteſt, & neceſſe eſt credere quod ab ipſa proponitur, etiamſi aut intrinſecæ rationes non adferantur, aut ſuperare captum humanæ mentis credenda deprehendantur: ita ubi evidenter patuit, quæ ſit vera Chriſti Eccleſia, in hujus unius ſinum, cæteris Chriſtianorum falſis Eccleſiis repudiatis, prudenter confugere poſſumus, ac porro debemus, & quæcumque ab ipſa traduntur, quanquam ab Hæreticis in controverſiam vocata, firmiſſime credere. Duo itaque cognoſcenda ſunt humanæ rationi (& hæc facilè cognoſci poſſe pronuntiamus] ut ritè prudentérque ſuum curſum in hoc negotio peragat Alterum eſt; quæ ſit hæc vera Chriſti Eccleſia; alterum, cur iſtius Eccleſiæ dogmatis acquieſcere prudenter poſſimus, ac debeamus, vel nondum excuſſis tot obſcuris divinorum codicum locis, & nondum perpenſis tot quæſtionibus inter Chriſtianorum ſectas vigentibus. A poſtremo incipiamus.

Vera à Chriſto conſtituta Eccleſia idem nobis ſonat ac homi-

Digitized by Google

hominum Congregatio, ejuſdem chriſtianæ Fidei, ejuſdem veræ doctrinæ profeſſione, eorumdem Sacramentorum comunione, & vinculo caritatis ſub uno capite Chriſto unita, in qua legitimus ſit ordo, ac regimen Paſtorum. Eccleſiam iſtam uſque ad finem ſeculi duraturam nullus Chriſtianorum negat, & ſacri Libri, unáque cum eis ipſa ratio, evidenter perſuadent. Veritas autem ne ab ipſo quidē Deo mutari deſtruive poteſt. Quare quæ ipſe Deus veriſſima revelavit, æterna ſint oportet. Itidem quæ ipſemet eventura eſſe pollicitus eſt, eadem neceſſariò fient; nō enim eſt fallax Deus, neque ex impotentia à præſtandis promiſſis unquam impediri poteſt. At ille Religionē ſuam, atque Eccleſiam, & veriſſima dogmata per Moyſen, per Prophetas, & poſtremò per Chriſtum revelavit Hanc etiam Religionem, & Eccleſiam ſuam promiſit perpetuò regnaturam in terris, quippe inſtitutam, ut ejus ductu homines verum ſalutare cognoſcant & credant, & recta peragere diſcant. Neque mortalium ſcelera eò uſque crevere unquam, aut creſcere poſſunt, ut aut divinam tranſcendant clementiam, aut ejus voluntatem & promiſſa fraudent, ſanctam illius Religionem & Eccleſiam evertendo penitus, & abjiciendo. *Super hanc petram*, inquit Chriſtus Matth. XVI. 18. *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Si igitur æternùm duratura eſt Eccleſia, quæ ſanctiſſimæ iſtius Religionis ſit cuſtos, neceſſe eſt etiam, ut ibi æternùm veritas duret, & vera, non falſa dogmata tradantur. Nam ſi Eccleſia errorem in dogmate rebúſque fidei credat, erroréмque alios doceat, jam vera Chriſti veracis deſinat eſſe Eccleſia: quod tamen fieri non poſſe nobis conſtat.

Deinde ſi ſemel errorem in doctrinam Eccleſia invehere, invectúmve probare poſſit, non erit, cui in poſterum tutò fidat populus indoctus, immo & ipſa doctorum Reſpublica. Nemo veram ſe tradere inquiat Religionem, ſuúmque cœtum verè Orthodoxum appellet, quando dubium ſuboriri perpetuò poteſt, an is cœtus errori obnoxius, errorem hauſerit, errorem doceat. Nemo ſibi arroget germanam Scripturarum ſanctarum interpretationem, nemo ſibi perſuadeat, ſe divina verba recte intelligere, ubi Eccleſia ipſa (cui Spiritum ſuum Jo. XIV. 16. Chriſtus tradidit) deficere, erroréſque adoptare poſſit Quod ſi ad humanam rationem ſpectare ais poſtremè cognoſcere, an Eccleſia errarit, & num recte, an ſecus, interpretata ſit ſcripturas

Digitized by Google

à Deo nobis datas: utique ad infirmiſſimum, ut vidimus, aut ſaltem non ſatìs fidum tribunal me rapis. Præterea ſi rationem à ſe ſtare unuſquiſque contendat, quis litigandi finis erit? Certè hanc ſibi militare quælibet Chriſtianorum ſecta arbitratur. Reſtat igitur, ut aliâ tutiori viâ hominum neceſſitati Deus conſuluerit, certúmque aliud viſibile tribunal conſtituerit, à quo fideliter divinarum Scripturarum myſteria explicentur, Fideíque Chriſtianæ atq; Orthodoxæ veritas perpetuò cuſtodiatur. Hoc autem tribunal nullum aliud eſſe poteſt, quàm Eccleſia ipſa perpetuò duratura, *in qua*, ut ait S. Paulus, *poſuit Deus Doctores, Paſtores, Prophetas, & Apoſtolos ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Imò evidentiſſimè ſignificat idem Apoſtolus 1. ad Tim. 3. Eccleſiæ veræ nos edocenti acquieſcendum eſſe, cùm ipſa ſit *columna & firmamentum veritatis.*

Itaque prima & certa non errandi ratio ſita eſt in veracitate revelantis Dei, ſacrorúmq; librorum æternâ veritate. Deinde accedit præſidium aliud viſibile à Deo poſitum, quo certi fiamus, utrùm, quæ nobis credenda proponuntur, à Deo revelata verè fuerint, & an recta ſit divini verbi interpretatio: & hoc in veracitate ac ſtabilitate proponentis Eccleſiæ ſitum eſt. His autem poſitis fundamentis, unum poſtremò humanæ rationi inveſtigandum ſupereſt, nempe quænam ſit hæc vera Chriſti Eccleſia. At homini ingenuo, & veritatis unius amanti, non eſt id cognitu difficile. Sunt enim quædam notæ ac ſigna, quibus Eccleſia vera à falſis ac fallacibus ità diſtinguitur, ut non ingenio magno ſit opus ad eadem perſpicienda, atque ad Eccleſiam veram ex iis dignoſcendam. Unitas doctrinæ, fidei, caritatis, & myſteriorum; ſanctitas & efficacia dogmatum, probitas morum, gloria miraculorum, antiquitas, amplitudo, origo ab Apoſtolis, & continuata ſucceſſio Epiſcoporum in Eccleſiis, ac præcipuè in Apoſtolica Sede omnium magiſtra, aliáque hujuſmodi, quæ cùm apud veteres Patres, tum apud recentiores Theologos congeruntur: ea ſunt, quæ nos de vera Chriſti Eccleſia certiſſimos faciunt. Et cùm aut horum nihil, aut nonnulla quidem, ſed non ſingula & omnia in nullo Chriſtianorum ordine coeant, & verificentur, præterquam in Catholica Romana Eccleſia, facilè etiam intelligimus, hanc unam, & nullam aliam præter hanc eſſe germanam Chriſti Eccleſiam. Quòd ſi hæc vera

Digitized by Google

ra Chriſti Ecleſia eſt, ergo verum fuit ſemper , quod illa docuit, verum eſt, & erit, quod illa docet ac docebit ; neq; titubare, neque contraire, niſi temeritate intolerabili, poteſt hominum ratio, ſed jure conquieſcere debet, cùm Ecleſia iſta munere divino verax, viſibilis æternúmq; duratura, quid ſit in ſanctiſſima Religione credendum proponit.

CAPUT IX.

Eccleſiæ Catholicæ perperam negata ab Hæreticis immunitas ab errore. Proteſtantium Methodus in inquiſitione veræ doctrinæ quàm temeraria, & quot Hæreſum origo. Catholicorum Methodus quàm laudanda. Non ingenio privati cujuſque hominis dimittenda ſacrarum Literarum interpretatio in dogmate. Vox Eccleſiæ veræ hic audienda, Deo id præcipiente.

EQuidem puto, non poſſe non probari ab hominibus ingenio pollentibus & æquitatis ac veritatis cultoribus traditum hactenus rationis iter in inquiſitione veræ Religionis. Sed quid non exſpectes ab immoderatis ingeniis, ubi plus ſapere velint quàm oporteat ſapere; ubi plus ſibi tribuant, quàm hominis infirmitatem deceat, ubi turbidis ac effrenatis animi affectibus ſe rapi ſinant ? Primò nonnulli viſi ſibi ſunt in Eccleſiæ dogmatibus errores deprehendere. Proceſſerunt itaque ad negandam Eccleſiæ im̃unitatem ab erroribus. Deinde cùm ea dogmata, quæ ipſorum ingenio à veritate abhorrere videbantur, in Eccleſia Catholica Romana eorum matre aut traderentur, aut tradi putarentur: reliquum fuit, ut Eccleſiam iſtam à Religionis veræ cuſtodia ac profeſſione excidiſſe cenſerent. Denique unam ſtatuerunt *veritatis Chriſtianæ regulam divinas Scripturas*, in quibus omnia manifeſtè contineri ajunt Chriſtiano populo credenda; nihílque porrò credendum, quod iſtarum ſuffragio manifeſtè non probetur. Libentiſſimè exceperunt has voces complura alia ingenia, partim novitatis cupida, partim ſpe veritatis tutiùs aſſequendæ excitata; quodq; facilè fieri ſolet ignaris quoque populis perſuaſerunt. Et altas adeò radices in eorum animis egit iſta perſuaſio cum lacte hauſta , ut æquas amplius audiendæ veritati non præbeant aures, ſed ex iſtis præjudicatis opinionibus ſingula dimetiantur.

Digitized by Google

Non hìc repetenda, quæ à doctiſſimis inter Catholicos, iiſque plurimis viris hucuſque ſcripta, apertiſſimè produnt, quàm malè conſuta ſit, & quàm facilè evaneſcat hujuſmodi fabula. Neque enim ullius erroris inſimulari poteſt Eccleſia, utì patet ex iſtorum Libris: & ne cogitandum quidem eſt, eam in errores prolapſam, niſi Chriſtum falſa promiſiſſe ejúſque Apoſtolos falſa tradidiſſe concedamus: quod ſanè dementis eſt vel ſuſpicari inter Chriſtianos. Tum ex iis dogmatis, quæ Eccleſiæ Catholicæ à Proteſtantibus tribuuntur, nonnulla eidem falsò tribuuntur, reliqua verò ab errore longè abſunt. Noſtrûm eſt tantummodo inveſtigare, num tutum ad veritatem iter arripuerint Proteſtantium ingenia; non arripuiſſe autem cùm certum eſt Catholicis omnibus, tum reliquis certum eſſe deberet, ſi in conſiderationem veritatis oculos ſinceros ſolicitóſque intenderent.

Hæc eſt Proteſtantium methodus. Ex unis divinis utriuſque Teſtamenti Libris veritas ſperanda eſt, & Chriſtianæ Religionis dogmata haurienda. Tunc Eccleſiæ decretis ſtandum non eſt, cùm ea minimè conſentiunt cum divinis Literis. Ità illi. At quiſnam certò perſpicere poſſit, quis ſit germanus divinorum verborum ſenſus? quiſnam certò decernere, quando Eccleſia cum ſcripturis conſentiat, aut ab iis (ſi ſuperis placet) etiam diſſentiat? Una humana ratio, neceſſe eſt reſpondeant. Nonnulli quidem inter eos, Calviniſtæ ſcilicet & Quakeri, cœleſtem quemdam afflatum excogitârunt, quo ducti ſinguli Chriſtiani germanam percipiant Scripturarum mentem. At poſtremam hanc inſanam opinionem jamdiu exſibilârunt prudentes rerum judices. Inde enim prodiit non una aliorum Fanaticorum familia. Cœleſtem autem hunc afflatum temerè confingi patet in tanta Sectarum diverſitate, in tanto opinionum bello: quod certè abeſſet, ſi in ſingulos homines iſta vis intelligendæ divinæ Scripturæ è cœlo deſcenderet. Et quis inter errorem veritatémque dijudicet, quando unuſquiſque ſuas à Deo cogitationes accepiſſe ſe dicat? Deum potiùs ipſum irriſioni exponamus, ubi contraria ab ipſo ſuggeri arbitremur. Igitur eò confugere coacti ſunt inter Proteſtantes minus incauti, ut humanæ rationi ſupremum ſive poſtremum tribuant decernendi jus in controverſiis, & quæſtionib Chriſtianæ Religionis. Ne verò ultra humanæ rationis vires excedere videatur hujuſmodi facultas, adeò manifeſta eſſe ac per ſe dilucida divinorum librorum verba & ſenſa, ſibi perſuaſerunt, ut cœcutire niſi niſi volens ibi non poſſit ratio.

Sed

Digitized by Google

Sed duo ſunt, quæ hanc methodum miræ temeritatis, & imprudentiæ arguant. Nempe hinc humanæ rationis explorata infirmitas, inde minimè aperta omnium oculis ſacrorum voluminum ſenſa & verba. Et quod eſt ad hominis rationem, jam ſuprà vidimus, quàm debilis ſit illius vigor, quàm periculoſa ſit illius fides, niſi cœleſti lumine præcipuiſque à Deo viribus juvetur. Et quod eſt ad ſacras Scripturas, nemo eſt, qui non ſentiat, plura ibi eſſe & ardua, & obſcura, & in ſpeciem contraria, quæ juſtiſſimas hærendi cauſas vel acutiſſimis viris ingerant, & quorum ſenſum ac mentem difficillimum ſit decernere. Et ſanè evidenti conſilio ſuæ bonitatis videtur voluiſſe Deus illorum ipſemet confutare opinionem, qui tantam Scripturis ſacris lucem, & ſenſuum claritatem, rationi verò tantas vires ineſſe jactitant. Eos enim permiſit inter ſe omnino diſcordes eſſe, & perpetuis certare litibus & odiis in ſtatuendis tot Religionis Chriſtianæ dogmatis. Eorum quilibet utriuſque fœderis libros intonat, rationem quoque ſibi eſſe magiſtram nemo ex iis non credit. Nihilominus aliter hic, aliter ille ſentit, imò contraria ſentiunt ac docent aut de attributis, & dotibus Dei, aut de ipſo Deo uno ac trino, aut de Filii ac Spiritûs ſancti divinitate, aut de gratia & libero arbitrio, de neceſſitate Baptiſmi, de Sacramento altaris, aliiſque id genus. Præterea mirum eſt, quàm ſæpè una eadémque ſecta ſententiam mutaverit, & diverſa de uno eodémque dogmate tradiderit. Itáque temerè vividum rationis lumen, & aperta ſcripturarum ſenſa jactantur, adeò ut non indocta ſolùm plebs, ſed ne ipſi quidem doctiſſimi viri habere pro certo poſſint, ſe ad veritatem perventuros, hac adhibitâ methodo, quæ ad errorem æquè perducit.

Contrà Catholicorum methodus pedem certò figit, & homines cùm doctos, tum indoctos errare non ſinit. Nam ubi ex aperto Scripturarum teſtimonio evidenter cognoveris, Eccleſiam à Chriſto fundatam fuiſſe, & nunquam inferorum machinas contra eam eſſe vim habituras, ipsámque eſſe *columnam, & firmam entum veritatis*; & ſanctum Spiritum eidem perpetuò affuturum: ſi Chriſto fidem habere eſt animus, continuò hinc ſequi intelligis, te eò tutiùs ad veritatem acceſſurum, quò arctiùs hujus Eccleſiæ ſententias amplectaris. Neq; ulla rationi rectæ infertur injuria; omnium enim potentiſſima eſt ratio iſta, videlicet: *Eidem tutò ac ſinè dubitatione credendum eſſe, qui neq; falli poſſit neq; fallere velit, cujuſmodi eſſe conſtat veram Chriſti Eccleſiam, cùm de Chriſtianæ veritatis doctrina fidem facit.* Quare nihil eſt, quòd nos

 veluti

veluti mancipia arbitrentur, uſumque rationis abjeciſſe dictitent Proteſtantes. Nam præter innumeras rationes præcipuas, quibus vel ſepoſitâ auctoritate Eccleſiæ ſingula Catholicorum dogmata confirmantur, utpote quæ ſacrarum Scripturarum, aut antiquiſſimæ Traditionis teſtimonio fulciuntur, nos ipſa ratio docet, nunquam magis pollere mentem noſtram, & ratione uti in judicando vero, quàm quando ſe judiciis Eccleſiæ accommodat, quæ à Deo habet, ne unquam in dogmate fallatur, aut fallat. Catholici itaque non ſecus ac Proteſtantes, divinis Scripturis, & rationibus in fidei doctrina ſtabilienda, ſive credenda, utuntur. Sed hæc inter utroſque differantia intercedit. Proteſtantes divini Verbi ſenſum, & religionis dogmata metiuntur è privato cujuſque ingenio, uti ratio in conſilium adhibita unicuique perſuaſerit. Scilicet in re tanti momenti judicem & conſiliarium ſibi adſciſcunt infidelem, atque infirmum, uti quotidiana experientia docet, ſatiſque teſtantur ferventes adhuc inter ipſoſmet controverſiæ. Catholici verò cùm ingenium ſuum, tum Eccleſiæ vocem auſcultant in exquirendo & ſtatuendo Literarum ſacrarum ſenſu. Ingenium autem ſuum, ſi fortè ab Eccleſiæ voce diſſentiat, ſilere malunt, quàm loqui. Conſilio utique ſaluberrimo, quippe non fallacem conſiliarium, ſed certiſſimum judicem à Chriſto ad dirimendas fidei controverſias conſtitutum ſibi petunt, Nemo prudens inter Proteſtantes Spiritum Dei ſibi certò adeſſe jactet, per quem ab errore ſe prorſus immunem polliceatur. Et ne ullus quidem inter privatos Catholicos tantum ſibi è cœlo munus tribuat. Verùm ubi nos Eccleſiam audimus & ſequimur, cui Spiritum ſuum Spiritum Veritattis ut Joannes Apoſtolus teſtatur cap. XI v. 10. uſque ad conſummationem ſeculi nunquam defuturum, Chriſtus ſpopondit: quis non videat, nos tutiſſimam non errandi viam inire? Itidem unuſquiſque intelligat, ceteros ab Eccleſia Dei diſcordes ex eorum ſententia incertos ſaltem in fidei controverſiis eſſe debere; è noſtra verò ſententia, ubi à nobis diſſentiunt, eos certiſſimè errare

Sed cùm hac ex parte ſe victos ſentiunt Proteſtantes, aliò ſe convertunt, redeúntque ad ingenium ſuum. Quod animo olim perceperunt, Catholicam videlicet Eccleſiam eorum parentem pravis abundare opinionibus, & ſacrilegiis operam dare, id ante illorum oculos iterumque recurrit Hinc ex effectibus argumentantur ad cauſam, contendentes, quandoquidem Eccleſia erravit, nullam eidem ab errore

errore immunitatem à Deo conceſſam. Equidem hîc appellare juvat eorum fidem, & rogare, ut depoſitis præjudiciis & affectibus anteceptis rationem diligentiùs auſcultent, quàm judicem ſacrarum Scripturarũ ipſi ſtatuerunt, & nos non ſolùm non abhorremus, ſed hîc ultro & enixè cauſam dicere volumus. Quid eſt, quod eos certos facit de Catholicæ Eccleſiæ erroribus? Scriptura divina, inquient. At Scripturam ipſam Catholici proferunt, & non tantùm eamdem à ſe ſtare credunt, & demonſtrant, ſed unam obſtare pertinaciã cenſent, ne id Proteſtantes quoque videant. Utra ex his partibus rectius interpretetur divinos codices, incertum ſit. Quis litem dirimet, quis feret ſententiam? Recta, inquient, ratio, adhibito diſplinarum omnium, & Criticæ linguarúmque præſidio. At Catholicis quoque ſcientiarum, Criticæ, linguarúmque præſidium adeſt, adeſt & enixum veritatis ac æternæ vitæ deſiderium, & rectam in iis rationem deſiderari, nullus inter Proteſtantes, ut credere juvat, ſibi perſuadebit. Quem ergo ulteriùs judicem appellabimus, quæſtionem adhuc vigentem poſtremo voto deciſurum? Nullum alium puto, quàm Deum, cujus tamen ſententiam nobis, niſi poſt exactos mortalis hujus vitæ dies, audire licebit. Interim verò, cùm ſaltem incertum Proteſtantibus æquis remanere debeat, num Catholica Eccleſia errorem fuerit amplexa, quî ex his incertis criminibus evertere volunt certam de minimè fallaci Eccleſia ſententiam in Scriptutis ſacris evidenter fundatam, & rectæ rationis ſuffragio fortiſſimè comprobatam? Cur certa iis quoque eſſe non incipit iſta ſententia, quando ne certam crederent, una obſtabat antecepta perſuaſio, Eccleſiam nempe in quoſdam errores jam fuiſſe prolapſam? Ratio profectò monet, propter id, quod incertum dubiúmque eſt, ea non eſſe rejicienda, quæ certa ſunt. Rurſus ipſamet ratio Catholicos bono eſſe animo jubet, & veritatis poſſeſſores decernit. Evidentiſſime quippe promiſſum in Scripturis ſacris legunt, Eccleſiam Dei nunquam à veritate defecturam, ſempérque veritatis futuram eſſe magiſtram; deinde evidenter cognoſcunt, Eccleſiam nihil tradere, quod Scripturis à Deo traditis repugnet, aut per ipſas dilucide non probetur. Quare ſentiunt ſe falli non poſſe, dum auctoritate Eccleſiæ Catholicæ nituntur, quæ auctoritas præſidium ſimul eſt, & frenum rationis. Præſidium, ut rationi media pateat via, in qua verum ſedet; frenum, ne ad extrema ratio declinet.

Porrò ex effectibus diximus intelligi, quanti ſit æſtimanda Proteſtantium methodus, & num Deo probari poſſit, qui unam ſemper & concordem vult eſſe religionem ſuam; & num rationi arrideat tantopere ab erroribus abhorrenti. Lutherus (ut veteres omittam Hæreticos) irarum plenus in Eccleſiam Catholicam parentem ſuam, adulterii arceſſitam, inſurrexit. Quæ ingenio ſuo, aut, ſi mavis, rationi ſuæ viſa ſunt divinis conformia Scripturis, probavit; quæ deformia, rejecit, damnavit. Non exemplo ſuo tantum, ſed grandi etiam voce docuit, contemnendam eſſe Eccleſiæ vocem, unicéque reſpiciendam eſſe Scripturam. Quod neceſſariò conſequebatur, fortaſſe tacuit, videlicet, pro Eccleſiæ voce rationis vocem auſcultandam eſſe, & rationem divini verbi judicem adſciſcendam, quaſi ratione Eccleſia ipſa non uteretur. Fallaciſſima hæc methodus continuò Zvvinglios, Oecolampadios, Carolſtadios, Anabaptiſtas, & innumeros alios religionis Doctores peperit, quibus nihil antiquius fuit, ſi ipſis fides, quam divinis hærere libris, hoc eſt Scripturas ſacras ex ingenio ſuo, ſuæque privatæ rationis conſilio interpretari, & Catholicam interim Eccleſiam collatis viribus oppugnare. Verùm hinc mille monſtra ſententiarum, mille Sectarii prodiêre, contrariis opinionibus non minus inter ſe, quàm contra Catholicam Eccleſiam pugnantes. Tulit eadem ætas Calvinum alteram Europæ facem, & Anglos invaſit malè ſanus idem ardor, qui reliquum Septentrionem in tot opiniones diſcerpſerat. Succeſsêre Sociniani, tum eorum, penè dixi, gregales Arminiani, Syncretiſtæ, Quakeri, aliíque Fanatici, Independentes, Præadamitæ, & ut breviùs dicam, non facilè numeranda aliarum ſectarum fruſta. Singulos ex iſtis contraria ac diverſa tradentibus interroga. In eorum, dicant, caſtris divina Scriptura, veritas, & ratio militant; in reliquorum error & falſitas. Et tamen ne uni quidem è tot Chriſtianorum ſectis à Catholica Religione avulſis adſunt credibilitatis argumenta, qualia ſunt antiquitas, unitas doctrinæ, Epiſcoporum ſucceſſio ab Apoſtolis, miraculorum virtus, atque alia hujuſmodi.

Quæ igitur incommoda è Proteſtantium methodo fluant, nullo negotio colligas. Primò, ne doctis quidem & acutis hominibus facilè erit in tanta opinionum diverſitate cognoſcere, quæ ad veritatem certò accedat, cùm utrinq; Scriptura ſacra, & rationum pondus jactetur, & æquè una pars ac altera ſe prævalere lumine rationis, ſeu rationum

vigo-

vigore, enixè contendat & credat Secundò, multò minus id populis imperitis licebit, tum quòd eorum non ſit, rectè de tantis litibus inter Proteſtantes agitatis judicare, tum quòd nulla ſuppetant potentiſſima credibilitatis argumenta, quæ in hanc potiùs, quàm in alteram partem, inclinent in doctorum mentem, Tertiò, novi in dies emergent ſectarum auctores, novæ ſententiæ, nova deliria, dum quiſque ſibi ſumit divinos Codices pro ſuo interpretari ingenio, nullúmque frenum ſuæ rationi ſtatuit. Neque temeritatis argui à cæteris Hæreticorum ſectis quiſquam poterit, quippe non aliter hîc ſe regat, ac ſe texerit Lutheri, Calvini, aliorúmque Proteſtantium chorus, & ipſe ſibi idemmet jus, eamdémque tribuat libertatem. quam ſibi ſumendam reliqui Novatores putarunt. Ita fiet, ut nulla ſit inſania, nulla perverſa opinio, quam veluti Chriſti doctrinam invehere non audeant ac poſſint hominum ingenia. Continget etiam, ut nulla ſuperſit ratio avocandæ ab errore, & convincendæ hujuſmodi gentis, ubi ingenio, quod eſt difficilium, hæc cedere aliis nolit. Et jam vidit Chriſtianus orbis, in quas opiniones teterrimas depredicatum hoc rationis lumen trahere facilè poſſit. In Religione Chriſtiana dogma nullum eſt, quod ab aliquo homine, aut aliqua ſecta negatum, impugnatúmque non fuerit. In Atheiſmum, aut Scepticiſmum tandem iſta opinandi licentia commodiſſimè defert. Denique Lutheranis Calviniſtas evertere nondum licuit; Remonſtrantes nihil duxêre minas, & Synodos Calvinianas; & inter tot ſectas internecinum odium, aut æquè abominandum Syncretiſmum vigere adhuc cernimus.

Hìc rogandi ſinceri veritatis inveſtigatores & recti amantes, quid eorum ratio ſuggerat, cùm hæc & alia plura, quæ hanc in rem adferri poſſunt, ſeriò & affectibus tacentibus expendunt. Omnibus utique illa reſpondere deberet, non poſſe, ut per hanc periculoſam methodum ad veritatem ſine dubitatione perveniatur. Fieri itidem non poſſe, ut Chriſtus, qui veritatem ſuæ doctrinæ non ſolùm apud homines æternùm durare, ſed etiam in omnem terram effundi, & facilè ab hominibus cognoſci poſſe voluit, hanc unam tradiderit adeò fallacem regulam, quâ vera Scripturarum ſuarum mens innoteſcere poſſit. Niſi aliter ille cōſuluiſſet religioni ſuæ, ac infirmæ rationi, qualis in hac miſera natura deprehenditur, voti ſui (dicere bonâ fide liceat) nunquam factus fuiſſet, fierétque compos. Immo hinc conſequitur, Re-

Religionem Chriſtianam, ejúſque auctorem Deum, deridendum Infidelibus exhiberi ab iis, qui nullum aliud præter rationem humanam inſtitutum à Deo tribunal arbitrantur, cujus ſit finem imponere controverſiis quotidie in ſacrarum Literarum interpretatione exurgentibus, & cujus ſit tum certò proponere, quæ aut credenda aut neganda ſint, tum frenum temerariis ingeniis injicere. Tandem nullam à Lutheri, putà, & Calvini ſectatoribus adferri poſſe rationem contra ipſis æquè ac nobis deteſtandum Socinum, quæ in ipſorum caput non recidat, & tunc ipſos vinci ab Eccleſia Catholica meritóque damnari, cùm Socinum ipſi vincere & damnare contendunt. Et certè Socinianæ peſtis, aliorúmque hujuſmodi monſtrorum ortum permiſiſſe Deus videtur, ut Lutherani & Calviniſtæ hinc etiam diſcant, quàm temerè ab Eccleſia Catholica ipſi priùs defecerint, quando ipſiſſima eorum methodus Socinum, Spinoſam, & mille alias Hæreticorum ſectas peperit, & armavit, nováſque in dies ſingulos parere & armare poteſt, exarmare autem aut expugnare non poteſt.

CAPUT X.

Auctoritas Eccleſiæ Catholicæ in Fidei doctrina à Phereponi objectionibus vindicata. Et non ſine ratione credimus. Fallaci auctoritati Proteſtantes addicti, & incerta apud eos veritatis conſecutio. Antiquitas doctrinæ in Chriſti ſchola & credentium multitudo robuſta veritatis argumenta. Novitas & paucitas erroris indicium extra Catholicam Eccleſiam. Phereponi in hanc rem animadverſiones confutatæ.

INvictæ ſunt omnes Hæreticorum ſectæ, ubi una in alteram inſurgit, ſed facilè vincendæ ab Eccleſia Catholica, quoties ipſæ tum ſuam, tum Catholicorum methodum, ambarúmque longè diverſa conſectaria placidiſſimis mentibus ſimul conferant. Cùm ergo demonſtratum fuerit, quàm ſit fallax, periculoſa, & à mente Dei aliena illorum methodus, qui in una vi rationis ſeu ingenii ſui ſtatuunt veram divinarum literarum & Chriſtianæ doctrinæ interpretationem: reliquum eſt, ut nulli privato homini infalli-

Digitized by Google

fallibilitatem tribuamus, ſed Eccleſiæ veræ, hoc eſt univerſali, in qua Spiritum Sanctum veracem ſacrorum Codicum Interpretem ſemper adfuturum Chriſtus pollicitus eſt. Neceſſariam autem eſſe, atque à Deo propterea Catholicæ Eccleſiæ datam iſtam auctoritatem, ratio cognoſcit, ut tot abſurda evitentur hactenus commemorata. Imò, ut vidimus, ſacræ id teſtantur Scripturæ manifeſtis verbis, & SS.Patres, & antiquiſſima Traditio, & uſus tot ſæculorum apertiſſimè probant.

Statutâ autem hujuſmodi auctoritate, cùm docti, tum indocti, prætermiſſo etiam examine controverſiarum, conquieſcere meritò poſſunt, utpote certi ſe ab errore abfuturos, quoties id credunt, quod Eccleſia Catholica Spiritu Dei erudita credendum proponit. Atque hoc ipſum illud eſt, quod S. Auguſtinus cap. 7. de Quant Animæ ajebat, nempe: *Auctoritati credere magnum compendium eſſe, & nullum laborem, & animis tardioribus ac imperitioribus utiliſſimum eſſe excellentiſſimæ auctoritati credere; & ſecundùm hoc agere vitam.* Quæ tamen verba ità Phereponus in animadverſionibus vellicabat: *Sed priùs ipſa illa auctoritas expendenda eſt, quam ei fidem habeamus; ità ut ei per omnia credamus, quia nobis indubitatis argumentis conſtat, eam nec falli, nec fallere. Alioqui ſtultum eſſet ei credulitatem ſuam addicere, à qua verum dici nullâ ratione conſtaret. Sin minus, barbari omnes populi, qui Sacerdotibus, aut Majoribus ſuis tam multa temerè credunt, rectè facere dicendi eſſent. Compendiariâ viâ etiam progrediuntur, ſed ut ad omnis generis errores perveniant, ex quibus nunquam ſe expediunt.* Hæc quidem benè habent, modò is perſuadere nolit, Catholicam Eccleſiam falli ac fallere poſſe, & Auguſtinum in ea fuiſſe opinione, ut Catholicorum Sacerdotum auctoritati ſinè conſilio, ſinè ulla ratione, fidem adjungendam eſſe cenſeret. Auguſtini hac de re ſententia aliis in locis, ut vidimus, expreſſa eſt. Sed quæ hic Cenſor dicere pergit, non ſunt facilè dimittenda: *Itaque*, ait, *omnes cavere oportet, quibus cordi eſt Chriſtiana Religio, ne idem ei fundamentum ponant, quo maximi & turpiſſimi quique errores nituntur.*

Si Catholicæ Eccleſiæ ſententiam & uſum hîc ille carpit, ſicuti ſuſpicari cogimur, næ Phereponus collocavit optimum documentum. Nam, ut hactenus oſtendimus, ideo Catholici Eccleſiæ auctoritati credunt, quia indubitatis argumentis ducti eam vident neque falli, neque fallere poſſe; & cuicumque poſcenti auctoritatis hujus rationes parati ſunt illas dare, priuſquam exigant, ut Catholicæ doctri-

Digitized by Google

doctrinæ fides habeatur. Tantùm autem abeſt, ut poſito hujuſmodi fundamento Catholicis errandi periculum immineat, ut ſinè fundamento nemo de veritate ſit certus, nemo errandi periculum effugiat. Quòd ſi Pherepono animus fortè fuit his verbis erudire ſuam gentem: laudandus eſt profectò illius zelus, comendanda prudentia. Ejuſmodi enim conſilio nemo plus indiget, quàm Lutheri Calviniq; familia. Ex his plerique omnes, etiamſi reliquorum hominum, ſuorúmque etiam Paſtorum auctoritati in religionis negotio prorſus renuntiandum, & uni Scripturæ credendum verbis affirment: re tamen & uſu nihil magìs ſequuntur, quàm ſui inſtitutoris, ſuorúmve Paſtorum auctoritatem, ſive confidentiam. Siquidem quis è minuto rudique popello, quis (ne graviora dicam) & ſemieruditis, id ſtudii, id linguarum Orientalium, id Critices & eruditionis ſecum attulit, ac affert, quod apprime neceſſarium eſt, ut exhauriantur controverſiæ omnes inter ipſos & Catholicos, & rurſus inter ipſos alióſque Hæreticos vigentes? Si non attulerunt (quod arbitror, ſincerus quiſque fatebitur,) ergo certa minimè eſt eorum ratio, ſe veritatem ebibiſſe, erroréſque vitâſſe. Et quidem quando apud ipſos valere non debet authoritas, ratio poſcit, ut unuſquiſque ſingula dogmata in quæſtionem adducta perpendat, & rationes utrinque allatas ſedulò examinet: ad quod præſtandum incredibile dictu eſt, quot præſidia, quot anni, & quanta vis mentis exigatur. Catholicos à tanto labore eximit facilè cognita ſuæ Eccleſiæ veritas ac veracitas, cum qua ſciunt ſe errare non poſſe. Cùm igitur è Chriſtianis non Catholicis plerique auctoritatis contemptores & rationis unius præcones, in religionis tamen negotio ſe inconſulto duci ſinant auctoritate ſuorum Paſtorum, divinas Scripturas pro ſuo ingenio interpretantium: prudenter iis auctor eſt Pherepon us, ne tali fundamento fidant, quod ex eorum ſententia dubium eſt, ac errori æquè inſervit, imò ex noſtra quoque ſententia fallaciſſimum eſt, niſi cùm Eccleſiæ Catholicæ auctoritati creditur, cui divinum Spiritum adeſſe, ſempérque adfuturum oſtendimus.

Et ſanè Pherepono liceat hiſce conſiliis erudire populos ſui ſimiles, hoc eſt Eccleſiæ Catholicæ rebelles, liceátque illi remonſtrantes ab auctoritate Dordracenæ Calvinianæ Synodi eximere. Prædicet ille rationis iura, & pericula explicet iis immentia, qui auctoritati fallaci ſuam addicunt credulitatem. Sed viciſſim patiatur, ut ſibimet ipſi rationem tantopere commendanti, paucis mutatis ſua verba red-

reddantur. Ità ratio, ejuſque vigor priùs expendendus eſt, quàm ei fidem habeamus in rebus fidei, ità ut ei per omnia deinde credamus, quia nobis indubitatis argumentis conſtat, rationem noſtram falli non poſſe. Alioqui ſtultum eſſet, eam arbitrari certam veritatis Magiſtram, quam talem eſſe minimè conſtaret, & quam ſæpè falli, & in errores turpiſſimos labi exploratum foret. Atqui Chriſtianæ omnes Sectæ, à Catholica Religione abhorrentes, rationem ſuam privatam conſtituunt ſacrarum Literarum certiſſimam interpretem, eáque viâ tutò ſe progredi ſingulæ opinantur, ſed ut ad omnis generis errores perveniant, ex quibus nunquam ſe expediunt. Ergo cavere omnes oportet, quibus cordi eſt Chriſtiana Religio, ne privatum conſilium rationis, hoc eſt, idem Religioni fundamentum ponant, quo maximi & turpiſſimi quique errores, & tot Hæreticorum deliria nituntur, & ne abjiciant Catholicam Petram, in cujus unius ſtabilitate humana ratio fixa ſperare poteſt, ſe à lapſu immunem ſemper eſſe futuram. Quod eſt ad Catholicos, ii luculentiſſimè ſuis in libris oſtenderunt, & oſtendere iterum poſſunt, ad auctoritatem minimè fallacem Eccleſiæ Catholicæ nihil pertinere Phereponi cenſuram. Neque enim nos auctoritati ſinè ratione credimus, neque rationem excludimus, ſed cum auctoritate conjunctam volumus: quæ concordia tum demum rationi robuſtiſſimam facit, tutóque ad veritatem perducit. Verum quod eſt ad Proteſtantes, tunc oſtendet Phereponus, eoſdem nequaquam ubuti rationis lumine, cùm palam fecerit, tot támque varias ac oppoſitas Hæreticorum ſectas, tot errores, tot monſtra opinionum, ex iſta rationis humanæ ſuperbia, tanquam ex equo Trojano, nequaquam prodiiſſe.

Multò autem magìs Catholicorum ratio in cognitione veritatis, quam amplexa eſt, confirmabitur, ubi tot notas contempletur, quæ nos docent, omnium Hæreticorum nunc vigentium ſectas carere nomine veræ ac veracis Eccleſiæ. Nempe non originis ſolùm, ſed etiam doctrinæ novitatem, turbas, & humanas artes, per quas invecta plerumque fuerit hæc nova doctrina. Nulla miracula, nulla ſigna earum auctoribus fuiſſe, quanquam neceſſaria, ut veritatem ſuæ novitiæ doctrinæ teſtarentur è cœlo venire, oſtenderéntque Catholicam Eccleſiam ejúſq; auctoritatem eſſe repudiandam. Iis auctoribus (quippe

neque

neque à Deo, neque a legitimis Paſtoribus ad prædicandum miſſis) defuiſſe legitimam vocationem, legitimámq; docendi auctoritatem, quam tamen Apoſtoli, recta politia, & ratio in Eccleſia Dei apertè exigunt, ne cuicumque liceat errores ſub ſpecie veritatis diſſeminare, & identidem novas condere religiones, eáſque incautis eo obtrudere titulo, quòd vetus religio è ſuo jure & è veritate exciderit Deinde nihil ſimile habere cum vera Chriſti religione inconſtantiam doctrinæ, quam inter Proteſtantes facilè eſt deprehendere Tandem ab Eccleſia vera abhorrere, quæcumque intoleranda abſurda ſequuntur, quando vera eſſet excogitata ab Hæreticis Eccleſiæ Catholicæ in errores defectio; atque admittenda foret illa methodus, quam tantopere prædicant, & ſequuntur Heterodoxi: Juvat etiam addere, quod Catholicis ſolatio ſit, & reliquis incitamento, ut unam amplectantur Catholicam Religionem. Quocumque odio in iſtam Eccleſiam rapiantur præcipui ex recentioribus Hæreticis, fateri tamen non dubitârunt, neque dubitant, quin iſtius quoque ſectatores, modò ad Evangelii normam & mandata ſuos mores componant, æternam ſalutem adipiſci poſſint Id in libris Lutheranorum, Calvinianorum, Syncretiſtarum, & Socinianorum legere eſt. Cùm ergo ex conſenſu vel inimicorum certum ſit, veritatem & ſalutem in Eccleſia Catholica haberi poſſe: contra verò, cùm è Catholicorum ſententia, cui Apoſtolorum, ſanctorúmque Patrum, & totius antiquitatis voces conſentiunt, certum ſit, inter Hæreticos, ſive Luthero, ſive Calvino, ſive Socino, ſive aliis addictos, æternam ſalutem obtineri non poſſe: Ratio manifeſtiſſima ſuadet, auctoritati Eccleſiæ Catholicæ ſtandum, & non immorandum in Hæreticorum cœtu, ſed in illius ſinum eſſe volandum, à cujus unius communione ſperanda eſt communi ſuffragio ſalus. Tanti námque momenti ſalus æterna eſt, ut certo periculo (ſi vera eſt Catholicorum ſententia) exponenda non ſit in Hæreticorum caſtris, quando periculum omne in Catholica Schola vitare fas eſt.

Sed nos ad Phereponum regredientes exquiramus, quid ſibi alio in loco is velit S. Auguſtinus in Lib de Util. credendi cap. 16. hæc de Chriſto pronuntiaverat: *Ergo ille afferens medicinam, quæ corruptiſſimos mores ſanatura eſſet, miraculis conciliavit* (ſibi) *auctoritatem, auctoritate meruit fidem.* (His verbis liberaliter adſentitur Phereponus, at non ſequentibus) *fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit religionem.* Inquit enim Cenſor:

ſor: *Quamvis Chriſtus fide ſibi factâ apud multitudinem, Eccleſiam ſuam condiderit, atque conditam auxerit: attamen eò non ſpectavit, ut aliquando religionem vetuſtate roboraret, quaſi vetuſtas argumentum quandóque futurum eſſet veritatis. Non adſentimur iis, qui Chriſti dogmata ſequuntur, quia antiqua eſt illorum fides, ſed quia conſentanea eſt veritati cœleſti, cui fidem Chriſtus miraculis ſuis fecit.* Strenuè ſuam cauſam hîc agit Pherepònus, argumentum à vetuſtate petitum expendens, utpotè qui toties objici ſibi non tantùm à Catholicis, ſed & ab ipſis Calvini aſſeclis, ſententiarum Arminianarum novitatem meminit. Et reverà vetuſtatem opinionum, ut ut veneratione fere ſemper dignam, non eſſe tamen certum argumentum veritatis, nihil veriùs eſt in opinionibus ad Phyſicam, ad Aſtronomiam, & ad nonnullas alias Artes ſpectantibus. Sed miror, Logicum, Criticúmque virum aut animadvertere nolle, aut nolle fateri, quantùm ponderis ſit vetuſtati in Theologicis, atque hiſtoricis rebus. Primi gēeris ſententias nulla antiquitas opinantium veras eſſe perſuadere poteſt; nulli quippè ex antiquis magiſter aliquis fuit falli neſcius, qui eos de veritate hujuſmodi opinionum certiſſimos efficeret. Ingenium ſuum cuíque pro magiſtro erat. Cùm autem antiquis Philoſophis interdum ingenio recentiores non cedant, immo iſti illis nonnunquam antecellere poſſint, majore nempè ſtudio, pluribúſque quàm antè adminiculis ſuffulti; quis non videt, æquè in recentiorum quàm in veterum placitis veritatem haberi poſſe, nihílque eſſe, quod ſupra nos majores noſtri ſibi tribuere poſſint in hujuſmodi veritatū inquiſitione, niſi quòd ante nos inquiſierint, nobíſque faciliorem ſtraverint viam ad veritatē ipſam inveniendam?

At longè aliter ſe habent ſecundi generis ſententiæ. Si ſit quæſtio, utri ex duobus hiſtoricis in re quapiam diſcordibus adhibenda ſit fides, & par ſit utriuſque fidelitas, judicium, ac eruditio, & utrinque veriſimilia narrentur, nemo inter Criticos futurus eſt, qui non judicet, antiquiori potiùs quàm recenti credendum, multóque magìs antiquiſſimo in comparatione ad modum novitii ſcriptoris. Accidit id quoque in Theologicis rebus. Diſputatur inter Chriſtianos, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, & veráne, an falſa ſint dogmata quædam. Litem dirimere non licet, affirmantibus ſingulis, ſuā doctrinam ideo verā eſſe, quòd conſentanea ſit veritati cœleſti, cui fidem Chriſtus miraculis ſuis fecit. Potentiſſima ratio monet, ſecundùm illos judicandum eſſe, qui vetuſtatem ſententiæ, & Eccleſiæ

ſuæ, ad Apoſtolos uſque & ad Chriſtum perducunt reliquos verò longè à veritate recedere, quibus cùm Eccleſiæ, tum dogmatum novitas exprobari poteſt. Quis enim meliùs, quàm Antiqui, & Apoſtolorum æquales, ſive diſcipuli audire, aut reſcire potuerunt, quæ Chriſti mens & doctrina fuerit, quidve credendum, agendumve ipſe propoſuerit, cùm hæc ea ſint, quæ non ex ingenio hominum, ſed ex revelatione Dei & Chriſti pendeant?

Eóque magis valere id omnes intelligent, cùm de aliquo dogmate, ſive ſcripturarum ſenſu, lis eſt inter quoſdam recentiores; quindecim aut ſexdecim ſæculis ab Apoſtolorum temporibus diſſitos, & alios uno, duobus, aut tribus ſeculis ab iiſdem temporibus remotos, & potiſſimum ſi Eccleſia tota, & SS. Patrum conſenſus, & immemoralibus traditio militet contra paucitatem, & novitatem recentiorum. Enim verò hîc non agitur de conſtituenda Religione ſecundùm arbitrium noſtrum, aut intelligendis, atque explicandis Chriſti dogmatis, & Literis ſacris, prout ingenio noſtro magis arridet: quod ne ipſum quidem Phereponum velle arbitror, quanquam ipſa ejus dicta & facta nihil aliud velle præ ſe ferant. Sed agitur de retinenda Religione, quam Chriſtus, certiſſimus veritatis magiſter, revelavit, & de intelligendis atque explicandis codicibus ſacris, quemadmodum à Chriſto, ejúſque Apoſtolis intellecti ſunt, atque explicati. Nemo autem credendus eſt hîc magis ſcire, quàm qui aut Apoſtolos prædicantes, aut Apoſtolorum ſucceſſores audire, & quæ falſa, quæ vera forent, probe callere potuerũt, atque debuerunt. Contrà nemo in hujuſmodi controverſiis minus audiendus eſt, quàm qui tot ſeculis ab Apoſtolorum ætate remoti unum ſuũ ingenium judicem faciunt in tanti momenti rebus, & ſibi nuperis potiùs credi poſtulant, quàm antiquis, quibuſcùm Eccleſia Catholica conſentit, ſempérque conſenſit. Quapropter nihil certè ideo verum eſt, quia antiquum: ſed in controverſiis inter Chriſtianos agitatis robuſtũ veritatis argumentum, ſive ut melius dicam, indicium, antiquitas eſt. Et ſi alia accedant veritatis indicia, qualia habet una Catholica Eccleſia, certos homines efficere poteſt, ac debet de veritate doctrinæ. Indicium contrà atque argumentum falſitatis eſt novitas; atque ab iſta cavere quàm maxime oportere, & hinc etiã diſcerni Hæreſes & pſeudoprophetas Apoſtoli monuerunt. Hæc autem adeò certa ſunt, ut quicumque pejora etiam & falſiſſima dogmata duobus proximè præteritis ſeculis commentus fuit, non nota ſe tra-

dere

dere, ſed antiqua, & Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus probata, perſuadere neceſſum duxerit. Qua in re quantùm eos fallat ſua eruditio atque conatus, apertiſſimè patet ex Catholicorum Libris. Itaque non eſt, cur Phereponus in Theologicis inanem putet eſſe vim, & auctoritatem antiquitatis, non ſecùs ac ſi de Philoſophicis ageretur. Telum hoc omnium conſenſu acutiſſimum eſt, ſed tantummodo in Catholicorum manibus vim ſuam exercet. Multò minus fuit, cur Phereponus Auguſtino non adſentiretur, pronuntianti, Chriſtū vetuſtate roborâſſe Religionē. Tuebatur Auguſtinus adversùs Hæreticos veritatem ejuſdem doctrinæ ejuſdémque Eccleſiæ, quam & nos commendamus, & pro viviribus tuemur, hoc eſt, agebat contra illorum Chriſtianorum genus qui novitatem cùm originis, tum doctrinæ, & Eccleſiæ præferentes, ab antiquitate, Catholicam Eccleſiam atque doctrinam roborante, vincuntur. Propterea de Chriſto, inquit: *Vetuſtate roboravit Religionem, quam non ſolùm Hæreticorum ineptiſſima novitas fraudibus agens, ſed nec gentium quidem veternoſus error violenter adverſans aliquá ex parte convelleret.*

Agnoſcit hoc Phereponus, & tamen dicere pergit: *Sed Auguſtino commodum erat talibus argumentis uti in Hæreticos ac Schiſmaticos, quibus paſſim novitatem, & paucitatem exprobrat, quas olim Chriſtianis exprobraverant Ethnici.* Utrùm à vetuſtate petitum argumentum vim habeat in Hæreticos, ac Novatores, jam vidimus. At neſcio cur hîc producendos ſibi putet Ethnicos, eorúmque exemplum Auguſtino objiciat. Si par fuiſſet Gentilium, & Chriſtianorum cauſa, hoc eſt, ſi rationibus utrinque pugnatum æquè fuiſſet, & Chriſtianis nullum ſuccurriſſet evidens veritatis argumentum, excuſatione dignum fuiſſet hominum judicium, ſi Chriſtianæ Religioni Ethnicam prætuliſſet, quam nimirum neque ulla gravior adverſæ partis ratio vinceret, & contrà vetuſtas ac amplitudo evidentiùs commendarent, quàm Chriſti fidem. Sed hinc miraculorum ſplendor, Prophetarum oracula evidentiſſimè completa, & ſanctitas Legis Chriſtianæ, inde verò vel ipſi Ethnico vulgò facilè noſcenda, atque eruditis ferè omnibus certè nota Religionis Idololatricæ impietas ac inſania, tantùm roboris addebant rationibus Chriſtianorum, tantùm detrahebant Religioni Gentilium, ut ipſa novitas & paucitas Chriſtianæ gentis minimè obſtare deberet, quin doctus quiſque & indoctus ad caſtra Chriſtianorum tranſiret. Quod autem eſt ad Catholicos, & Hæreticos, inter ſe pugnantes, utraque pars ra-

Digitized by Google

tiones, & ſcripturas pro ſua ſententia adferebat. Rationibus certè Catholici præſtabant. Verùm id negantibus adverſariis, par videri multis potuiſſet cauſa, & anceps iſtius contentionis exitus, niſi Catholicorum rationes evidenter juviſſet ſententiarum vetuſtas, & Eccleſiæ amplitudo. Jure ergo ad Catholicos inclinare debuit victoria; nam ii mentem Chriſti, verúmque ſenſum ſcripturarum meliùs ac certiùs noviſſe credendi erant, qui propiùs ad ipſum, ejúſque Apoſtolos, antiquitate accedebant. Quanquam quid Phereponus ait de novitate Chriſtianæ Religionis præ vetuſtate Ethnicæ ſuperſtitionis? Ne hoc quidem habebant Gentiles, quo ſe Chriſtianis in ea controverſia præferrent, immo hîc etiam evidentiſſimè vincebantur. Et profectò ignorare non potuit ipſemet Phereponus, quod cuivis eruditorum patet: nempe Chriſtianam Religionem camdem cum Judaica eſſe, & propterea ad Adamum uſque contingere, & Religionibus reliquis antiquitate præire. Quid in hanc rem ſcripſerint Clemens Alexandrinus, Euſebius Cæſarienſis, ipſe Auguſtinus, aliíque SS. Patres, recentiores non pauci, præ omnium manibus eſt? & ſat erit meminiſſe, Parum igitur opportunè, parúmque eruditè Phereponus hùc adfert Ethnicorum exemplum, ut jura vetuſtatis, hoc eſt, Catholicorum arma, retundat.

Cæterùm non hîc tantùm, ſed & alibi Auguſtinum Phereponus irridet objicientem paucitati Hæreticorum Catholicæ Eccleſiæ amplitudinem. Non eſſe hoc veritatis argumentum, ille monet; alioqui Ethnicorum multitudine conſideratâ, Chriſtiana Religio falſi convincitur. Et ſanè fatendum eſt ab Ethnicorum multitudine victos olim fuiſſe Chriſtianos, & adhuc vinci. At nos in Ethnicos alüs evidentibus argumentis pugnamus, facimúſque, ut fruſtra ſuam nobis amplitudinem objiciant. Cùm verò controverſia eſt inter Catholicos & Hæreticos, dicimus validiſſimum ſemper fuiſſe, ac fore indicium veritatis, credentium multitudinem, cum aliis indiciis & argumentis conjunctam. Ab ipſo Religionis ſanctiſſimæ exordio ad noſtra uſque tempora inſurrexêre *lupi rapaces, & viri loquentes perverſa*, ut Apoſtolus prædixerat. Schiſmata etiam, & Hæreſes invaluêre. Quæſitum eſt, utrùm à Catholicis, an ab adverſariis vera Chriſti Eccleſia, & doctrina ſtaret, ea autem perpetuò ſententia ſedit, non alibi ſtare, quàm apud illos, qui Eccleſiæ & doctrinæ antiquitatem, atque conſtantiam, multitudine quoque, ſucceſſione, & concordiâ credentium, probarent: quod de ſolis Catholicis

licis olim potuit, & dici adhuc poteſt. Propterea in Concilio Nicæno ſtatutum eſt, ut ea haberetur Eccleſia Dei vera, cui præter alia ſigna nomen *Catholicæ*, ſeu *Univerſalis*, re conveniret. Quæ appellatio non tunc nata, ſed Eccleſiæ veræ jam indita eſt vel ab ipſis Apoſtolorum ſucceſſoribus; cùm τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας. Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ mentionem fecerint Smyrnæi in Epiſtola de Martyrio B. Polycarpi, & Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smyrnæos. Sed quid hæc ad veritatem? iterum inquiat aliquis.

Primò, ſunt nonnulla cùm veteris, tum novi Teſtamenti oracula, quibus palam fit, Chriſti Religionem prædicandam eſſe *in omnes gentes, incipiendo ab Hieroſolyma, & in omnem terram exiviſſe Apoſtolorum ſonum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæc autem non de falſa, ſed de vera Chriſti Religione prædicta ſunt, & Prophetiam comprobavit effectus. Legitimum igitur veræ Eccleſiæ & Orthodoxæ doctrinæ indicium eſſe debuit amplitudo Catholicæ Eccleſiæ cum ejus antiquitate, concordiâ opinionum, & ſucceſſione Epiſcoporum conjuncta. Hujuſmodi prærogativam ipſi veræ Eccleſiæ, veræque doctrinæ, & nequaquam Eccleſiis malignantium, & erroribus Hæreticorum pollicitus eſt Chriſtus. Secundò, cùm longè latéq; propagata fuerit germana Chriſti Religio, atque in ſingulis terræ partibus, diſſitíſque Provinciis fundatæ fuerint innumeræ Eccleſiæ, quæ ex Apoſtolorum præcepto noverant, nihil in Chriſti doctrina innovandum, & quod traditum fuerat tenaciſſimè ſervandum: iſta amplitudo non cuſtodiendæ ſolùm, ſed etiam indicandæ veræ doctrinæ aptiſſima fuit. Etenim fieri quidem potuit, ut una, aut plures etiam Eccleſiæ errarent, violaréntque illatâ novitate documenta Chriſti; fieri autem non potuit, quin proximæ, atque innumeræ aliæ Eccleſiæ, piaculum iſtud animadverterent; quo deprehenſo excogitari non poteſt, omnes Chriſtianorum Eccleſias, & præſertim Epiſcopos ſui muneris, veræque Religionis oblitos, ſilere omnes & connivere voluiſſe. Et certè nunquam ſiluiſſe in hujuſmodi caſibus ex hiſtoriis Eccleſiaſticis exploratiſſimum eſt. Quare poſtulat ratio, ut tantæ credentium continuatæ multitudini, & tot Eccleſiis ſacri depoſiti cuſtodibus, & antiquis, & concordibus, potiùs adhibeatur fides, quàm uni novatori, aut paucis ejus aſſeclis, heri & in angulo natis, & ex ingenio ſuo cœleſtem doctrinam interpretantibus, & nulla ſigna adferentibus, quibus probent; aut ſeſe à Deo miſſos, aut Eccleſiam à recta opinione deſciviſſe, aut novitiam ſectam ſuam

Digitized by Google

paucitate quidem cedere, doctrinæ verò ſanitate Catholicis anteſtare En ergo, quid faciat ad veritatis demonſtrationem multitudo Catholicorum, & amplitudo Catholicæ Eccleſiæ, cùm inter illam, & Hæreticorum Sectas, de veritate controverſia agitatur.

CAPUT XI.

Socinianorum peſtiſera Hæreſis. Deo nos quædam edocenti credendum, quamvis credenda ſuperent captum humani intellectus. Ingenii temeritas quàm hic impia. Loca Theologica, unde veritas doctrinæ chriſtianæ petenda. Traditionis auctoritas, ac neceſſitas in Eccleſia Dei. Quibus principiis nitatur. Laus Theologiæ dogmaticæ, & Petavii V. C. quem Phereponus pluris facere debuit.

AMpliſſimum inquirendæ veritatis jus, & mentis humanæ libido, jam accepit confinia. Primum & ſummum ingeniorum frenum divina Scriptura eſt. Alterum deinde Catholicæ, ſeu veræ Eccleſiæ, vox & auctoritas. Hîc ergo innitendum, ſi certi eſſe volumus de fide noſtra, & in Religione fortes, ac invicti ſtare. Si enim Eccleſiam veram, ſi minimè fallacem habemus, & probamus, omnes Hæreticorum peſtes debellabimus. Sin minus, nobis perpetuum cum iiſdem bellum erit, & nulla unquam utrinque victoria. Hos autem fines antiqui Hæretici, & proximè præteritis ſæculis Novatores ſupergreſſi ſunt. Quare aditus eſt factus ad tot ſchiſmata, aut vulnera Eccleſiæ, uno potiſſimùm Luthero clauſtra frangente. Neque mirum, quòd pejora quotidie videat Hæreticorum tellus, quódque ad impiiſſima tandem Spinoſiſtarum deliramenta deventum fuerit. Cujuſcumque rationi infirmæ ac judicio temerario apud illos derelicta eſt veritatis cauſa, & à duobus ſæculis glorioſum ſibi quiſque ducit nova procudere, & ducem, non ſectatorem eſſe. Inter eos autem, qui Chriſtiani adhuc appellari gaudent, nemo infelicius, nemo fœdius, nemo audacius impegit, quàm Sociniani Deum iſti, ejúſque Religioni humanæ penitùs ſubdidêre rationi, ut nihil ampliùs apud eos credatur, credendúmve putetur, quòd humanæ rationis captum ſuperet Hoc enim qualecumque eſt, ipſi rectæ rationi adverſari ajunt, quaſi hanc illæſam cæteri Chriſtianorum non amarent. An ambitioſo huic homi-

Digitized by Google

hominum gregi ſit accenſendus Phereponus noſter, utì ſuſpicantur & putant non pauci: ipſe videat. Illud exploratum eſt, nihil in ejus Libris ſonare frequentiùs, quàm ipſamet immodica rationis œnconomia. Huic non raro conqueritur, Catholicos, & cæteros Chriſtianos valedicere, eámque opprimere, ut divina revelatio extollatur. In ſententiam verò Socinianorum ſenſim concedere Calvinianos, dolemus quidem, ſed nequaquam miramur. Etenim fatendum eſt, Socini ſcholam, licèt omnino deteſtandam, arctiùs & ingenioſiùs iiſdem ipſis inſiſtere & ſuperædificare principiis, quæ reliqui Hæretici, & Calvinus potiſſimùm, ſtatuerunt, tanquam fundamenta ſuarum Sectarum, ſuæq; ab Eccleſia Catholica defectionis. Et cùm Calvinianis, cæteríſque Hæreticis in oppugnando Socinianiſmo arma valida prorſus deſint, unicè à Catholicorum armamentario petenda; cúmque nulla fortaſſe Hæreſis dulciùs quàm iſta blandiatur ambitioni rationis humanæ; quid mirum, ſi deſpecto Calvino tandem Socinus ſuſcipitur?

Contrà verò, qui æquè ac nos Sociniana commenta execrantur, mirum eſt, ſi in eorum damnatione ſuam quoq; non legunt. Mirum, ſi denique non intelligunt, quàm neceſſaria ſit, & quàm æquitati & Chriſti verbis conſona Catholicæ Eccleſiæ ſtabilitas, infallibilitas, & auctoritas, & quàm improbanda Lutheri & Calvini conſpiratio fuerit. quibus non alia umbratica cauſa fuit deficiendi à Catholicis, quàm quæ Socinum, Arminium, & tot alias ſectarum ſectas à Calvino, & Luthero diſtraxit. Quod eſt ad Socinianos, ubi temeraria ipſorum methodus eligenda foret, brevì nullam Religionem haberemus. Nam quæ monſtra ingenio humano non placeant? Quæ revelata veritas nobis non diſpliceat, ſi quidquid inconſtantibus, variis & oppoſitis hominum ingeniis placet, aut diſplicet, verum falſúmve dicendum eſt? Et quis tandem certò ſtatuat, ubi hominum ratio erret, ubi ſapiat, & quæ ſit recta, quæ perverſa Literarum ſacrarum interpretatio? Cur non poterunt novæ quotidie procudi ſectæ, quarum quælibet ſibi rationem vendicet? Cur non explodi quædam è Scripturis Canonicis? Deinde nihil intolerabilius eſt, quàm nihil aliud velle Deo credere, quàm quod ipſi intelligere poſſimus, rationíq, ſeu ingenio noſtro, accomodatũ ſentiamus. Repetere autem hìc juvat ſub rectæ rationis nomine obtrudi ſæpè ab Hæreticis vim, & captum, & ideas peculiares ingenii ſui At religio vera ab hominibus ingenio pendere non debet. Non enim ipſi eam fecimus, ſi Deus eam fecit,

Digitized by Google

Deus eam revelavit. Liceat in Phiſicis ſibi effingere ſyſtema aliquod. In Religione idem velle præſtare, ſummæ temeritatis eſt, immo inſaniæ.

Itaque ea in primis deſinit eſſe recta ratio, quæ in Religionis negotio, atque in divinorum dogmatum interpretatione, nullis ingenium frenis teneri patitur, & quæ non intelligit, multa in Deo, & apud Deum eſſe; multa ab ipſo potuiſſe & poſſe fieri; multa ipſum potuiſſe & poſſe velle, quæ captum exſuperent humani intellectûs corporeis tenebris obſiti. Hinc celeberrimus & acutiſſimus Philoſophus Carteſius id apprimè ſtatuebat, *Deum ejúſque opera non eſſe humano pede metienda.* Fallebantur, qui Antipodas olim negârunt, quòd animo concipere non poſſent, homines pedibus ſuis in noſtros obverſis ambulantes. Stultus foret à nativitate cœcus qui ideo colores rerum & magnetem eſſe negaret, quòd eorum naturam & aſpectum mente aſſequi non poſſet; paritérque ſit demens, qui in Honcinis, aut mundi opificio quædam inveniens, quæ rationi ſuæ aut ſuperflua, aut incommoda, aut melius efformanda videantur, intelligere neſciat, & negare velit tantarum rerum effectricem divinam Sapientiam, & moderatricem Providentiam. Omniũ porrò dementiſſimus ſit, qui Deo aliquid de ſe, vel de ſua voluntate, ac potentiâ revelanti, adjungere fidem nolit, eò quia revelata vulgaribus humani intellectûs ideis nõ ſatis reſpondeant. Iſta demiſſis oculis adoranda ſunt, non impiâ temeritate abjicienda. Etenim Deus revelavit, Deus fecit, Deus veraciſſimus, omnipotentiſſimus, cujus judicia, cujus myſteria, cujus facta, etiamſi incomprehenſibilia interdum ſint nobis, minus tamen vera, minúſve ſapienter facta non ſunt. Hinc Auguſtinus Lib. 9. Cap. 1. de Trinitate ajebat: *De credendis nullâ infidelitate dubitemus; de intelligendis nullâ temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda eſt, in his veritas exquirenda.* Egregiè quoque ſcribebat Caſſianus Lib. 4. Cap. 6. de Incarn. *Rationem dicti quæris? Non reddo. Interim Deus hoc dixit. De hoc locutus eſt mihi. Verbum illius ſumma ratio eſt. Removeo argumenta, removeo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere, quomodo verum ſit, quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verũ ſit, quod Deus dixit?* In eamdem ſententiam loquuntur alii Patres, Scriptoréſque Chriſtiani, cùm antiquiſſimi, tum recentes. Et ſanè Chriſtianorum Fides ſecundùm Apoſtolum nihil aliud eſt, quàm *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, & videmus*

nunc

nunc per ſpeculum in ænigmate, & per fidem ambulà ſegetem in-*ſpeciem*; neque fidei noſtræ natura ſinè obſcuritatis Literis re poteſt. Quare, ut cum eodem Apoſtolo loquamtiones, jicienda eſt omnis altitudo extollens ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigendi ſunt omnes intellectus in obſequium Chriſti. Jure autem ſtultos vocat idem Apoſtolus I. ad Cor 1. Judæos & Græcos, quorum ſapientiæ & rationi minimè conſonare videbatur humilitas & mors Chriſti. *Placuit Deo* (ſunt ejus verba) *per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Tum pergit ſapientiã hujus mundi irridere, in cujus conſpectu ſtultitia videbatur, quidquid apud Deũ ſapientia eſt.

Quapropter illorum deploranda eſt audacia, qui eam reprobandi alicujus Chriſtiani ſive Catholici dogmatis cauſam adferunt, quod rationis, hoc eſt ingenii ſui, peculiaribus ideis non placeat. Eóque magìs deploranda eſt, quòd iſti, ut trahant in ſententiam ſuam divinas ſententias Scripturarum Canonicarum verba eludere, invertere, ſubvertere cogantur, reclamante eorumdem verborum perſpicuitate, & tot ſæculorum conſenſu, & tot Chriſtianorum ratione; neceſſe enim eſt, quando eorum ingenium, & hypotheſis conformari neſcit ſacris Literis, ſacras Literas aliquo pacto accommodari ad illorum hypotheſim, atque ingenium. Hæc noverunt, qui in eorum ſcriptis verſati ſunt, ſimúlque noverunt, antiquiſſimam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam & conſuetudinem Socino adverſari, utì ex auctoribus vetuſtiſſimis patet, atque in primis ex antiquo Scriptore expoſitionis fidei, quæ Juſtino Martyri tribuitur, ubi inquit, divinarum rerum notitiam, ſummo ſtudio indagandam eſſe; *cùm autem eam præ imbecillitate minus aſſequi poterimus, venerari eam nos oportere, ut comprehenſione majorem, ne evacuetur fides noſtra.* Quòd ſi eò redit quæſtio, ut perſpiciatur revelatáne fuerint, an ſecùs, Eccleſiæ Catholicæ dogmata, alioqui credenda, etiamſi humanæ rationis captum excedant: tu reſponde, id certò atque indubitanter perſpici non poſſe per unum ingenium noſtrum, ut vidimus; & reliquum propterea eſſe, ut Eccleſiæ Traditio, & auctoritas in conſilium adhibeantur, quibus tandem acquieſcendum, non ſolùm prudentia, ſed etiam neceſſitas monet.

Nunc autem progrediendum eſt; adhuc enim Chriſtianæ veritatis inveſtigatori quærere fas, imò neceſſum eſt,

Deus eam revelavit. Liceat in Phiſicis ſibi effingere ſyſtema aliquod. In Religione idem velle præſtare, ſummæ temeritatis eſt, immo inſaniæ.

Itaque ea in primis deſinit eſſe recta ratio, quæ in Religionis negotio, atque in divinorum dogmatum interpretatione, nullis ingenium frenis teneri patitur, & quæ non intelligit, multa in Deo, & apud Deum eſſe; multa ab ipſo potuiſſe & poſſe fieri; multa ipſum potuiſſe & poſſe velle, quæ captum exſuperent humani intellectûs corporeis tenebris obſiti. Hinc celeberrimus & acutiſſimus Philoſophus Carteſius id apprimè ſtatuebat, *Deum ejúſque opera non eſſe humano pede metienda.* Fallebantur, qui Antipodas olim negârunt, quòd animo concipere non poſſent;, homines pedibus ſuis in noſtros obverſis ambulantes. Stultus foret à nativitate cœcus qui ideo colores rerum & magnetem eſſe negaret, quòd eorum naturam & aſpectum mente aſſequi non poſſet; pariterque ſit demens, qui in Honcinis, aut mundi opificio quædam inveniens, quæ rationi ſuæ aut ſuperflua, aut incommoda, aut melius efformanda videantur, intelligere neſciat, & negare velit tantarum rerum effectricem divinam Sapientiam, & moderatricem Providentiam. Omniũ porrò dementiſſimus ſit, qui Deo aliquid de ſe, vel de ſua voluntate, ac potentiâ revelanti, adjungere fidem nolit, eò quia revelata vulgaribus humani intellectûs ideis nõ ſatìs reſpondeant. Iſta demiſſis oculis adoranda ſunt, non impiâ temeritate abjicienda. Etenim Deus revelavit, Deus fecit, Deus veraciſſimus, omnipotentiſſimus, cujus judicia, cujus myſteria, cujus facta, etiamſi incomprehenſibilia interdum ſint nobis, minus tamen vera, minúſve ſapienter facta non ſunt. Hinc Auguſtinus Lib. 9. Cap. 1. de Trinitate ajebat: *De credendis nullâ infidelitate dubitemus: de intelligendis nullâ temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda eſt, in his veritas exquirenda.* Egregiè quoque ſcribebat Caſſianus Lib. 4. Cap. 6. de Incarn. *Rationem dicti quæris? Non reddo. Interim Deus hoc dixit De hoc locutus eſt mihi. Verbum illius ſumma ratio eſt. Removeo argumenta, removeo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere, quomodo verum ſit, quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verũ ſit, quod Deus dixit?* In eamdem ſententiam loquuntur alii Patres, Scriptoréſque Chriſtiani, cùm antiquiſſimi, tum recentes. Et ſanè Chriſtianorum Fides ſecundùm Apoſtolum nihil aliud eſt, quàm *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, & videmus*

nunc

Digitized by Google

nunc per ſpeculum in ænigmate, & per fidem ambulamus, non per ſpeciem; neque fidei noſtræ natura ſinè obſcuritate conſtare poteſt. Quare, ut cum eodem Apoſtolo loquamur, dejicienda eſt omnis altitudo extollens ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigendi ſunt omnes intellectus in obſequium Chriſti. Jure autem ſtultos vocat idem Apoſtolus I. ad Cor 1. Judæos & Græcos, quorum ſapientiæ & rationi minimè conſonare videbatur humilitas & mors Chriſti. *Placuit Deo* (ſunt ejus verba) *per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Tum pergit ſapientiã hujus mundi irridere, in cujus conſpectu ſtultitia videbatur, quidquid apud Deũ ſapientia eſt.

Quapropter illorum deploranda eſt audacia, qui eam reprobandi alicujus Chriſtiani ſive Catholici dogmatis cauſam adferunt, quod rationis, hoc eſt ingenii ſui, peculiaribus ideis non placeat. Eóque magìs deploranda eſt, quòd iſti, ut trahant in ſententiam ſuam divinas ſententias. Scripturarum Canonicarum verba eludere, invertere, ſubvertere cogantur, reclamante eorumdem verborum perſpicuitate, & tot ſæculorum conſenſu, & tot Chriſtianorum ratione; neceſſe enim eſt, quando eorum ingenium, & hypotheſis conformari neſcit ſacris Literis, ſacras Literas aliquo pacto accommodari ad illorum hypotheſim, atque ingenium. Hæc noverunt, qui in eorum ſcriptis verſati ſunt, ſimúlque noverunt, antiquiſſimam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam & conſuetudinem Socino adverſari, utì ex auctoribus vetuſtiſſimis patet, atque in primis ex antiquo Scriptore expoſitionis fidei, quæ Juſtino Martyri tribuitur, ubi inquit, divinarum rerum notitiam, ſummo ſtudio indagandam eſſe; *cùm autem eam præ imbecillitate minus aſſequi poterimus, venerari eam nos oportere, ut comprehenſione majorem, ne evacuetur fides noſtra.* Quòd ſi eò redit quæſtio, ut perſpiciatur revelatáne fuerint, an ſecùs, Eccleſiæ Catholicæ dogmata, alioqui credenda, etiamſi humanæ rationis captum excedant: tu reſponde, id certò atque indubitanter perſpici non poſſe per unum ingenium noſtrum, ut vidimus; & reliquum propterea eſſe, ut Eccleſiæ Traditio, & auctoritas in conſilium adhibeantur, quibus tandem acquieſcendum, non ſolùm prudentia, ſed etiam neceſſitas monet.

Nunc autem progrediendum eſt; adhuc enim Chriſtianæ veritatis inveſtigatori quærere fas, imò neceſſum eſt,

Digitized by Google

quæ & qualia ſint Eccleſiæ veræ dogmata, & unde certò ſint ediſcenda. Qua in re multos ex antiquis atque etiam recentibus Hæreticis ſua fefellit opinio. Minimè dubitabant ii, quin Eccleſiæ Traditio & auctoritas ſuſpicienda foret, eíq; in controverſiis concedendum. Sed ipſam Traditionem ſibi militare arbitrati, confidenter promebant, pertinaciter tuebantur doctrinam, quæ tamen ipſius Eccleſiæ Traditioni adverſabatur. Inter ipſos Catholicos præteritis temporibus fuêre nonnulli (& utinam adhuc nemo eſſet, aut nemo inpoſterum eſſet futurus) qui ſententias quaſdam abſurdas venditârunt, quòd eas putarent cum Eccleſiæ veræ ſententia conſentire, aut ſaltem ab ipſa non eſſe alienas. Igitur tum ut veritas certò contingatur, erroréſq; evitentur, noſcenda ſunt loca, unde Catholica dogmata haurire liceat, & probare, aut confirmare, adversáque refellere: noſcendi ſunt alii fines, ultra quos ingenio humano vagari aut nefas, aut periculoſum eſt. Præter divinas Scripturas & Traditiones, Concilia ſacra, & præſertim Oecumenica, Romanorum Pontificum Epiſtolæ & Decreta, ſanctorum Patrum Libri, probatæ veterum Hiſtoriæ, Theologorum, aliorúmque Orthodoxorum ſcripta, ſunt ii fontes, & loca, unde Eccleſiæ Catholicæ doctrina eſt haurienda. Et iſtis quoque addere juvat rationem humanam, & auctoritatem Philoſophorum, modò nemo ſibi perſuadeat, ſinè ratione conſulenda eſſe, & ſinè ratione vim habere inter Catholicos priora loca. Verùm tot fontes promiſcuè non ſunt accipiendi, non enim par iis auctoritas eſt, neque eadem habenda eſt fides. Primò quod attinet ad ſacra Catholicorum Concilia, ex inſtitutione divina certam Orthodoxæ doctrinæ fidem faciunt; Generalia quidem, modò legitima ſint; Provincialia verò & Epiſcopalia, modò ab univerſa Eccleſiæ probatæ fuerint eorum de fide definitiones. Secundò, certi quoque Judices Catholicæ doctrinæ ſunt Rom. Pontifices, quibus eadem conſentit Eccleſia, Tertiò, nulli reverà ex iis, quos ſanctos Patres appellamus, ex inſtitutione divina auctoritas eſt certò ſtatuendæ atque inſtar Judicis proponendæ Catholicæ doctrinæ. Communis autem Patrum conſenſus in exponendis ſacræ Scripturæ dogmatis certiſſimum nobis veritatis argumentum præſtat, eò quòd Eccleſiæ univerſæ, quæ errare à Deo non ſinitur, ſententiam nobis exhibeat. Reliqui itidem fontes probabilia quidem præſtabunt, ſed non firma & inconcuſſa argumenta.

Atque hæc certa ſunt apud Catholicos. Proteſtantes verò,

verò, eorúmque filii magnam in his litigandi ſegetem inveniunt. Revelatam quidem & ſcriptam in ſacris Literis doctrinam ſe ſuſcipere dicunt; at improbant traditiones, ſive doctrinas à Chriſto atque Apoſtolis, ut nos contendimus, ſinè ſcripto per prædicationem traditas. Eccleſiam, Romanos Pontifices, ſanctos Patres errori obnoxios, & infidos veritatis teſtes appellant. Sed quid in tanto diſſidio decernendum ſit, facilè æqui judices animadvertent. Duæ de traditionibus inſtitui poſſunt quæſtiones. Prima eſt, utrùm Apoſtoli aliquid ad Religionem Chriſtianam pertinens vivâ tantùm voce, & ſinè ſcriptis, tradiderint; an verò omnia ſcriptis mandârint, quæcumque vivâ voce, exemplo, aut aliâ ratione prædicârunt. Altera eſt, utrùm ſententiæ illæ, quæ à Catholicis ſub Traditionis nomine cenſentur ab Apoſtolis emanâſſe, eamdem vim atque auctoritatem habeant, ſi re ipsâ traditæ ſunt, quæ Apoſtolorum ſcriptis debetur. Poſterior quæſtio non à Chriſtiani modo, ſed etiam à cujuſcumque hominis ingenio penitùs aliena eſt, & incredibilem contendendi pruriginem ſapit. Cur enim iiſdem Apoſtolis Chriſti nomine ſcribentibus credamus, loquentibus non credamus? Deinde quæ ab Apoſtolis ſcripto mandata ſunt, eadē anteà ab ipſis vivâ tantùm voce tradita fuiſſe conſtat, & pari obſequio à Fidelibus accepta.

Priorem controverſiam nihilò plauſibiliùs pertractant Hæretici. Nemo eſt, qui neſciat illuſtrem locum ſecundæ Epiſtolæ ad Theſſal 2. 14. ubi Paulus ait: *Tenete traditiones, quas accepiſtis per ſermonem, ſeu per Epiſtolam noſtram.* Celebris itidem eſt alter ex Epiſtola 2. ad Tim. 2. 2. deſumptus, ubi hæc leguntur: *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hinc ſaltem evidenter colligitur, eâdem veneratione Apoſtolorum doctrinam ab Eccleſia Dei ſuſcipiendam, colendam, & ſervandam eſſe, ſive ſcriptis, ſive verbis tantùm eam tradiderint. Verùm etſi eadem evidentiâ non colligeretur, quæ Apoſtolus voce tantùm prædicârat, ſcriptis poſtmodum vel ab ipſo, vel ab aliis Apoſtolis, non fuiſſe conſignata; ſiquidem ſaltem conſtat, poſt Pauli obitum Joannem Apoſtolum ſuos confeciſſe, aut evulgâſſe Libros. Attamen ſolo Eccleſiæ teſtimonio id exploratum fieri poteſt, & per ejus ſententiam hujuſmodi controverſia dirimi. Nónne ex Eccleſiæ unico teſtimonio, ac traditione certiſſimè noverunt ipſi quoque Hæretici, quæ ſcripta ab Apoſtolis, vel profecta, vel probata ſint, & quinam legitimi, quinam adulterini ſint fœtus Apoſtolis adſcripti?

Cur

paucitate quidem cedere, doctrinæ verò ſanitate Catholicis anteſtare En ergo, quid faciat ad veritatis demonſtrationem multitudo Catholicorum, & amplitudo Catholicæ Eccleſiæ, cùm inter illam, & Hæreticorum Sectas, de veritate controverſia agitatur.

CAPUT XI.

Socinianorum peſtifera Hæreſis. Deo nos quadam edocenti credendum, quamvis credenda ſuperent captum humani intellectus. Ingenii temeritas quàm hic impia. Loca Theologica, unde veritas doctrinæ chriſtianæ petenda. Traditionis auctoritas, ac neceſſitas in Eccleſia Dei. Quibus principiis nitatur. Laus Theologiæ dogmaticæ, & Petavii V. C. quem Phereponus pluris facere debuit.

AMpliſſimum inquirendæ veritatis jus, & mentis humanæ libido, jam accepit confinia. Primum & ſummum ingeniorum frenum divina Scriptura eſt. Alterum deinde Catholicæ, ſeu veræ Eccleſiæ, vox & auctoritas. Hîc ergo innitendum, ſi certi eſſe volumus de fide noſtra, & in Religione fortes, ac invicti ſtare. Si enim Eccleſiam veram, ſi minimè fallacem habemus, & probamus, omnes Hæreticorum peſtes debellabimus. Sin minus, nobis perpetuum cum iiſdem bellum erit, & nulla unquam utrinque victoria. Hos autem fines antiqui Hæretici, & proximè præteritis ſæculis Novatores ſupergreſſi ſunt. Quare aditus eſt factus ad tot ſchiſmata, aut vulnera Eccleſiæ, uno potiſſimùm Luthero clauſtra frangente. Neque mirum, quòd pejora quotidie videat Hæreticorum tellus, quódque ad impiiſſima tandem Spinoſiſtarum deliramenta deventum fuerit. Cujuſcumque rationi infirmæ ac judicio temerario apud illos derelicta eſt veritatis cauſa, & à duobus ſæculis glorioſum ſibi quiſque ducit nova procudere, & ducem, non ſectatorem eſſe. Inter eos autem, qui Chriſtiani adhuc appellari gaudent, nemo infelicius, nemo fœdius, nemo audacius impegit, quàm Sociniani Deum iſti, ejúſque Religioni humanæ penitùs ſubdidêre rationi, ut nihil ampliùs apud eos credatur, credendúmve putetur, quòd humanæ rationis captum ſuperet Hoc enim qualecumque eſt, ipſi rectæ rationi adverſari ajunt, quaſi hanc illæſam cæteri Chriſtianorum non amarent. An ambitioſo huic homi-

hominum gregi ſit accenſendus Phereponus noſter, uti ſuſpicantur & putant non pauci: ipſe videat. Illud exploratum eſt, nihil in ejus Libris ſonare frequentiùs, quàm ipſamet immodica rationis œncomia. Huic non rarò conqueritur, Catholicos, & cæteros Chriſtianos valedicere, eámque opprimere, ut divina revelatio extollatur. In ſententiam verò Socinianorum ſenſim concedere Calvinianos, dolemus quidem, ſed nequaquam miramur. Etenim fatendum eſt, Socini ſcholam, licèt omnino deteſtandam, arctiùs & ingenioſiùs iiſdem ipſis inſiſtere & ſuperædificare principiis, quæ reliqui Hæretici, & Calvinus potiſſimùm, ſtatuerunt, tanquam fundamenta ſuarum Sectarum, ſuæq; ab Eccleſia Catholica defectionis. Et cùm Calvinianis, cæteríſque Hæreticis in oppugnando Socinianiſmo arma valida prorſus deſint, unicè à Catholicorum armamentario petenda; cúmque nulla fortaſſe Hæreſis dulciùs quàm iſta blandiatur ambitioni rationis humanæ; quid mirum, ſi deſpecto Calvino tandem Socinus ſuſcipitur?

Contrà verò, qui æquè ac nos Sociniana commenta execrantur, mirum eſt, ſi in eorum damnatione ſuam quoq; non legunt. Mirum, ſi denique non intelligunt, quàm neceſſaria ſit, & quàm æquitati & Chriſti verbis conſona Catholicæ Eccleſiæ ſtabilitas, infallibilitas, & auctoritas, & quàm improbanda Lutheri & Calvini conſpiratio fuerit. quibus non alia umbratica cauſa fuit deficiendi à Catholicis, quàm quæ Socinum, Arminium, & tot alias ſectarum ſectas à Calvino, & Luthero diſtraxit. Quod eſt ad Socinianos, ubi temeraria ipſorum methodus eligenda foret, brevì nullam Religionem haberemus. Nam quæ monſtra ingenio humano non placeant? Quæ revelata veritas nobis non diſpliceat, ſi quidquid inconſtantibus, variis & oppoſitis hominum ingeniis placet, aut diſplicet, verum falſúmve dicendum eſt? Et quis tandem certò ſtatuat, ubi hominum ratio erret, ubi ſapiat, & quæ ſit recta, quæ perverſa Literarum ſacrarum interpretatio? Cur non poterunt novæ quotidie procudi ſectæ, quarum quælibet ſibi rationem vendicet? Cur non explodi quædam è Scripturis Canonicis? Deinde nihil intolerabilius eſt, quàm nihil aliud velle Deo credere, quàm quod ipſi intelligere poſſimus, rationíq; ſeu ingenio noſtro, accomodatū ſentiamus. Repetere autem hìc juvat ſub rectæ rationis nomine obtrudi ſæpè ab Hæreticis vim, & captum, & ideas peculiares ingenii ſui At religio vera ab hominibus ingenio pendere non debet. Non enim ipſi eam fecimus, ſi Deus eam fecit,

Digitized by Google

Deus eam revelavit. Liceat in Phiſicis ſibi effingere ſyſtema aliquod. In Religione idem velle præſtare, ſummæ temeritatis eſt, immo inſaniæ.

Itaque ea in primis deſinit eſſe recta ratio, quæ in Religionis negotio, atque in divinorum dogmatum interpretatione, nullis ingenium frenis teneri patitur, & quæ non intelligit, multa in Deo, & apud Deum eſſe; multa ab ipſo potuiſſe & poſſe fieri; multa ipſum potuiſſe & poſſe velle, quæ captum exſuperent humani intellectûs corporeis tenebris obſiti. Hinc celeberrimus & acutiſſimus Philoſophus Carteſius id apprimè ſtatuebat, *Deum ejúſque opera non eſſe humano pede metienda.* Fallebantur, qui Antipodas olim negârunt, quòd animo concipere non poſſent, homines pedibus ſuis in noſtros obverſis ambulantes. Stultus foret à nativitate cœcus qui ideo colores rerum & magnetem eſſe negaret, quòd eorum naturam & aſpectum mente aſſequi non poſſet; paritérque ſit demens, qui in Honcinis, aut mundi opificio quædam inveniens, quæ rationi ſuæ aut ſuperflua, aut incommoda, aut melius efformanda videantur, intelligere neſciat, & negare velit tantarum rerum effectricem divinam Sapientiam, & moderatricem Providentiam. Omniũ porrò dementiſſimus ſit, qui Deo aliquid de ſe, vel de ſua voluntate, ac potentiâ revelanti, adjungere fidem nolit, eò quia revelata vulgaribus humani intellectûs ideis nõ ſatìs reſpondeant. Iſta demiſſis oculis adoranda ſunt, non impiâ temeritate abjicienda. Etenim Deus revelavit, Deus fecit, Deus veraciſſimus, omnipotentiſſimus, cujus judicia, cujus myſteria, cujus facta, etiamſi incomprehenſibilia interdum ſint nobis, minus tamen vera, minúſve ſapienter facta non ſunt. Hinc Auguſtinus Lib. 9. Cap. 1. de Trinitate ajebat: *De credendis nullâ infidelitate dubitemus: de intelligendis nullâ temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda eſt, in his veritas exquirenda.* Egregiè quoque ſcribebat Caſſianus Lib. 4. Cap. 6. de Incarn. *Rationem dicti quæris? Non reddo. Interim Deus hoc dixit. De hoc locutus eſt mihi. Verbum illius ſumma ratio eſt. Removeo argumenta, removeo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere, quomodo verum ſit, quod Deus dixit, cùm dubitare non debeam, quin verũ ſit, quod Deus dixit?* In eamdem ſententiam loquuntur alii Patres, Scriptoréſque Chriſtiani, cùm antiquiſſimi, tum recentes. Et ſanè Chriſtianorum Fides ſecundùm Apoſtolum nihil aliud eſt, quàm *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, & videmus*

nunc

nunc per ſpeculum in ænigmate, & per fidem ambulamus, non per ſpeciem; neque fidei noſtræ natura ſinè obſcuritate conſtare poteſt. Quare, ut cum eodem Apoſtolo loquamur, dejicienda eſt omnis altitudo extollens ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigendi ſunt omnes intellectus in obſequium Chriſti. Jure autem ſtultos vocat idem Apoſtolus I. ad Cor 1. Judæos & Græcos, quorum ſapientiæ & rationi minimè conſonare videbatur humilitas & mors Chriſti. *Placuit Deo* (ſunt ejus verba) *per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Tum pergit ſapientiā hujus mundi irridere, in cujus conſpectu ſtultitia videbatur, quidquid apud Deū ſapientia eſt.

Quapropter illorum deploranda eſt audacia, qui eam reprobandi alicujus Chriſtiani ſive Catholici dogmatis cauſam adferunt, quod rationis, hoc eſt ingenii ſui, peculiaribus ideis non placeat. Eóque magìs deploranda eſt, quòd iſti, ut trahant in ſententiam ſuam divinas ſententias Scripturarum Canonicarum verba eludere, invertere, ſubvertere cogantur, reclamante eorumdem verborum perſpicuitate, & tot ſæculorum conſenſu, & tot Chriſtianorum ratione; neceſſe enim eſt, quando eorum ingenium, & hypotheſis conformari neſcit ſacris Literis, ſacras Literas aliquo pacto accommodari ad illorum hypotheſim, atque ingenium. Hæc noverunt, qui in eorum ſcriptis verſati ſunt, ſimúlque noverunt, antiquiſſimam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam & conſuetudinem Socino adverſari, utì ex auctoribus vetuſtiſſimis patet, atque in primis ex antiquo Scriptore expoſitionis fidei, quæ Juſtino Martyri tribuitur, ubi inquit, divinarum rerum notitiam, ſummo ſtudio indagandam eſſe; *cùm autem eam præ imbecillitate minus aſſequi poterimus, venerari eam nos oportere, ut comprehenſione majorem, ne evacuetur fides noſtra.* Quòd ſi eò redit quæſtio, ut perſpiciatur revelatáne fuerint, an ſecùs, Eccleſiæ Catholicæ dogmata, alioqui credenda, etiamſi humanæ rationis captum excedant: tu reſponde, id certò atque indubitanter perſpici non poſſe per unum ingenium noſtrum, ut vidimus; & reliquum propterea eſſe, ut Eccleſiæ Traditio, & auctoritas in conſilium adhibeantur, quibus tandem acquieſcendum, non ſolùm prudentia, ſed etiam neceſſitas monet.

Nunc autem progrediendum eſt; adhuc enim Chriſtianæ veritatis inveſtigatori quærere fas, imò neceſſum eſt,

quæ & qualia ſint Eccleſiæ veræ dogmata, & unde certò ſint ediſcenda. Qua in re multos ex antiquis atque etiam recentibus Hæreticis ſua fefellit opinio. Minimè dubitabant ii, quin Eccleſiæ Traditio & auctoritas ſuſpicienda foret, eíq; in controverſiis concedendum. Sed ipſam Traditionem ſibi militare arbitrati, confidenter promebant, pertinaciter tuebantur doctrinam, quæ tamen ipſius Eccleſiæ Traditioni adverſabatur. Inter ipſos Catholicos præteritis temporibus fuêre nonnulli (& utinam adhuc nemo eſſet, aut nemo inpoſterum eſſet futurus) qui ſententias quaſdam abſurdas venditârunt, quòd eas putarent cum Eccleſiæ veræ ſententia conſentire, aut ſaltem ab ipſa non eſſe alienas. Igitur tum ut veritas certò contingatur, erroréſq; evitentur, noſcenda ſunt loca, unde Catholica dogmata haurire liceat, & probare, aut confirmare, adversáque refellere: noſcendi ſunt alii fines, ultra quos ingenio humano vagari aut nefas, aut periculoſum eſt. Præter divinas Scripturas & Traditiones, Concilia ſacra, & præſertim Oecumenica, Romanorum Pontificum Epiſtolæ & Decreta, ſanctorum Patrum Libri, probatæ veterum Hiſtoriæ, Theologorum, aliorúmque Orthodoxorum ſcripta, ſunt ii fontes, & loca, unde Eccleſiæ Catholicæ doctrina eſt haurienda. Et iſtis quoque addere juvat rationem humanam, & auctoritatem Philoſophorum, modò nemo ſibi perſuadeat, ſinè ratione conſulenda eſſe, & ſinè ratione vim habere inter Catholicos priora loca. Verùm tot fontes promiſcuè non ſunt accipiendi, non enim par iis auctoritas eſt, neque eadem habenda eſt fides. Primò quod attinet ad ſacra Catholicorum Concilia, ex inſtitutione divina certam Orthodoxæ doctrinæ fidem faciunt; Generalia quidem, modò legitima ſint; Provincialia verò & Epiſcopalia, modò ab univerſa Eccleſiæ probatæ fuerint eorum de fide definitiones. Secundò, certi quoque Judices Catholicæ doctrinæ ſunt Rom. Pontifices, quibus eadem conſentit Eccleſia, Tertiò, nulli reverà ex iis, quos ſanctos Patres appellamus, ex inſtitutione divina auctoritas eſt certò ſtatuendæ atque inſtar Judicis proponendæ Catholicæ doctrinæ. Communis autem Patrum conſenſus in exponendis ſacræ Scripturæ dogmatis certiſſimum nobis veritatis argumentum præſtat, eò quòd Eccleſiæ univerſæ, quæ errare à Deo non ſinitur, ſententiam nobis exhibeat. Reliqui itidem fontes probabilia quidem præſtabunt, ſed non firma & inconcuſſa argumenta.

Atque hæc certa ſunt apud Catholicos. Proteſtantes verò,

verò, eorúmque filii magnam in his litigandi ſegetem inveniunt. Revelatam quidem & ſcriptam in ſacris Literis doctrinam ſe ſuſcipere dicunt; at improbant traditiones, ſive doctrinas à Chriſto atque Apoſtolis, ut nos contendimus, ſinè ſcripto per prædicationem traditas. Eccleſiam, Romanos Pontifices, ſanctos Patres errori obnoxios, & infidos veritatis teſtes appellant. Sed quid in tanto diſſidio decernendum ſit, facilè æqui judices animadvertent. Duæ de traditionibus inſtitui poſſunt quæſtiones. Prima eſt, utrùm Apoſtoli aliquid ad Religionem Chriſtianam pertinens vivâ tantùm voce, & ſinè ſcriptis, tradiderint; an verò omnia ſcriptis mandârint, quæcumque vivâ voce, exemplo, aut aliâ ratione prædicârunt. Altera eſt, utrùm ſententiæ illæ, quæ à Catholicis ſub Traditionis nomine cenſentur ab Apoſtolis emanâſſe, eamdem vim atque auctoritatem habeant, ſi re ipsâ traditæ ſunt, quæ Apoſtolorum ſcriptis debetur. Poſterior quæſtio non à Chriſtiani modo, ſed etiam à cujuſcumque hominis ingenio penitùs aliena eſt, & incredibilem contendendi pruriginem ſapit. Cur enim iiſdem Apoſtolis Chriſti nomine ſcribentibus credamus, loquentibus non credamus? Deinde quæ ab Apoſtolis ſcripto mandata ſunt, eadẽ anteà ab ipſis vivâ tantùm voce tradita fuiſſe conſtat, & pari obſequio à Fidelibus accepta.

Priorem controverſiam nihilò plauſibiliùs pertractant Hæretici. Nemo eſt, qui neſciat illuſtrem locum ſecundæ Epiſtolæ ad Theſſal 2. 14. ubi Paulus ait: *Tenete traditiones, quas accepiſtis per ſermonem, ſeu per Epiſtolam noſtram.* Celebris itidem eſt alter ex Epiſtola 2. ad Tim. 2. 2. deſumptus, ubi hæc leguntur: *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hinc ſaltem evidenter colligitur, eâdem veneratione Apoſtolorum doctrinam ab Eccleſia Dei ſuſcipiendam, colendam, & ſervandam eſſe, ſive ſcriptis, ſive verbis tantùm eam tradiderint. Verùm etſi eadem evidentiâ non colligeretur, quæ Apoſtolus voce tantùm prædicârat, ſcriptis poſtmodum vel ab ipſo, vel ab aliis Apoſtolis, non fuiſſe conſignata; ſiquidem ſaltem conſtat, poſt Pauli obitum Joannem Apoſtolum ſuos confeciſſe, aut evulgâſſe Libros. Attamen ſolo Eccleſiæ teſtimonio id exploratum fieri poteſt, & per ejus ſententiam hujuſmodi controverſia dirimi. Nónne ex Eccleſiæ unico teſtimonio, ac traditione certiſſimè noverunt ipſi quoque Hæretici, quæ ſcripta ab Apoſtolis, vel profecta, vel probata ſint, & quinam legitimi, quinam adulterini ſint fœtus Apoſtolis adſcripti?

Cur ergo Eccleſiæ de Apoſtolorum ſcriptis teſtanti credamus, de reliquis eorum documentis teſtanti non credamus? Ad hæc inter ipſos Hæreticos plerique ſententias nonnullas, aut ritus aliquot probant, atque tuentur, quos tamen ſola Eccleſiæ Catholicæ traditio commendat. Iſtorum igitur confeſſione Traditionibus Eccleſiaſticis veneratio, non contemptus, debetur; & ubi pateat alia dogmata, alióſve ritus ex vetuſtiſſima traditione deſcendere, & in Eccleſia Dei communi Chriſtianorum conſenſu celebrata ac ſervata fuiſſe, pervicax & injuſtus fuerit, qui non alia de cauſa repudiet, quàm quòd in Apoſtolorum ſcriptis nulla de iis mentio occurrat.

Jam verò quantùm Scripturæ divinæ ſuffragio probetur, quámque Religioni Orthodoxæ neceſſaria ſit Eccleſiæ auctoritas, pluribus perſecuti ſumus. At hinc etiam traditionis neceſſitas dignoſcitur. Ubi ſacras Literas Eccleſia interpretatur, ubi dogmata explicat, & excitatas in Chriſtiana doctrina *lites* ſuo decreto componit: quid aliud illa præſtat, quàm *interpretari*, & exponere, quæcumque per traditionem anteà ſibi innotuerant? aut ex iis conſequentia & neceſſariò connexa colligere, aut repugnantia aperire? Neque Eccleſia, neque ſacra Concilia quidquam novi ſtatuunt, aut condunt in ſuis de dogmate Canonibus. Quod accepit à Majoribus Eccleſia, ſcilicet quod ab Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus ad nos uſque permeavit, eorúmque traditioni conſentaneum eſt, hoc dumtaxat in ſuis ſententiis Eccleſia profert, ac profitetur. Quapropter cùm de Paſchatis celebrandi tempore diſputatum eſt, Nicæni Patres ſcripsêre: S. Athanaſ. de Synodis Arimini & Seleuciæ, tom. 1. ferè initio Epiſt. *Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto.* Cùm verò actum de fidei doctrina pronuntiârunt in hunc modum: *Credit Eccleſia Catholica*; ut pateret, non ſua ab eis decreta, ſed Apoſtolorum documenta promulgata fuiſſe. Proinde ſemper fuit Eccleſiæ conſuetudo, ut subortis in doctrina Chriſti quæſtionibus Scripturas ſacras, veterúmque Chriſtianorum, & SS Præſulum ac Patrum concordem traditionem conſuleret. Hæc ad manum ſtatim erat, opponenda novitati dogmatum, quam inferre conabantur Hæretici. Rationibus iſti contendebant, & loca etiam proferebant è ſacris codicibus in ſpeciem ſuæ novitati faventia. At Eccleſia Catholica primò rationibus in ſui tutelam agebat, tum ſuæ ſententiæ & victoriæ robur in eo collocabat, quòd antiquiſſimam traditionem à ſe ſtare evidentiſſimè ſentiebat, ſibique perſpectum erat, qui ſemper anteà

Digitized by Google

anteà fuiſſet ſenſus verus Scripturarum ſanctarum ad illam controverſiam pertinens. Innititur autem hujuſmodi conſuetudo inconcuſſis quibuſdam principiis, quæ multis probare facillimum foret, ſed indicare tantùm contenti erimus.

Primum eſt, Chriſtum Apoſtolos vivâ voce docuiſſe aut iis revelâſſe, quæcumque neceſſaria atque utilia in ſancta Religione credenda forent, & agenda ad ſalutem; tum Apoſtolos ad eadem ubique vivâ voce prædicanda miſſos eſſe à Chriſto, & nonnullos ex iis atque ex Diſcipulis vitam Chriſti & alia permulta ſcriptis conſignâſſe. Cúmque Apoſtoli ex Chriſti præcepto hæc aliis traderent, ipſos liquidò, ac dilucidè, & ſinè ambiguitate propoſuiſſe doctrinam Chriſti, ità ut exempli causâ, cùm Verbum ipſi appellabant Deum, cùm Spiritum ſanctum nominabant, cùm à Chriſto ajebant pronuntiata ſuper pane quædam verba: Auditores intelligerent, probéque perſpicerent, quid iis nominibus, illóque dogmate ſignificaretur.

Secundum eſt, hanc doctrinam non paucis tantùm hominibus, ſed toti terrarum orbi, atque innumeris Eccleſiis per Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti, eorúmque Succeſſores innotuiſſe; & Fideles in omni verbo, & omni ſcientiâ ſalutari divites fuiſſe factos, ut Paulus teſtatur; & Eccleſias potiſſimùm Apoſtolicas, ſcil. ab ipſis Apoſtolis fundatas, & diu præſentiâ Apoſtolorum cultas & inſtructas, hujuſmodi documenta uberius clariúſque, quàm reliquas hauſiſſe.

Tertium eſt, Apoſtolos nihil ſæpius & enixius commendâſſe atque inculcâſſe, quàm ut Fideles quod ab initio acceperant, conſtanter tenerent, & nemini vel homini vel Angelo fidem haberent, contraria aut alia ab iis nuntianti, quæ jam ipſi nuntiârant.

Quartum eſt, Chriſti Fideles, & Eccleſias omnes, & præcipuè Eccleſiarum Paſtores, perſpectum in primis habuiſſe, nihil per ipſos poſſe aut debere adjici, aut detrahi doctrinæ ab Apoſtolis traditæ; id qui auderet, ſummi ſceleris reum eſſe habendum, & graviſſimis Eccleſiaſticis pœnis mulctandum, niſi ritè admonitus reſipiſceret, cùm hoc ſit, Chriſtum aut Apoſtolos ignorantiæ aut invidentiæ accuſare, qui homines aliquid ad ſalutem neceſſarium, aut utile minimè docuerint.

Quintum eſt, Epiſcopos, & Eccleſiarum Paſtores id ſibi muneris injunctum cognoviſſe, ut hujuſmodi mutationibus atque erroribus obſiſterent, vel damnando, vel confutando, perſecutiones pro veritate tolerando, vel etiam fugien-

fugiendo errorum auctores & patronos, neque diſſimulare in his caſibus licuiſſe aut pacis causâ, aut propter metum, aut propter debitum ſuperioribus obſequium.

Sextum eſt, reverâ nullam in doctrina Chriſti novitatem & mutationem unquam diſſeminari cœptam fuiſſe, quin ſe aut Romani Pontifices, aliique Epiſcopi, aut Scriptores Eccleſiaſtici aut SS Patres, aut etiam populus fidelis, & denique, ſi neceſſitas poſtulabat, Eccleſia univerſa oppoſuerit Novatoribus, & contemptoribus antiquæ traditionis. Omnes verò Synodos, & Epiſcopos, Romanóſque præſertim Pontifices, & SS Patres, inter quos Chorum ducunt Sancti Ignatius, Polycarpus, & Irenæus, à primis Chriſtianæ Fidei ſæculis ad noſtra uſque tempora, nihil magìs deprædicâſſe, quàm traditioni Majorum receptæ, antiquæ & concordi eſſe ſtandum, omnéſque Hæreſes ab ipſis eo præcipuè titulo fuiſſe damnatas, quòd novitatem ſaperent, & hujuſmodi traditioni repugnarent. Atque ideo ſicuti à ſimilitudine veri apertiſſimè abhorret, tot ac tantos viros, tot ac tantas Eccleſias, novitati & mutationi in doctrina Chriſti infenſiſſimas, aliud tradidiſſe, ac propoſuiſſe, quàm quod antiqua traditio habebat, ità certum eſt, nullum ex Hæreticis defendere ſententiam ſuam potuiſſe antiquitate traditionis. Addam etiam, paucos ex antiquis Hæreticis fuiſſe, qui traditionis vim atque auctoritatem non fuerint confeſſi. Potiùs ipſam à ſe ſtare clamitabant. Et ſi quis flocci faciebat ipſam traditionem, ille primis etiam Eccleſiæ ſæculis temeritatis ac inſaniæ notam ſubiit. Juvat hic referre, quæ S. Irenæus habet Lib. 3. Cap. 2. de Gnoſticis: *Unuſquiſque ipſorum omnimodo perverſus, ſemetipſum, regulam veritatis depravans; prædicare non confunditur. Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur Traditioni, dicentes ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſuperiores, ſinceram inveniſſe veritatem.*

En fundamenta, quibus innixa eſt Eccleſiæ conſuetudo in Hæreticorum placitis hucuſque damnandis. Satìs ipſi ſemper fuit perſpicere, imò hoc præcipuè attendebatur, num propoſita nuper dogmata diſſentirent à Traditione conſtanti Majorum, & ab antiquiſſimo Eccleſiæ univerſæ conſenſu. Diſſentientibus nota ſtatim inuſta atque inurenda fuit ex Apoſtoli præcepto, qui nos monuit, ut à novitate opinionum caveremus, & quod traditum eſt, diligenter ſervaremus. Vel nullis aliis redditis damnatoriæ ſententiæ rationibus, ea erat potentiſſima & invictiſſima

ratio,

Digitized by Google

ratio, quòd hujuſmodi recens doctrina, ſive novitia Scripturarum interpretatio, deprehendebatur contraria interpretationi, ſive dogmati in tota Eccleſia Dei ab antiquiſſimis temporibus concorditer vigenti, ac propterea ex Apoſtolorum Traditione deſcendenti. Præterquam quod falli in dogmate univerſa Chriſti Eccleſia ſecundùm ejus promiſſa non poteſt, errandi etiam ſuſpicionem auferebat iſta facilè cognita ſæculorum præcedentium, & totius antiquitatis ſententia in propoſitis quæſtionibus. Non enim noſtrûm eſt, Chriſti doctrinam pro arbitratu noſtro effingere, reformare, atque invertere, ut privatis & incertis intellectûs noſtri ideis accommodetur; ſed cum veneratione recipienda eſt, qualis à Chriſto Apoſtolis revelata, & ad nos derivata fuit per unanimem tot ſæculorum traditionem, per tot Eccleſiarum, Conciliorum, Epiſcoporum, ac Patrum teſtimonia Hos omnes incredibile eſt, ſimul conſpirâſſe, aut ignorantiâ, aut pravis artibus, aut formidine, aut ſilentio, ut ſanctam Religionem perderent, ſive illam corrumpendo per novitatem, ſive corruptam tolerando. Sequitur ergo, apud omnes tum Criticos, tum cordatos homines, Traditionis fontes, h.e. Catholicorum Concilia, Romanorum Pontificum decreta, Sanctorúmque Patrum concordia ſcripta, in iis, quæ ad doctrinam fidei & morum ſpectant, certiſſimum præbere veritatis argumentum. Nihil autem ferè à temerariis aut ignaris allatum eſt proximè præteritis duobus ſæculis, aut afferri jam poteſt, quod longè anteà improbatum non fuerit ab Eccleſia, à Conciliis, à Patribus; aut quod improbandum eſſe non pateat, quoties novitate ſuâ repugnare conſtet antiquæ Catholicorum Traditioni, & Dogmatibus, Conſtitutis, & Scripturis à Catholica Eccleſia hucuſque aliter explicatis.

Moneret me locus, ut in illius Theologiæ laudes excurrerem, quæ Dogmatica apud nos appellatur; ſed facilè intelligatur ejus pretium: Munus nempe illius eſt, Catholicæ Eccleſiæ dogmata colligere è Conciliorum Patrúmque monumentis, & prodere, quæ univerſæ Eccleſiæ probentur, quæve improbentur. Ubi id pateat, rationi, ſeu ingeniis humanis nefas eſt, hujuſmodi ſententias, tanquam errori adhuc obnoxias ad ſuam trutinam cogere. Quicumque Chriſtianus eſſe amat, poſitiſq; hactenus principiis mentem adhibuit, hoc fateatur oportet. Quamobrem, quid ferat Catholici hominis indoles, parum ſe intelligere Phereponus prodit, cùm in quodam ſuo Libro

Diony-

Dionyſium Petavium incomparabilem virum, & de dogmatica Theologia ſupra omnes optimè meritum, appellat accuratiſſimum quidem veterum opinionum collectorem, ſed mancum atque infirmum, quando agitur de obſcuris illis Theologiæ & Philoſophiæ quæſtionibus, in quibus jus dicere debet ratio, & perſpicuitas exigitur. Hoc eſt, ſi Pherepono credimus, Petavius egregius fuit Hiſtoricus, non egregius Theologus: ſed quantùm celebris ille vir ingenio, & judicio, non minus ac eruditione polleret nemo eſt inter verè eruditos, qui neſciat. Quantùm etiam ratione valuerit, neminem luculentiorem teſtem dabo, quàm ipſamet illius opera. Quanquam tamen in dogmatica Theologia à rationum uſu Petavius temperâſſet, ſeu ut melius dicam, nullum argumentum, rationem nullam contuliſſet ad confirmanda Eccleſiæ dogmata; nihilominus integra ipſi ſtaret gloria. Nervos omnes rationis intendere debet dogmaticus Theologus, ut detegat, quænam fuerint & ſint Catholicorum dogmata, & quid verè ſentiat, & ſenſerit in iis Eccleſia. Hic ille præcipuus ſcopus. Detexiſſe ſolùm, & evidenter indicâſſe Eccleſiæ veræ & univerſæ ſententiam hoc ipſum eſt inveniſſe certiſſimum dogma Chriſti, ſaluberrimámque veritatem. Altera deinde ſe offert provincia, quam Scholaſticæ potiſſimùm, atque etiam Polemicæ Theologiæ cultores ſibi vindicant, nempe fidei dogmata rationibus etiam, atque argumentis à ratione quoque naturali, & à Philoſophia petitis probare, & adverſùs Infideles aut Hæreticos tueri. Qua in opera ineptire interdum ſolent homines incauti. Siquidem Rationi & Dialecticæ ſuæ nimium fidentes, aut de rebus altiſſimis, & de divinis Myſteriis intellectûs noſtri aciem vincentibus, rationes & explicationes adferre contendunt, quæ ſibi quidem videntur excelſæ materiæ pares, re autem verâ nullius ſunt ponderis, aut certa ipſa dogmata credere dediſcunt, quòd iſta privatæ ac temerariæ rationi ſuæ non ſatis congruere videantur. At dogmaticus Theologus ritè ſuo munere functus, tantùm ab ineptiendo abeſt, quantùm Eccleſia vera in ſuis dogmatis à periculo errandi abeſt, cùm vel ſinè Philoſophicis atque intimis argumentationibus, ſive rationibus, certa ſit illius doctrina, quippe à certo Magiſtro Deo revelata, & per fidos canales ad nos uſque deducta.

CA-

CAPUT XII.

Ingeniorum libertas quàm ab hominibus expetita. Doctrina ad Chriſtianum pertinens triplex. Semper conſiderandum, revelatáne, an ſecùs. à Deo fuerit. Dogmatis exiſtentia, ſignificatio, & rationes diſtinguendæ. Quid in his liceat aut non liceat hominum ingeniis.

ATque hactenus de frenis ſalutaribus, & de neceſſaria ingeniorum moderatione in religionis negotio actum eſt. Alia in hanc rem dicenda ſuperſunt. Verùm de laudabili quoque ingeniorum libertate aliquid priùs innuendum duco. Quod argumentum, cùm utile non minus ſit, quàm ſuperius, illo tamen dulcius fortaſſe videatur legentibus. Quippe ſuperba hominis mens, atque natura, cùm in agendo, tum in ſentiendo alienum imperium detrectat, ſuum tantummodo amat. Ac proinde nullum libentius, quàm eorum cantum audimus, qui in libertatem agendi atque opinandi, quod volumus, mentem noſtram ſe vindicaturos eſſe pollicentur: quod non ſemel ſuis in libris facere Phereponum poſt tot alios ſui ſimiles video. At ſicuti homini ratione prædito ipſa recta ratio effrenem in agendo libertatem negat, ità & hominem Chriſtianum ipſa Chriſti religio non patitur immodica opinionum libertate ferri, quocumque placeat. Nos itaque humano ingenio eam libertatem proponemus, quæ hominem deceat rationis rectæ, Fideíque Chriſtianæ legibus addictum, ità ut neque ſentiat ſe coerceri finibus iniquis, & nimiis compedibus, neque ultra metas à ratione & fide ſanctiſſima poſitas evagari ſinatur. Nimia opinandi licentia Hæreſes parit, fidem & rationem temerè lædit. Rurſus nimia ingeniorum ſervitus in ſuperſtitionem deducit, malum profectò teterrimum, & æquè ac Hæreſes Religioni veræ formidandum. Ab utraque cavendum eſſe, ratio, & Catholica Eccleſia monet. Jámque vidimus periculum primum tolli, ubi in credenda divina revelatione cum Eccleſia conſentiamus. Operæ pretium eſt, inveſtigare quoque deinceps, quî evitetur & alterum.

Priùs ergo noſcendum eſt, quotuplex ſit doctrina, quæ ad hominem pertinet, & pertinere poteſt, quatenus eſt

Chriſtianus. Dicimus autem, triplicem eſſe. Prima complectitur quæcumque documenta revelata à Deo fuêre, ſive ad diſciplinam, ſive ad dogma referantur, ſive neceſſaria, ſive utilia, ſive præcepta ſint, ſive conſilia, ut homo religionem veram intelligat, & quæ in ipſa credenda ſunt, credat, Deum diligat, eique ſerviat, & beatam demum immortalitatem ab ipſo obtineat. Secunda continet quæcumque non revelata à Deo Hiſtoriam Eccleſiaſticam reſpiciunt, & admodum conferunt eruditioni tum Eccleſiæ, tum ejus filiorum, qua ſunt Chriſtiani. Tertia demum complectitur quaslibet profanas Artes ac Scientias, puta Phyſicam, Mathematicam, Hiſtorias profanas, & reliqua documenta opportuna ac utilia homini, terrenam ſive corporis, ſive animi, & rationis beatitatem quærenti. Poſtrema quidem iſta doctrina nihil rei cum religionis & hominis Chriſtiani negotio habere videtur. Sed cùm à præſtantiſſimo ejuſdem religionis, ejuſdemque Chriſtiani hominis fine avertere nos, aut ad illum manu etiam ducere poſſit: neceſſum eſt, ipſam quoque in hujuſmodi cauſa ſubire judicium noſtrum

In hanc autem triplicem doctrinam ea ſemper conſideratio cadere poteſt, nempe ſitne à Deo revelata, nec ne; & num ad Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem pertineat, an ſecus, illam ſancire tanquam à Deo revelatam, aut rationi rectæ, & æquo congruam. Quippe ex iſta conſideratione altera cognitio effluit, ſcilicet quibus in rebus, & quando aut honeſta ſervitus, & moderatio, aut honeſta libertas chriſtianis ingeniis conveniat. Ubi divina revelatio occurrit, ubi Eccleſia jus decernendi habuit, atque decrevit: tunc recta ratio monet, repudiandas eſſe ingenii noſtri fallaces argutias, & audienda eſſe Dei & Eccleſiæ fidiſſima edicta. Cùm verò & divina revelatio deſideratur, & Eccleſiæ nullum ſententiæ ferendæ jus fuit, aut nulla adhuc inde manavit ſententia, liberum erit ingenio noſtro iis in rebus ſentire, quod veritati proprius videbitur.

Hiſce poſitis, primam doctrinæ ſpeciem contemplemur, ideſt dogma, ac diſciplinam. Illud nobis exhibet, quæ credenda ſunt vel de natura, ac voluntate divina, vel de Incarnatione Verbi, vel de aliis Myſteriis, & Documentis Chriſtianæ Religionis, & quæ agenda ſunt homini Chriſtiano, hoc eſt morum, & officiorum leges ad ſalutem conſequendam vel neceſſarias, vel utiles. Diſciplina autem tradit cùm ritus ad Sacramenta, ad cultum externum

ternum Dei, & ad reliqua Chriſtianorum Myſteria conficienda, tum leges, quibus Eccleſiæ ejúſque Miniſtrorum, ac membrorum Hierarchia & regimen conſtat, quæ tamen & ipſa interdum referri aliqua ex parte poſſunt ad dogma, ut alio in loco videbimus. In dogmate potiſſimum ſita eſt Chriſtiani hominis eruditio. Quid enim aliud à nobis Religio expetit, quàm ut credamus, quæ credenda ſunt, & ad Evangelii normam ducamus vitam inculpatam, Deique, & virtutum amore ferventem? Igitur eſt inſpiciendum, iſtane præcepta morum, reſque credendæ, an ad nos à Deo revelante veniant, an verò à rectæ rationis lumine, ſive potius à privatorum ingeniorum argumentationibus. Si Deum iſta auctorem habent, ſi rectam rationem: eadem vera & recta eſſe continuò intelligimus; ac proinde ingenio noſtro tunc eſt ſubſidendum, neque temere tantis auctoribus repugnandum, tametſi aliquid à Deo proponatur, quod ſatis intelligere, & capere nequaquam poſſimus. Sin à privatis ingeniis dogmata prodeunt, hiſce tum ſolùm conſentiendum erit, cùm ad rationis & Logicæ leges ea exegerimus, & ab iis errorem evidenter abeſſe conſtiterit. Nam quid aliud habet ingenium alienum, ut noſtrum in ſuam ſententiam jure trahat, niſi rationes? Si infirmas haſce deprehendimus, ſi noſtras plus valere ſentimus: cur illi homini potius, quàm nobis adjungenda eſt fides? Cùm verò, quænam dogmata Deus revera per Filium ſuum, per Prophetas, per Apoſtolos revelârit, tum ſolum certò conſtare poſſit, ut vidimus, cùm ad iſta acceſſerit Eccleſiæ veræ teſtimonium: illa propterea nobis ob oculos ſemper verſabitur regula: nempe, *Auctoritatem ingenii noſtri cedere debere, ubi auctoritas Eccleſiæ intercedit; & contrà vigere poſſe, ubi non intercedit.* Multa enim ſunt, quorum ſanciendorum jus Eccleſia non habet; multa quoque ſunt, quæ illius auctoritati ſubſunt, neque tamen hujúſque ſancita reperiuntur. In utriſque magna eſt ingeniis libertas, & injuſtè plerúmque agat, qui eam aut illubenter in aliis ferat, aut etiam adimere velit.

Quò tutius autem & ex ordine procedamus, tria priùs conſideranda ſunt, quod attinet ad dogma: videlicet, exiſtentia dogmatis, modus explicandi dogmatis, ſive interpretatio, & ſignificatio doctrinæ, & rationes, quibus ipſum dogma ſi rectum eſt, probatur; aut improbatur, ſi pravum. Hæc inter ſe planè differunt, neque inſtar unius habenda. Sunt autem dogmata complura, quæ

quod eſt ad exiſtentiam, firmata jam ſunt auctoritate, & decreto Catholicæ Eccleſiæ. Rurſus eadem dogmata variis explicari poſſunt modis. Cùm verò fieri poſſit, ut hujuſmodi explicationes nondum receperit, rejeceritve Eccleſia, idcircò non idem erit eiſdem interpretationibus robur, & eadem vis veritatis, ac eſt exiſtentiæ dogmatum jam ſtabilitæ. Tandem ipſa dogmata, quorum certa eſt exiſtentia, & omnium conſenſu explorata ſignificatio, ſive explicatio, multis rationibus comprobari poſſunt. Attamen inconcuſſæ, ac certæ fortaſſe non erunt ſingulæ iſtæ rationes, quippe ſingulæ aperto Eccleſiæ ſuffragio nequaquam innitentur. Ergo ſecundùm iſtam conſiderationem triplex ſuboriri quæſtio poterit, nempè an dogma exiſtat; quid per illud dogma ſeu per illius dogmatis verba Deus & Eccleſia ſignificare velint, & quomodo hujuſmodi dogma probandum ſit.

Cognoſcere exiſtentiam dogmatis tum dicimur, cùm certi ſumus, Deum per eos Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum, Eccleſiâ definiente, illud revelâſſe & conſtituiſſe dogma. Ipſum Deum ſacræ Scripturæ deprædicant omnipotentem, omniſcium, æternum. Ex eiſdem edocemur, in fine ſeculi judicandum à Chriſto univerſum genus humanum; juſtos in Regno Dei æternâ fælicitate donandos, improbos in igne æterno cum diabolis immani infecilitate plectendos. Hujuſmodi dogmata in Chriſtiana Religione exiſtere, nullus Chriſtianorum ignorat, aut negat. Ad hæc, nomine exiſtentiæ complectimur tum dogmatum ſubſtantiam, tum eorum conſectaria, & annexa, nam & ſingula iſta ſæpè tanquam dogmata conſiderantur, & de ipſis inſtitui quæſtio poteſt, an exiſtant, hoc eſt an revelata necne fuerint, ſive conſtituta per Eccleſiam. Multæ autem inter Catholicos & Hæreticos intercedunt controverſiæ, his negantibus, illis affirmantibus, dogmata quædam à Deo revelata fuiſſe, aut ex jam conſtitutis dogmatis quædam conſequi, aut non conſequi, neceſſariò & ipſa credenda. Sed in hujuſmodi quæſtionibus pendere animi diu vel opinari illorum ingeniis nefas eſt, quibus firmiſſimum illud principium altâ mente fixum ſedet, videlicet: *Eccleſiam in divinis Scripturis interpretandis, & in ipſis dogmatibus definiendis, ab errore immunem ſemper fuiſſe, ſempérque futuram.* Etenim cùm nullo negotio poſteà conſtet, Eccleſiam Catholicam de iis jam tuliſſe ſententiam, & ipſam reverà ità ſentire compertum ſit omnibus: ſtatim etiam Catholico ingenio occurrit,

quæ

quæ tum ſit amplectenda opinio, & quibus in locis veritas certiſſimè habitet.

Sunt autem inter Catholicos & Proteſtantes, immo inter ipſos quoque Catholicos, aliæ de rebus Theologicis diſputationes, & in neutram partem hucuſque declinavit Eccleſiæ ſententia, Libri Theologorum, qui Scholaſtici nuncupantur, abundant hiſce quæſtionibus. Utrinque pugnatur, utrinque Scripturarum loca, rationéſque proferuntur, interdum etiam aliqua, aut utraque pars ſibi auctoritatem Patrum, & Eccleſiæ vendicare contendit. Sed incertum adhuc utri opinioni Literæ divinæ, aut firma ratio, aut Eccleſia ſinè dubitatione faveant atque conſentiant. Quid juris hîc habeat ingenium, nemo non intelligit. Fas ipſi eſt hujuſmodi varias diſputantium opiniones, rationéſque excutere, eaſque confutare, aut iis demum ſuffragium ſuum adjungere, quæ ad veritatem propius accedere ſibi videantur, & in alias abire ſententias, quæ ſibi magìs arrideant. Talia quippe in dogmatum ſenſum minimè veniunt, & opinionum nomen iis potiùs congruit. Sed quanquam liberum ſit ingeniis (modò periculum abſit, ne dogmata certa lædantur) vires hîc ſuas exercere, atque exercere attamen in hiſce non tam vituperationem effugiet, quàm commendatione majori dignus erit, qui tum ad normam Logicarum legum, Criticæque meliores, tum etiam ad ſacrarum Scripturarum, & Ecleſiæ mentem, ingenioſius & acutius ſua inventa componet. Atque hæc eſt generalis regula, ſive libertas. Quâ nihilominus cùm ingenia non pauca abutantur, & abuti adhuc poſſint, ideo infrà ſubjiciendæ erunt neceſſariæ quædam leges, & exceptiones, ut in temerariis & ſupra modum curioſis mentibus nimia licentia coerceatur.

Ad hæc, ubi dogmata exiſtentia deprehendantur, diximus inſtitui poſſe quæſtionem de illorum germano ſenſu, ſive de mente Dei & Eccleſiæ in iis dogmatis proponendis. Multa ſunt adeò manifeſtis verbis concepta, adeóque rationis lumini, & reliquis Eccleſiæ documentis conſentanea, ut nemo inter Chriſtianos de illorum ſenſu & modo explicandi audeat diſceptare. Sunt alia, quorum ſignificatio in controverſiam adducitur, adducìve meritò poteſt. Quod tum fit, cùm iſta dogmata ſub obſcuris, aut æquivocis verbis propoſita ſunt, aut cum certiſſimis aliis & evidentibus Religionis Catholicæ dogmatis non ſatis comodè congruere poſſe videntur. Ipſæ ſacræ Literæ,

ipſa Conciliorum decreta, ipſa SS. Patrum dicta, diverſis obnoxia ſunt interpretationibus. Proinde ex iſto fonte emerſerunt pleræque Hæreſes, plerique Hæretici. Dum enim quiſque divinam Scripturam, & Concilia, & Patres explicare vult atque interpretari ſecundùm privatas ingenii ſui vires atque ideas: humana ambitio & imbecillitas in varias diſtracta eſt opiniones, atque in errores pernicioſiſſimos delapſa. Quidam Chriſtum in ſacris Literis minorem Patre appellatum animadvertentes, ipſum aut hominem dumtaxat eſſe affirmârunt, aut ipſum negavêre ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum Patre. Alii, quid verba ſignificarent in poſtrema cœna à Chriſto pronuntiata ſuper pane, inveſtigantes, quod ingenio ſuo magis accomodatum videbatur, intellexêre. Aliis ea ſententia ſedit, confuſas eſſe in Chriſto divinam humanámque naturam. Nempe noverant ex univerſæ Eccleſiæ decreto, ambas háſce naturas in uno Chriſto unitas.

At in compturium dogmatum ſenſu inquirendo, modóque explicandi, non eſt, quòd nunc diu multúmve fatigentur ingenia. Hoc onere nos Eccleſia ſæpè levavit, quippe non ſua ſolùm decreta & verba, ſed divinorum etiam librorum ſenſum germanum lucidiſſimè identidem explicavit. Id cùm facilè colligi poſſit, facilè etiam caveantur errores. Quamobrem ingeniis noſtris hìc ea tum reſtat libertas, ut quæ Scripturarum loca, & verba, aut Conciliorum Patrúmque opiniones in ancipiti adhuc eſſe videntur, expendamus, & interpretemur, prout melius ſuadebit recta ratio, & Eccleſiæ, ac earumdem Scripturarum mens ex aliis clariſſimis dogmatis, & Traditione Patrum cognoſcenda. Præter hanc libertatem alia etiam patet. Quædam enim dogmata habentur, de quorum quidem ſenſu atque explicatione nulla occurrere inter Catholicos controverſia poteſt, ſed nondum conſtat modus, quo fiant, aut facta ſint, quæ in iis dogmatis proponuntur. Nos docet fides, inferno igne torqueri damnatos. Quî autem id fiat, nos illa non docet. Nullâ in hiſce caſibus lege univerſali prohibemur ſententiam noſtram dicere, & veriſimilia afferre; & in explicandis his modis, alter ab altero, & ſinè Eccleſiæ injuria, diſſidere poteſt. Iſta tamen libertas nonnullis & ipſa indiget exceptionibus & frenis, de quibus infrà ſermo erit.

Tertiò conſiderandæ ſunt rationes, per quas dogmata Catholicorum firmantur; infidelium & hæreticorum improbantur. Iſtæ deſumuntur vel è divinis Literis, vel è Traditione, & Auctoritate Eccleſiæ. Ex ipſa quoque recta

ratione,

Digitized by Google

ratione, & è Philoſophiæ penetralibus argumenta deducuntur. In tanta rationum copia certiſſimæ quædam & invictæ ſe offerrent, iiſque nullum dogma caret. Fieri tamen poteſt, ut aliquæ etiam infirmæ ſint ac utiles, quædam etiam falſæ, quanquam veriſſimum alioqui ſit ipſum dogma. Quapropter latè patet ex hac parte ingeniorum libertas. Non enim tantùm fas eſt meliora nováque proferre argumenta, ſed aliena quoque elumbia repudiare & evertere licet. Veritas ut ſtet, mendacio non indiget. Imò ipſa refugit adeò nutantibus fulcris innixa apparere, ſuo pondere jam ſtabilis, & aliis indubitatis principiis adhærens. Hinc inter Scholæ Theologos nemo ſibi religione vertit rationibus novis cùm in errores Hæreticorum, tum pro veris fidei dogmatis decertare, & ipſis etiam aliorum Catholicorum rationibus indicere bellum, ſi illæ minus opportunæ, aut indignæ deprehendantur, quibus tutela veritatis commiſſa fuerit. Gregorius de Valentia Theologus celebris argumenta nonnulla, quibus Sanctus Thomas eſt uſus ad exiſtentiam Dei probandam, invalida eſſe oſtendit; idémque alii quoque graves & pii Theologi fecerunt. Et hìc tamen ſua ſunt immoderatis ingeniis pericula. Sunt & rationes quædam, quas evidenter voto ſuo jam ſupra cenſuram noſtram Eccleſia collocavit. Propterea infrà dabimus operam, ut propoſitis quibuſdam legibus generalis iſta libertas intra honeſtos fines contineatur.

CAPUT XIII.

Pericula imminentia ſcribentibus de auctoritate. Inſipiens zelus quid pariat, & quàm laudanda hìc ſit prudens moderatio. Eccleſia nunquam fallax in dogmatibus ſanciendis, duplici conditione poſitâ. Dogmatum, quæ alia in mera contemplatione verſantur, alia actionem quoque exigunt. Quæ poſſint, aut non poſſint, quæ etiam debeant, aut non debeant ſtatui. Quid de quæſtione, utrùm Angeli corporei, an incorporei ſint, credendum, & an eam Concilia ſuſtulerint. Inter rationes dogmatum quædam ſemper ad fidem ſpectant, ſed non omnes. Quid hìc liceat ingeniis.

NUſquam firmiorem eſſe, magíſque venerandam Eccleſiæ auctoritatem, quàm in dogmatis ſanciendis, dixi-

diximus. Ità ſe rem habere, ea omnia ſuadent & perſuadent, quibus Eccleſiam à veritate deviare in ſalutis doctrina nunquam poſſe ſuprà oſtendimus. Id Religionis æternùm ſervandæ neceſſitas poſtulat; id humanæ rationis imbecillitas exigit; id Chriſtus pollicitus eſt, id ubique, & ſemper, & concorditer credidit Eccleſia Dei, ſtatuerunt Concilia, tradiderunt Patres. Et iſta auctoritas ad tria illa, quæ in dogmate hactenus conſideravimus, ſeſe extendit; ſed ſuis limitibus conſtringitur hæc ipſa facultas, magnâq; circumſpectione hìc opus eſt, utì jam explicatum pergo. Quod priuſquam aggredior, quædam præfari juvat locum habitura tum hìc, tum in cæteris de auctoritate Eccleſiæ & ingeniorum libertate dicendis. Auctoritatem eſſe rem omnium delicatiſſimam, ſatis compertum eſt. Hinc illud ferè ſemper accidit incommodi, ut qui ipſam pertractare volunt, non ſolùm obtrectationibus contraria ſentientium, ſed etiam ſuſpicionibus & odiis eorum ſint obnoxii, de quorum auctoritate eſt ſermo. Innatum quippe eſt cunctis prope hominibus dominationis & præcellentiæ deſiderium, eóque concitatiùs in illud mens noſtra fertur, quò manifeſtiùs ſentimus aut credimus, iſtius auctoritatis tutelam & amplificationem pertinere ad Reipublicæ bonum. Nulla autem auctoritas, hominibus à Deo data, Eccleſiaſticæ æquanda eſt. Reliquæ humanarum rerum perfecto regimini conducunt, finémque ſibi ſtatutum habent, nobilem quidem, ſed brevem, qualis eſt terrena mortalium felicitas. At Eccleſiæ auctoritas nobiliſſimam ac æternam rem curat. Non enim ſolùm ad beatam in terris vitam homines perducit, ſed ad æternam quoque in cœlis beatitatem. Quocirca jure tolerari non ſolet, quicumque vel tantillum videatur imminuere de tam neceſſaria utilíque auctoritate, quam tollere, aut non ſatìs venerari, idem certè eſt, ac Hæreſibus & erroribus innumeris clauſtra reſerare.

Verùm nimiâ religione hujuſmodi auctoritas nonnunquam reſpicitur. Quæ cauſa eſt, ut immoderatè à quibuſdam extollatur, & quod gravius eſt, immoderatè iis ſuccenſeatur, qui cum moderatione de ipſa loquuntur. Nimiam religionem appello zelum ſinè ratione exuberantem, zelum, ut Apoſtolus ait, non ſecundùm ſcientiam, zelum ſuperſtitioni affinem. Enim verò non alio nomine deſignandus eſt eorum inconſultus ardor, qui nullis penè finibus Eccleſiæ auctoritatem teneri opinantur, & ubi aliquid in Conciliis, in Breviariis, in Romanorum Pontificum Diplomatis, in SS. Patrum Libris deſcriptum comperiunt,

pro

pro ipſo,tanquam pro aris& focis,pugnant,&pugnandum contendunt. Nempe id hominum genus ſinè ullo diſcrimine illa omnia non ſecùs ac fidei capita habenda eſſe cenſet; Eccleſiam quippe errare nuſquam,& nunquam poſſe; & ſi quis contrariâ opinione ducatur, hunc procul dubio cum Hæreticis facere , gravibúſque pœnis, & omnium odio mulctandum putat.

Fateor,laudanda eſt horum proba voluntas, ſed non eſt diſſimulanda aliqua in iis interdum ſcientiæ & prudentiæ inopia. Videlicet,nimium ſuſpicioſi,& moroſi ſunt, & illic interdum timore trepidant,ubi non eſt timor. Atque utinam tantùm Eccleſiæ ſanctæ prodeſſent, quantùm nocere poſſunt hujuſmodi clamoribus, minis, atque Tragœdiis. Nam cùm multa occurrant in Eccleſiaſtica eruditione aut veriſimilia tantùm, aut dubia, aut contraria, aut omnium vel Catholicorum conſenſu falſa: ſi unaquæque veluti certa & vera indiſcriminatim accipienda ſunt, apud Hæreticos & Infideles, imò & apud Catholicos, periclitabitur dignitas,ſanctitas, & veritas præſtantiſſimæ Religionis. Deinde ad tyrannidem accedet, qui minimè credenda credi jubeat,aut ſe prodet erroris magiſtrum, qui in cenſum veritatis fabulas quáſque referat. At ab utriuſque incommodi vel minima ſuſpicione abeſſe debet , & certè abeſt Eccleſia Dei. Pios hóſce aſſentatores ipſa tandem refugit; rectéque intelligens, quouſque ſua auctoritas pertingere debeat, ut deinceps conſtabit, non pluris juris ſibi tribui amat, quàm quod Chriſtus,publicæ utilitatis ratio,& omnium prudentum vota hucuſque tribuerunt.

Cordati itaque viri, & præcipui Catholicorum Præſules,& quicumque veram Theologiam,& eruditionem Eccleſiaſticam non à limine tantum ſalutârunt, ii omnes neque Eccleſiæ auctoritati quicquam detractum,neque ultra æquitatis leges ei quicquam adjectum volunt. Utrinque excedere facillimum eſt, & utrumque vitium eſt Et quanquam opinione vulgi ii ſolùm peccare videantur, ſoleántque ignominioſis nominibus traduci, qui Eccleſiæ jura elevant ac peſſumdant, & pii contrà cenſeantur, qui in amplificanda vel ſupra modum ejuſdem Eccleſiæ auctoritate nervos omnes intendunt: æquè tamen ſapientum Catholicorum opinione peccant, & obſunt, qui nihil antiquius habent, quàm ubique Eccleſiæ auctoritatem importunè exaggerare, contraria ſentientibus ubique iraſci,& eâdem abuti auctoritate in cujuſque ſuæ privatæ opinionis, affectioniſque præſidium. Pietatem ſapit horum facinus,

Digitized by Google

ſed pernicioſam pietatem, etenim ii nullo negotio vincendam adverſariis exhibent aliqua ex parte Catholicorum cauſam. Quis non videat, ſi in uno, quod verè ad Eccleſiæ judicium pertineat, deprehendantur. Eccleſiaſtici Judices aberrâſſe, neceſſe quoque eſſe, ut in reliquis omnibus errori obnoxiam confiteamur Eccleſiam? Summopere ergo conducit cùm ipſi Eccleſiæ, tum Theologis omnibus, exquirere, perſpectúmque animo habere, quinam auctoritati Eccleſiaſticæ limites præſcripti ſint, ne dum incerta & indebita jura ſacris Paſtoribus concedimus, certa & debita in periculum adducamus. Atque utì eſt modeſti & non vulgaris animi, hominíſque ſupra affectus ſuos regnantis, nil ſibi arrogare, quàm quòd in publicæ rei commodum, & in juſtitiæ & veritatis tutelam redundet: ità pii ſimul & prudentis Theologi eſt, nihil Eccleſiæ tribuere, quod tributum in ipſius matris noſtræ contumeliam, publicúmque incommodum recidat. Ut eidem penè ſerviatur, & conſulatur, non ſolus zelus, non ſola pietas conſulenda eſt, ſed ſcientia quoque, & Logica perfecta, & Critica, & eruditio antiquitatis, & omnium maximè prudentia. Quòd ſi dubium quandoque poſt accuratam diſputationem jus Eccleſiæ reſtet, tum certè commendabilius fuerit id ipſius auctoritati piè concedere, quàm pertinaciter negare. His autem præmiſſis, quibus ſi non meliores, certè infirmiores indigent, ne me adversùs temeraria ingenia dimicantem ejuſdem criminis reum temerè ſuſpicentur, fidentiùs nunc in argumentum invado.

Quando quæritur, quouſque pateat Eccleſiæ Catholicæ auctoritas in dogmatis ſanciendis, generalis regula futura eſt nobis: *Eccleſiam ſinè erroris ſuſpicione decernere poſſe, quæcumque dogmata ſcitu neceſſaria ſint aut utilia fidelibus, quoties iſta per rectam interpretationem, aut per rectam argumentationem deduci poſſint tanquam præ exiſtentia in revelatis, per Scripturas ſanctas, aut per concordem & antiquam traditionem ad nos tranſmiſſa.* Duæ autem conditiones exigi mihi videntur, ut Eccleſia Dei ſtatuere dogmata ſinè erroris periculo poſſit, nempe: Fidelium neceſſitas ac utilitas; & divinorum verborum, ſive ſcripto, ſive per traditionem ad nos manantium, fundamentum. Harum altera cauſam decidendi reſpicit, altera cauſam non errandi. Utraque verò in judiciis Eccleſiæ præ oculis ſemper eſſe debet ac ſolet. Et ad poſtremam quod attinet, celebris eſt ſententia Vincentii Lirinenſis, ità de Eccleſia ſcribentis:

Non

Digitized by Google

Non nova fidei dogmata ſtatuit, ſed vetera eruit. Doctrina enim à Chriſto tradita perfecta atque integra fuit, & ſinè impietate ad illam aliquid adjicere non poſſumus, ne veluti mancam & imperfectam temerè aut incautè accuſemus. *Scio*, mulier illa Samaritana ajebat, *quia Meſſias venit. Cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Et ipſe Chriſtus omnia, quæ audivit à Patre, nota fecit nobis, juſsítque Apoſtolis docere Gentes omnia, quæcumque ipſe mandaverat. Nova itaque dogmata non procuduntur in Eccleſia, ſed vetera repetuntur, obſcura explicantur, defenduntúrque eadem, quæ Chriſtus tradidit, & nihil propterea ab Eccleſia ſtatui certiſſimè poteſt diviná Fide credendum niſi quod Chriſti verbis, ſive ſcriptis, ſive non ſcriptis, nitatur, & inde per rectam interpretationem & argumentationem deducere liceat. Spiritus verò ſanctus ſecundùm promiſſa Chriſti ſemper adfuit, atque adfuturus eſt judiciis Eccleſiæ, non ut novæ revelationes fiant, aut nova revelentur per ipſius Eccleſiæ vocem dogmata, ſed ut dum ſacræ Literæ & antiqua Traditio diligenter conſuluntur, tunc interpretatio recta, rectàque argumentatio ab Eccleſia inſtituantur, nullúſque error in eaſdem ſubrepat.

Singillatim nunc inſpiciamus, quæ appellentur neceſſaria & utilia Fidelibus, & ubinam certò interpretari atque argumentari Eccleſiæ liceat. Alia ſunt omnino, alia ſunt ex parte, Fidelibus neceſſaria. Prima appellamus, quæ qui jam adultus & mentis compos ignorat, à regno Dei arcebitur. Fidelibus ex parte neceſſaria nuncupamus, quæ ignorare quidem liceat, ſed aut negare, aut in eis errare, nefas ſit. Utilia, quæ homini Chriſtiano conducunt, ut faciliùs cœlum conſequatur, infernáſque pœnas evitet. In duo autem genera dividuntur dogmata. Alia in mera contemplatione verſantur, & fidem tantummodo poſtulant. Alia præter contemplationem & fidem, actionem quoque reſpiciunt, qualia ſunt, quæ de moribus in religione traduntur. Et quidem populis exſpectantibus beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, nihil magìs neceſſarium eſt, atq; utile, quàm ſcire, quæ in moribus actionibúsq; humanis Deo placeant, atque diſpliceant, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobriè, & juſtè & piè in hoc ſæculo vivant. Cùm autem in ſacris Literis apertiſſimè deſcripta ſint præcepta vitæ, & potiſſima ſal-

tem morum documenta, è quibus tanquam ex fontibus facilè reliqua omnia ſingularia deduci poſſunt: hinc Eccleſiæ facillimum & neceſſarium ſæpè eſt, certò decernere, quæ liceant, quæve non liceant, & illius ſententiæ nolle acquieſcere grave crimen fuerit, gravius adverſari. Eò etiam pertinent Chriſti verba Matth. XXIII. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* Proinde nihil apud Catholicos certius eſt, quàm ea ſinè dubio licere aut minimè licere, quæ ſuffragio ſuo comprobavit, aut improbavit Eccleſia.

Quod eſt ad dogmata in ſola contemplatione ſita, quædam ſunt omnino neceſſaria ſcitu. Niſi quis ſciat & credat Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, de ejus æterna ſalute actum eſt, ut Apoſtolus monet. Unitatem quoque Dei, & Trinitatem perſonarum in unitate naturæ, Verbi Incarnationem, Chriſti mortem pro redemptione generis humani, ac reſurrectionem, Chriſtiano ignorare nefas. Alia ſunt, quæ non opus quidem eſt omnibus ſcire ad ſalutem, ſed omnibus incumbit, cùm illis annuntiantur. Verùm & iſta etiamſi ignorare interdum ſinamur, nunquam tamen, ſi percipiantur, inficiari, aut in iis errare, liberum atque impunè eſt nobis. Et propterea ipſa quoque Fidelibus quodammodo neceſſaria ſiunt. Quippe ſi hæc, ubi animo percepta ſunt, negentur, aut errando corrumpantur, tum homines à virtute avertuntur, ad vitia ſolicitantur, aut aliquid indignum de Deo, oppoſitúmve ejus revelationi ſentitur. Exempli causâ, plurima habet Calviniana Hæreſis, quibus poſitis homo, ſi probè argumentetur, ad vitia deflectere velit, virtutibúſque valedicere; & nihilominus æternam vitam ſibi eripiendam ideo ille homo non credet. Tale eſt arbitrari, juſtificationem & gratiam ſanctificantem per nullum peccatum amitti poſſe, ità ut nemo in gratiam à Deo receptus, exinde quanquam graviter peccans, è gratia excidat. Juſtum quemvis firmiter credere debere, ſibi regnum Dei ne à peccatis quidem gravibus eripiendum; & contrà Juſtis impoſſibile eſſe divina mandata implere. Bona Fidelium opera, peccata eſſe apud Deum, & alia hujuſmodi. Aliena pariter à dignitate ac natura Dei ſenſêre cùm antiqui, tum recentes quidam Hæretici, cùm ab ipſo dixerunt prædeſtinari ad culpam non electos ad gloriam, aut aliis ſententiis temerè incautéve ipſum conſtituerunt auctorem peccati.

Itidem

Itidem innumera ſunt, quæ ex officina mentis humanæ, quamvis lumine Evangelii illuſtrata, hucuſque prodierunt, & prodire quotidie poſſunt, revelationi divinæ contraria. Paucos quidem invenire eſt inter Chriſtianos, qui poſtquam ſacras Literas divinitùs conſcriptas arbitrati ſunt, aliquid ſubinde falſi in iis contineri affirment, aut ſuſpicentur. At non facilè eorum numerus ineatur, qui pro non revelatis à Deo quædam habuerunt ac habent, quæ tamen revelata fuêre, aut contrà inter revelata retulerunt, quæ revelatione carebant. Id ſingulas Hæreſes perluſtranti continuò pateat. Quoties igitur accidit, ut ejuſmodi excitentur quæſtiones, dubium nullum erit, quin utile ſit unicuique Chriſtiano, & ipſi Chriſtianorum Reipublicæ neceſſarium, earum definitionem ab Eccleſia audire, ne quis errando aut virtutibus, aut naturæ divinæ, aut divinæ revelationi adverſetur. Atque hìc interpretationis & argumentationis jura exercere tutò poteſt ac debet Eccleſia, *ne ſimus parvuli ſluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, ut ait Apoſtolus ad Eph. IV. 14. Primum jus exercet ipſa, cùm explicat, quid reapſe Traditio fuerat in doctrina Chriſti, & quid ſignificent Scripturarum verba æquivoca aut obſcura. Alterum, cùm dogmata probat aut improbat, quæ ſacris Literis aliiſve certiſſimis dogmatibus conſectaria ſunt, aut eſſe cenſentur. Verum Deum ſimúlque verum & perfectum hominem eſſe Chriſtum, Scripturis cum Traditione apertiſſimè conſentientibus, Eccleſia Orthodoxa nunquam non credidit. Hinc ritè deduxit, ipſum non in ſpeciem tantùm, ſed verè humanam carnem induiſſe; & quatenus homo eſt, è corpore animáque humanâ conſtare; & in ipſo duas eſſe naturas minimè confuſas, duáſque item voluntates. Iſta dogmata per rectam argumentationem, è Scripturis (ubi abdita atque involuta erant) derivatâ, & conſtanti Eccleſiarum Traditione firmata, Marcionis, Apollinaris, Eutychetis, & Monothelitarum commentis oppoſita, errorem in hac parte omnem ſuſtulerunt, certóque veritatem ſtatuerunt. Eâdem ratione exploſa eſt Novatorum opinio negantium debitam aut licitam Chriſti adorationem in Sacramento Altaris. Ibidem Chriſtum verum Deum peculiari modo præſentem eſſe Eccleſia Catholica credit. Hoc poſito, neceſſariò ſequitur, adorandum ibi eſſe Chriſtum. Nihílque à ratione magis abſonum videtur, quàm Idololatriæ crimen inferre Catholicis, adorantibus id, quod non adorare ſit crimen.

Digitized by Google

Ex his autem, quæ hactenus commemorata ſunt, nonnulla deducuntur perquàm neceſſaria documenta. Et primò, cum oporteat, Eccleſiæ Catholicæ judicia, ut certiſſimum veritatis argumentum præſtent, revelatione divinâ ſemper inniti, conſequens eſt, ubi impleri iſta conditio non poſſit, illic minimè habere locum datam à Deo Eccleſiæ auctoritatem. Secundò, non omnia, quæ ab Eccleſia, Conciliis & Patribus conſtituta aut probata, ſive etiam improbata & rejecta videntur, eodem obſequii venerationiſque genere ſuſcipienda eſſe. Quæ enim per interpretationem, ac argumentationem in ſacris Literis & Apoſtolicâ Traditione haberi, Eccleſia palam edixit, ea divinam Fidem à nobis poſtulant, fideíque dogmata jure nuncupantur. At quæ nullo alio fundamento conſiſtunt, quàm humanis rationibus, humaníſve experimentis, humanam quidem exigere interdum fidem poſſunt, at nunquam divinam, neque fidei dogmatis accenſenda veniunt. Quare ſi quis ejuſcemodi poſtremis rebus adjungere fidem nolit, ſtultus quidem interdum, interdum temerarius reputabitur: addam etiam, in eum quandoque Hæreſis ſuſpicio conveniet, & quandoque gravi caſtigatione coercendus erit; ſed nunquam Hæreticus meritò dicetur, neque iiſdem prorſus ac Hæretici damnabitur pœnis. Verùm de his ſuo loco tractandum fuſiùs erit.

Tertiò, ſunt & aliæ quæſtiones ad dogma ſpectantes, quas abſque errandi periculo dirimere Eccleſia poteſt; ſed tamen ab iis dirimendis temperare prudenter debet. Non modica iſtarum copia, & præcipuè apud Scholaſticos, occurrit, & enormem adhuc in numerum excreſcere poſſet. Dirimere autem Eccleſiæ fas eſſe diximus, quia controverſiæ hujuſmodi aliquatenus contingunt revelationem divinam, & ex iſta earum deciſio peti deducíque poteſt. Non ſolet dirimere, quia ſive in unum, ſive in alterum ſenſum, tametſi contrarium, inclinet Chriſtianorum ſententia, nihil officitur ſcientiæ morum à Chriſto traditæ, nemo à virtutibus idcirco revocatur, aut ad vitia tacitè allicitur, & præcipuis, expreſſis, ac receptis Scripturarum Traditioníſque documentis, atque principiis, nulla vis infertur, nulláque ex parte repugnatur. Utique ſi Eccleſia in animum induceret, quibuſcumque natis ac naſcituris quæſtionibus finem irrevocabili ſuo decreto imponere, & ſibi ſupervacaneam incredibilémque crearet moleſtiam, & exiguum ingeniis immoderatè curio-

curioſis beneficium deferret. Ecquando enim tantum opus illa abſolveret? & quorſum tantos labores devorare, & in immenſum proferre decreta fidei? Ambitionis, penè dixerim, aut ſaltem intemperantiæ hoc eſſet, non neceſſitatis. Neque ſic deterreret ab excitandis novis quæſtionibus gentem litibus & diſputationibus unicè addictam, iiſque æternùm paſcendam. Ad hæc non pauca ſunt tam levis momenti in diſputationem adducta, aliáque etiam tam difficilè referri poſſunt aut ad apertam Scripturarum mentem, aut ad Traditionis antiquitatem, ut præſtet veriſimilia relinquere, quàm vera aut falſa decernere. Sed illud in primis attendendum eſt, utì dicebamus, nimirum an diſputantium ſententiæ aut palam, & aperto bello, aut tacitè ac per latus, in perniciem vergant alicujus jam ſtatuti dogmatis, & expreſſæ in utroque Teſtamento veritatis, quæ ad hominum ſalutem, fidémque ſaluberrimam ſpectet. Ubi verò, & quando, & quæ cenſuram aut ſuffragium ſinè mora poſtulent; quæve permittere, aut negligere, aut damnare, Chriſtianæ Reipublicæ interſit, ad Eccleſiæ Maximorúmque Pontificum prudentiam pertinet dignoſcere.

Quartò, in iis etiam, quæ per Eccleſiam ſtatui certiſſimè poſſunt, non ſolùm, ut diximus, multa occurrunt nondum ab ipſa in cenſum dogmatum ad fidem attinentium relata, ſed aliqua etiam occurrere poſſunt, quæ quanquam in Conciliis & Patrum ſcriptis inveniantur, poſtremo tamen calculo probata aut rejecta fuiſſe continuò cenſenda non ſunt. Id autem evenit, cùm Concilia & Patres non ex profeſſo hujuſmodi ſententias pertractant, ſed obiter aliúdque deliberando commemorant. Ex aliis Traditionis monumentis conſtare aliquando poterit, certiſſima eſſe, quæ in aliqua Synodo, & apud nonnullos Patres in tranſitu referuntur. Eáque tunc, etſi præter propoſitum dicta, vim dogmatis aut obtinebunt, aut retinebunt. Verùm quæ non aliunde firma ac rata apparent, non propterea, quòd ab ore aliud agentis exciderint, è veſtigio naturam dogmatis induunt. Immo graviſſimis ex adverſo militantibus rationibus diverſæ opinioni adhærere flagitium non erit. Nemo inter Catholicos negat, quin ad decernendas fidei quæſtiones, & efformanda fidei dogmata, ipſis quoque Conciliis neceſſe ſit, Scripturas, & Traditionem diligenter conſulere. At quî liqueat, hujus conditionis rationem fuiſſe habitam, quando Patres obiter, atque aliò intenti, hujuſmodi ſententias ingerunt?

In

In VII. Synodo Oecumenica Act. V. Taraſius Conſtantinopolitanus, unus è Concilii Præſidibus, Joannis Theſſalonicenſis verba referens, affirmat, Angelos corpora quædam levia, aërea, vel ignea, ſibi adjuncta habere. Ab hujuſmodi opinione diſſentire nequaquam videtur Synodus univerſa; & in eam, ne quid diſſimulem, non pauci ex antiquis Patribus inclinârunt. Porrò Innocentius III. in Concilio Lateranenſi Angelos creaturas ſpirituales appellat, eáſque à corporeis manifeſtè diſtinguit. Viſum eſt & aliis Patribus, Angelos planè eſſe materiæ expertes. At expedita eſt hujuſmodi Antilogiæ conciliandæ ratio Neutra ſententia à neutro Concilio definita reverà fuit, aut Catholicæ fidei dogmatis adſcripta, obiter enim utrobique propoſita eſt, cùm de alia doctrina deliberatio foret. Nimirum Nicæna Synodus id ſolùm tunc intendebat, ut Angelos, ſanctorúmque animas pingi poſſe ſtatueret. Animus autem non erat etiam ſtatuere, ntrùm è corpore Angeli reverà conſtent. Itidem in Concilio Lateranenſi id unũ agebatur, ut Manichæorum Hæreſis renata proſcriberetur, cujus erat illud impium placitum, non omnia Deo auctore fuiſſe creata. Contrarium dogma rectè ſanciunt PP. Profeſſionem Fidei probantes ab Innocentio III, P. M. conſcriptam. Utrùm verò Angeli omnino materiæ ſint expertes, nulla tum quæſtio vertebatur, nullúmque ſtatuendæ hujus rei propoſitum Patribus fuit. Utraque igitur ſententia, non dogmatis Chriſtiani, ſed opinionis nomine in utraque Synodo locum habuit.

Attamen unum hîc prætereundum non videtur. Si qua in Conciliis Oecumenicis vel obiter proferuntur, neque ibidem repudiantur, quanquam non inde ſtatim ſequatur, iis documentis dogmatum firmitatem accedere, ſemper tamen ſequitur, aut illa eſſe præter fidem, aut non eſſe contra fidem. Scilicet aut ad eam doctrinæ partẽ referenda ſunt, quam Eccleſia per ſententiam certiſſimam ſancire non poteſt, cujuſmodi ſunt nonnulla jam commemorata, & plura inferiùs indicanda. Aut ſi ad illam doctrinæ partem ſpectant, quæ judicio nunquam fallaci conſtitui poſſunt ab Eccleſia, tunc Synodi ſilentium argumento eſt, hujuſmodi opiniones fidei dogmatis non repugnare. Eas ex profeſſo & apertè non approbando, Eccleſia decretis fidei nondum intulit. Et rurſus non refellendo, tacitè docuit, eas ab ipſa doctrina fidei minimè abhorrere. Diſſimulare enim Conciliis licet, quæ ad fidem non pertinent, at fidei repugnantia diſſimulare non licet. Neque Eccleſiam

am fugere poteſt, quid doctrinæ ab Apoſtolis & Patribus traditæ adverſetur; & ab Eccleſiæ munere abhorret, ſinere hanc doctrinam, ſe audiente, & diſſimulante, violari. *Error enim*, [ut habetur 83. Diſt. c. Error) *cui non reſiſtitur, approbatur*; niſi fortè ejuſmodi diſſimulatio inde oriatur, quòd ad maturius examen controverſia ipſa reſervetur.

Quâ propter propoſita de Angelis controverſia aut in ſenſum (ut nonnullis placet) illius doctrinæ venit: quæ neque ex Scripturis, neque ex Traditione componi poteſt; & proinde ſentire fas eſt de illa quod veri videtur ſimilius. Aut, ſi ad Eccleſiæ judicium ſpectat, neutrius Concilii judicio ſublata eſt. Silentio tamen ſuo effecêre Concilia illa, ut neutra opinio dicenda ſit fidei doctrinæ contraria. At quomodo, inquiat aliquis, verum ſimul ſit, Angelos è materia corporea conſtare, & non conſtare? Reſpondendum, certè videri, eos omnino ſpirituales eſſe. Cùm verò tenuiſſima corpora interdum induant, ut Angelicum munus eorum gratiâ exerceant, quibus ſe conſpiciendos præbent: ideo corporei per accidens, ut dicitur, appellari pingíque poſſunt. Incertum autem eſt, an iſtam æthereain veſtem illicò deponant, an retineant, qua in quæſtione prudentis eſt continere judicium. Denique præſtat horum Conciliorum verbis non admodum inniti. In Synodo Nicæna Taraſius è Joannis Theſſalonicenſis Oratione id unum arripuit (cui & reliqui Patres adſentiuntur), nempè circumſcriptos eſſe Angelos ad differentiam Dei incircumſcripti, ipſóſque humanâ ſpecie fuiſſe conſpectos, atque ideo fas eſſe illos pingere. Tacuit de eorum corporibus. Immo ipſos Act. IV. incorporeos appellaverat. In Lateranenſi Concilio, cùm ab Innocentio III. Angeli dicuntur ſpirituales, ea vox omnem corporis ſocietatem nequaquam excludit. Angelos incorporeos, & ſpirituales alii ex Patribus dixerunt, quòd è craſſa materia non conſtarent. Nihilominus iidem Patres conſtare ipſos cenſebant è ſubtiliſſima atque ætherea materia. Sed de his jam ſatis.

Nunc de rationibus, quibus dogmata probantur, agamus; ad earum quippe leges expendenda etiam venit propoſita de Angelis controverſia. Certè non alia de cauſa ſtatuiſſe videntur Nicæni Concilii Patres licere Angelos picturâ exprimere, quàm quòd Joannis Theſſalonicenſis rationes graviſſimæ apparuerant. Et quidem ſi in dogmatis ſanciendis nulli errori obnoxia eſt Eccleſia Catholica, neceſſe eſt eâ quoque prærogativam retineat in dogmatum rationibus inveniendis atq; edicendis. Nõ è dogmatũ fun-

damenta ſunt rationes? Iſtis nutantibus, quomodo impoſita moles non dehiſcat, atque labatur? Igitur argumenta rationéſque adhibitæ à Conciliis & Patribus ad dogmata comprobanda, erroréſve rejiciendos, pari veneratione & fide, perinde ac ipſa dogmata, ſuſcipiendæ erunt.

Verùm hìc majori, quàm in reliquis, cautelâ eſt opus. Etenim in Conciliorum Patrúmq; lectione planè ſit hoſpes oportet, aut Logicæ, Criticæque oppido imperitus, qui eodem pede omnes ab iis adhibitas rationes dimetiatur, & dimetiendas arbitretur. Quare primò dicimus, nullum hucuſque ab Eccleſia conſtitutum fuiſſe dogma, quod ratione quapiam invictâ non nitatur; & propterea aliquam ſemper eſſe rationem dogmatum, quæ & ipſa ad fidem non ſecùs ac dogma pertineat. Secundò addimus, non ſolùm apud ſanctos Patres, & in Scholis Theologorum, ſed etiam in Conciliorum Actis quaſdam occurrere poſſe dogmatum rationes, quibus obſequium quidem ferè ſemper à modeſtis hominibus debeatur, ſed nunquam divina fides. Primam concluſionem negabunt fortaſſe Heterodoxi. At quæ jus Eccleſiæ probant, illiúſque infallibilitatem in decidendis dogmatis, ea quoque manifeſtiſſimè produnt, nunquam ſinè aliqua ratione ad fidem ſpectante, & è ſacrarum Literarum, Traditioníſque documentis minimè fallacibus deducta, Eccleſiam devenire ad ſententiam ferendam. Iſtæ autem appellari poſſunt fundamentales, & potiſſimæ dogmatum rationes.

Altera concluſio, nempe ejuſdem non eſſe ponderis omnes rationes ad probanda dogmata adhibitas, primâ facie fortaſſe non arrideat imperitis jurium Eccleſiaſticorum æſtimatoribus. Inter peritos autem veréque doctos Theologos, non ſolùm neminem contradictorem habeat, ſed omnes habeat laudatores. Qui ſecùs arbitretur, præter experientiam ſibi adverſantem, rationes parum ſibi faventes inveniet. Enimverò quid evidentiùs eſt, quàm veritates cujuſcumq; generis ſint, ſive Theologicæ, ſive Philoſophicæ, ſive Morales, probari poſſe per argumenta, ut ajunt, demonſtrativa; paritérque per argumenta tantummodo probabilia, & veriſimilia? Proinde quanquam plurima certa ſunt, vel ex revelatione divina, vel ex lumine rationis, tamen iſta non refugiunt ſocietatem rationum probabilium & veriſimilium. Harum quidem ope non indiget veritas, ut ſibi conſtet, ſed earum ferè ſemper ſubſidium amat, ut faciliùs perſuadeatur: Deum eſſe, mundum ab ipſo conditum, animas rationales non interire cum corpo-

re,

Digitized by Google

re, atque ultra corporis mortem eſſe animarum pœnas ac præmia: per lumen rationis certiſſimè cognoſcimus, & revelatione divinâ præeunte, firmiſſimè etiã credimus Nihil verò prohibet, quin adeò perſpicuas veritates probabilib. quoq; rationibus illuſtremus, ornemus, ac perſuadeamus.

Id autem cùm interdum in Conciliis, tum ſæpè apud SS. Patres locum habuit, & quotidie à præclariſſimis Theologis atque Scriptoribus uſurpatur, in pertractandis reliquis Chriſtianæ doctrinæ capitibus. At argumenta veriſimilia, rationéſque duntaxat probabiles, divinam à populis fidem exigere non poſſunt, quippe non evidenti veritate nixâ. Imò cùm quidquid veriſimile tantum eſt, ſi intimè, & ſeveriori trutinâ expendatur, falſum quoque deprehendi poſſit: quid mirum, ſi quandoque rationes, parum, immo nihil probantes, occurrant apud rerum divinarum interpretes & apud præſtantiſſima Eccleſiæ lumina? Neq; idcirco de firmitate dogmatum quidquam deperit; neque minori quàm anteà mentis obſequio credenda ſunt, ac ſuſcipienda Eccleſiæ decreta. Satis eſt eorum ſtabilitati fundamentalium rationum virtus. Quibus cùm nullum, ut diximus, dogma careat, neceſſe eſt etiam populos Chriſtianos ab iis victos adſtipulari dogmati propoſito.

At quî diſtinguantur à fundamentalibus iſtæ ſubſidiariæ rationes? Fateor, non id perindè facilè omnibus erit, ac eſt piis ſimul & judicioſis hominibus. Et tamen plurimi intereſt, unumquemque Theologum in iis diſcernendis ab errando cavere. Etenim cogitandum non eſt, eum tantummodo nocere Eccleſiæ, qui audeat in dubium vocare, aut rejicere fundamentales rationes. Error etiam eſt, excuſatione quidem dignus, ſed tamen error, atque incommoda non pauca gignens, argumenta ſolùm probabilia majori quàm par eſt virtute donare, eáque non ſecùs ac Fidei firmiſſima capita, ſinè dubitatione credenda proponere. Id ab Eccleſiæ ipſius conſilio abhorret, quæ ideo veriſimilibus interdum utitur, ut vera faciliùs perſuadeat, ac roboret, non ut dubia ex his incertis certiſſima ſtatuat. Sed adhuc interrogamur, quî à ſubſidiariis & probabilibus rationibus rationes diſtinguantur fundamentales. Ergo non aliâ hîc utendum regulâ cenſeo, quàm quæ diſcernere nos docet ab incertis certiſſima dogmata. Illæ igitur rationes ad fidẽ ſpectabunt, & fundamentales appellabuntur, quas aut SS. Patres ubique, & ſemper, & unanimiter pro certis atque evidentibus accepêre, aut Generalia Concilia, Romanive Pontifices in ſuis fidei formulis, d[...]tis, & judiciis ab uni-

verſa Eccleſia probatis concordi ſtudio probârunt, & tanquam fundamenta dogmatum poſuêre. Quare ſi quis ex ſanctiſſimis Patribus, ſi quis etiam ex Epiſcopis in Actis Conciliorum Generalium ſuopte ingenio rationes adferat, atque ad eas non accedat Eccleſiæ totius, hoc eſt totius Oecumenicæ Synodi, aut Romani Pontificis, aliorúmve Patrum conſenſus: tum cohibere judicium noſtrum licebit, neque iis adjungere ſtatim fidem noſtram cogemur; incertum eſt enim, an per unum Epiſcopum, aut Scriptorem, Deus loquatur.

Deinde animadvertendum eſt, fundamentales dogmatum rationes eſſe debere verba ipſa Scripturarum ſacrarum, aut ipſius Traditionis indubia monumenta. Humanæ, & Philoſophicæ rationes Eccleſiaſticis ſententiis ponderis quidem aliquid adferre poſſunt, at minimè primum ac præcipuum fundamentum, niſi & iſtæ divinis Libris & Traditione innitantur. Immo ipſa Scripturarum loca, quibus tum Concilia, tum Patres, cæterique Theologi utuntur in dogmatũ comprobationem, pro fundamentalibus ſemper certiſſimíſque rationibus minimè omnia ſunt accipienda. Allegorica quædam occurrere poſſunt, quædam etiam ex communi eruditorum voto obſcuriſſima. Prudenter adjunguntur & iſta clariſſimis aliis divinorũ Librorum, & Traditionis legitimæ teſtimoniis, non futura quidem dogmatibus conſtituendis fundamento, ſed conſtitutis futura ornamento, atque præſidio. Quod ad Traditionem attinet, modò ritè ex antiquitate cõcordi ſit deducta, & ſecundùm regulas à Theologis præſcriptas adhibita, ſolidiſſimum ſemper Eccleſiaſticis decretis fundamentum præbet. Ipſamet ſacrarum Literarũ loca, Traditionis conſenſione indigent, ut iis tutò incumbat Eccleſiæ judicium. Catholicorum nempe Reſpublica probè novit, eâ ſe teneri lege, ut nulla conſtitui debeant, aut poſſint dogmata, quorum veritas è Traditione, & è divinis Scripturarum oraculis, præſtantibus veras fundamentales rationes, non effluat. Et Cùm ſinè iſtis nullum reapſe dogma Eccleſia unquam ſanciverit, & ſanciat, etiamſi regiâ, ut ita dicam, auctoritate interdum locuta fuerit, aut loquatur, hoc eſt, etiamſi dogmata, rationibus minimè propoſitis, credenda proponat: compertum tamen eſt, ſemper ipſius decretis Traditionem & Scripturas ſacras cauſam & rationem dediſſe; iiſque poſitis, non eſt cur alias exigamus rationes.

Celebre eſt in hanc rem Stephani Romani Pontificis exemplum. Fervebat A[illegible]anam inter ceteráſq; orbis Eccleſias

ſias controverſia de Hæreticorum Baptiſmo. Cyprianus vir alioqui ſanctiſſimus pro iterando Sacramento pugnabat, ejúſque novæ opinioni, ut cum Vincentio Lirinenſi Cap. 19. loquar: *Tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veriſimilitudo, tanta divinæ legis oracula, ſed planè novo ac malo more intellecta, ut illa conſpiratio nullo modo deſtrui poſſe videretur.* Attamen Traditionem à ſe ſtantem contrà Stephanus proferebat; atque his armis fretus, totâ demum conſentiente & plaudente Eccleſiâ, cauſam obtinuit. Longo poſt intervallo fortiſſimus Catholicorum pugil Auguſtinus Stephani ſententiam eâ rationum argumentorúmque vi tutatus eſt contra Donatiſtas, ut nunc vel rudibus appareat, longè Cyprianum à veritate tunc abiiſſe. De rationibus igitur humano ingenio excogitatis, id tandem ſtatuendum eſſe videtur; eas videlicet, quantumlibet acutiſſimas, quantumlibet ingenioſiſſimas, nihil valere, & aliquo ſemper vitio laborare, quoties militant adversùs dogmata, Traditione, diviníſque Scripturis ab Eccleſia Dei firmata. Cùm verò pro iſtis faciunt, non uno eodem pede omnes eſſe dimetiendas. Certiſſimæ quædam, quædam probabiles tantùm, veriſiméſque erunt, quædam etiam nullius ponderis deprehendentur. Quocirca & judicio in iis ſeligendis locus erit, & in quibuſdam rejiciendis libertas.

CAPUT XIV.

Jus Eccleſiæ in dogmatis ſtabiliendis à Phereponi objectionibus liberatum. Falſum eſt ipſum à S. Auguſtino negari. Multitudo in Conciliis Catholicorum quæ commoda pariat. Factionis nomen iniquè adſcriptum legitimis Conciliis Catholicæ Eccleſiæ. Non crimen, ſed laus ac neceſſitas ibi eſt judicare ex anticipatis opinionibus, hoc eſt, ſecundùm Traditionem. Vindicatum nonnullorum dicteriis Concilium Tridentinum.

QUæ ſint Eccleſiæ Catholicæ, ingeniorúmque jura in doctrinæ ſalutaris negotio, ſenſim cognovimus. At ii, quibus jugum excutere placuit, & unius Scripturæ ſacræ vocem, quemadmodum ſibi fingunt, ſed utì res docet unius ingenii ſui vocem auſcultare conſtitutum eſt, ii, inquam, nullum

nullum non movent lapidem, ut cœlo auctore ſtabilitam auctoritatem Eccleſiæ dejiciant, quâ dejectâ, procul dubio ingeniorum creſcit auctoritas. Phereponus igitur & ipſe in hoc idem argumentum ſæpè & lubentiſſimè invaſit. Nunc opus eſt expendere, quid ille tandem huc afferat novi. In animadverſione ad Auguſtini Lib. 2. Cap. 3. de Bab. adversùs Donatiſtas, hæc habentur illius verba: *ad inveſtigationem veri, in re præſertim obſcura, undecumque ea obſcuritas oriatur, multitudinem nihil facere, ſed tantùm peritiam eorum qui congregantur, & candorem.* Tum dicere pergit, omnes omnino, exempli cauſâ, Africæ Epiſcopos, utpote imperitiſſimos Hebraici Græcique ſermonis, fuiſſe ineptiores ad judicium ferendum de ſenſu loci veteris aut novi Teſtamenti, quàm vir unus utriùſque Linguæ peritus, cujuſmodi S. Hieronymus fuit. Proinde Concilia, ſive plenaria ſint, ut Auguſtinus ait, ſive minus plena ad ſpem inveniendæ veritatis, perinde nobis eſſe futura. Nec imperitæ multitudini pro imperio aliquid deſinienti, & anathemata minitanti, nulláſque rationes, aut eas pravas, ſuæ definitionis adferri, magìs credendum, quàm pauculis, aut uni. *Immo verò*, inquid, *uti viro docto, argumenta firma proferenti, continuò adſentiar, cùm ea intellexero, nec adverſarios ejus unquam numerabo. Numerus enim nihil ad veritatem facit, & ſæpè etiam quò plures congregantur ad eam definiendam, eò plures imperiti, eò plures factioſi colliguntur; qui neque ſciunt, quid ſit verum, neque quærunt, ſed tantùm quid ſibi expediat, aut expedire videatur.* Et quando quidem ex his, immo & ex Auguſtini auctoritate conficere ſibi videtur, Concilia errori obnoxia eſſe, ſubinde infert, eorum decretis non eſſe ſinè prævio examine credendum. Addit etiam, Conventus Eccleſiaſticos ad Civilium normam eſſe formatos. Sed jure in iſtis pauciora debere cedere pluribus ſuffragiis; in iis verò nequaquam debere. *Ubi enim cœleſtis Veritas agitur, quam nemo niſi ſtudio & attentione adhibitis novit, quæ nulli mutationi obnoxia eſt, cujus nemo eſt dominus & cujus definiendæ majorem à Deo poteſtatem plures non acceperunt, quàm pauciores: non ſunt numeranda ſuffragia, ſed ſingulis expendendæ ſuffragiorum rationes.* Ita ille.

Sententia itaque Pherepòni duo potiſſimum complectitur, nimirum Eccleſiam & Concilia nihil ampliùs habere juris in doctrina Chriſti ſtabilienda ac proponenda quàm privatum quemlibet hominem, cui rationes invictas adferenti credendum ſit; abrogandam verò fidem, ſi ſine rationi-

tionibus, aut cum pravis rationibus loquatur. Deinde revera non eſſe Conciliis hucúſque peractis obtemperandum, quippe è gente ſæpe imperita, factioſa ſemper conflatis, & in ſtatuenda Chriſti doctrina affectuum potiùs concilia quàm veritatem ſpectantibus. Qua in re ipſum cum aliis Hæreticis & Socinianis potiſſimum, conſentire video qui Conciliis nullis, nulli Eccleſiæ viſibili in rebus fidei auctoritatem eſſe docent; atq; adeo tacitè Dordracenam ille Synodum carpit, ubi Majores ſuos Calvinianorum factione oppreſſos Arminiani quotidie conqueruntur. Sed Phereponus contra Calviniana conciliabula his argumentis optimè utitur; contra Eccleſiæ Catholicæ Concilia nihilum proficit, & ſplendidè fallitur.

Antequam tamen id oſtendo, conſiderare juvat an Auguſtinum rectè in ſententiam ſuam Phereponus induxerit. Scribit S. Doctor lib. 2. cap. 3. de Bapt. contra Donatiſtas, ſingulorum Epiſcoporum Literas à peritioribus licere reprehendi, ſi quid fortè in iis à veritate deviatum fuerit. Tum addit: *Ipſa Concilia, quæ per ſingulas Regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere, ipſáque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari.* Si quiſquam contendat, hîc Auguſtinum ſignificare velle, generalia Concilia, quanquam legitimè habita, in dogmatibus exponendis ab erroris periculo exempta non fuiſſe: eum ad Phereponi ſcholam continuò traham, ut Criticam Artem edoctus ſubinde hæc Auguſtini verba ſagaciùs expendat. Nullus autem dubito, quin ipſi aliqua hîc interpolationis ſuſpicio ſtatim ſuboriatur. Ità ſcribit Auguſtinus: *Quis neſciat, ipſa plenaria* (Concilia) *ſæpe priora poſterioribus emendari?* Hic interrogandi modus tantæ confidentiæ plenus, rem ſignificat vulgo notam, immo jam experientiâ claram atque teſtatam. Si quid innuere voluiſſet Auguſtinus, quod nunquam factum fuiſſet, & fieri tantummodo in poſterum poſſet, nequaquam dixiſſet: *Quis neſciat ipſa Concilia emendari?* multóque minus *quis neſciat ſæpe emendari?* At ſi rem, ut certè verba ſonant, jam uſu tritam ſignificat; quandonam, quæſo, plenaria Concilia, eáque legitima, in fidei Dogmatibus à poſterioribus emendata fuêre? Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. duo nempe tantùm plenaria, ſeu generalia Concilia ad Auguſtini uſque ævum habita fuerant. Sardicenſe quoque iis addere per nos liceat, (quanquam Auguſtino non ſatis notum) & Arelatenſe primum ipſi notiſſimum.

 atque

atque celebratiſſimum. Verùm ſumma inter háſce Synodos in rebus fidei atque in dogmatibus concordia, nulla emendatio, nulla priorum correctio. Proferat, ſi quiſquam potis eſt, háſce dogmatum antilogias, háſce emendationes. Ne ipſe quidem Auguſtinus iis Conciliis propior quàm nos proferre potuiſſet. Reſtat igitur, ut aliqua lacinia iis Auguſtini verbis aſſuta fuerit, locúmque iſtum depravatum habeamus, aut aliter illius mentem eſſe explicandam fateamur. Et ſanè quantùm conjecturâ aſſequi licet, recenſentur hîc ab Auguſtino cum legitimis ſpuria quoque Concilia, qualia fuêre nonnulla ab Arianis habita, & quæ à poſterioribus emendata fuiſſe nemo negat. Deinde potiori jure dico (& diſſimulatâ quacumcumque interpolationis ſuſpicione, ità dicendum contendo) Auguſtinum hìc agere, non de fidei doctrina, ſed de judiciis ad perſonas & diſſidia privata ſpectantibus, & de compluribus diſciplinæ capitibus, aliiſque factis, in quibus, ut infrà patebit, Catholici conſentiunt, emendari ſæpenumerò poſſe ipſaſmet univerſales atque legitimas Synodos, earúmque decreta mutari. Iſti conjecturæ quàm maximum robur accedit ex ſequentibus Auguſtini verbis. Ait enim, tum ipſa *Plenaria emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat*; quod ſanè de factis non de dogmatis verificari poteſt. Huc autem pertinent varia Auguſtini ejuſdem loca, quibus prodit, quanta œcumenicis Conciliis & totius Orthodoxæ Eccleſiæ conſenſioni veneratio debeatur. Ab iſtis quicumque diſſentiunt in doctrina fidei, ipſius judicio, imò omnium, qui ante, & poſt ipſum in Chriſti Schola excelluêre, Hæretici ſunt, tales nequaquam futuri, niſi ab omni erroris periculo in ſanciendis dogmatibus abeſſe Eccleſiam unà cum aliis Patribus conſentiens arbitratus & ipſe fuiſſet. Conſulantur lib. 1. cap. 18. de Bapt. & lib. 2. cap. 1. 4. & 9. & lib. 4 cap. 6. itémque lib. 3. cap. 14 contra Maximinum, ut alia omittam. Quibus conſideratis, facilè quiſque videat, prioribus Auguſtini verbis malè Pherepomum inſtitiſſe, aut iis ſaltem inſiſtendum non eſſe, ut legitima Eccleſiæ Catholicæ Concilia in rebus fidei errori oſtendantur obnoxia Si quid aliud inde probare Pherepono eſt animus, quod eſt ad hanc particulam, concordiam non difficilè inibimus.

Cæterùm ad confutationem Pheremonianæ ſententiæ adeò Conciliorum Generalium auctoritatem deprimentis, multa non ſunt opus. Eadem ratio, eadem potentiſſima

ma cauſa, quæ Scripturis divinis habendam fidem perſuadet, eadem Eccleſiæ credendum monet. Deo credimus, quia ipſe ex natura ſua falli ac fallere non poteſt: Eccleſiæ, quia illam Deus non errandi prærogativa donavit. Fucum verò nobis facere nititur Phereponus, cùm ait, *ad inveſtigationem veri multitudinem nihil facere, ſed tantùm peritiam*; & uni perito potiùs, quàm imperitis innumeris credendum, quippe numerus nihil ad veritatem facit, ſed quidem rationum pondus. Optimam ille ſententiam alieno accommodat loco. Utique magnum pondus rebus in Concilio definitis præbet omnium, aut multorum Patrum conſenſus, ac præcipuè Patriarcharum, Metropolitarum, atque Epiſcoporum. At probata inter Catholicos Concilia non eo tantùm nomine fidem merentur, & veritatem aſſecuta creduntur, quòd multorum ſuffragiis res illic paratæ ſint, ſed quòd Epiſcopi Literas divinas, & germanam Traditionem eâ, quâ par eſt, diligentiâ, fide, ac ſinceritate conſuluerint, examinârint, & ſecundùm eas ſententiam ediderint. Sexcentis Epiſcopis Ariminenſe Concilium, trecentis Mediolanenſe, Seleucienſe, aliáque Concilia ingenti Præſulum copiâ conſtitêre, quæ tamen inter Conciliabula fide atque obſequio indigna referuntur. Præterea non minor Auctoritas Conſtantinopolitano primo & ſecundo, in iis, quæ ad fidem ſpectant, aut Epheſino primo, aut Tridentino, quàm Nicæno primo & ſecundo, & Chalcedonenſi, quanquam illa præ iſtis conflata fuerint è longè minore Epiſcoporum numero. Immo, ne irrita ſit ſpes, nobis à Chriſto facta, ſe in medio duorum aut trium, qui in ſuo nomine congregati fuerint, ſemper eſſe futurum, eadem eſt vis atque auctoritas, quod ad dogmata ſpectat, Provincialibus Conciliis, aut exiguo Epiſcoporum cœtui, ac generalibus Conciliis, dummodo ad ea palam accedat reliquarum Eccleſiarum ſuffragium. Quæ omnia manifeſtè indicant, Eccleſiam Catholicam non tantùm numerare vota, ſed etiam rationes expendere Epiſcoporum. Quòd ſi pluris æſtimantur ii Conventus Eccleſiaſtici, qui pluribus, quàm qui paucioribus Epiſcopis conſtant, & demum Generalia Concilia Provincialibus præponuntur; id ad Traditionem commodiùs tutiùſque colligendam, ad rationes concordi ac majore ſtudio penſandas, ad unionem animorum & doctrinæ faciliùs oſtendendam ac retinendam conducit, non autem ut ſola multitudo ſit primum aut maximum veritatis aſſequendæ argumentum.

At Phereponus verbis noſtris adhibere fidem tam facilè, ut ſuſpicor, nolit, quippe qui ait, ſæpè in Eccleſiaſticis tum Catholicorum, tum aliorum Chriſtianorum Conventibus, imperitiam, & pravos affectus omnia moderari. Ab indoctis autem & factioſis hominibus quid veri ſperandum eſt, in rebus præſertim obſcuris, & ſuprà vulgarem ſcientiam poſitis? Et de factionibus quidem vetus eſt querela in Hæreticorum caſtris. Sed omnium maximè hiſce proximis ſæculis illam Proteſtantes ad ravim uſque repetierunt, quò legitimam Concilii Tridentini auctoritatem declinarent. Illic & ipſi non tantùm rationes ſuæ defectionis exponere, & diſputationes inire, quod liberum iis erat, ſed etiam judicem agere volebant, & jura partiri cum Eccleſiæ veræ Paſtoribus, iniquum reputantes, ſe à Catholicis tantùm, hoc eſt ab adverſariorum, ut ipſi ajebant, factione judicari. Verùm hanc futilem querelam, & minimè æquam petitionem jamdudum exploſêre Catholici, tanquam hominum tricas potiùs quàm veritatem quærentium, & judices legitimos nefario conſilio averſantium. Ad Eccleſiam veram ſpectat jus dirimendi controverſias in Religione excitatas. Hanc niſi quis audiat, ex Chriſti præcepto futurus eſt nobis velut Ethnicus & Publicanus. At quemadmodum in veteri Teſtamento Pontifices & Sacerdotes, & non ſinguli de populo, ſynedria peragebant, litéſque in lege Dei explicanda exortas componebant: ità & in novo Teſtamento *Epiſcopos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, primúmque inter eos dignitatis & auctoritatis gradum Romano Antiſtiti contulit. Iſtos Paſtorum etiam nomine donârunt Apoſtoli, eorùmque munus, ut habetur Hierem. III. ſitum eſt in ovibus ſcientiâ & doctrinâ paſcendis. Quid eſt igitur, quod contra totius antiquitatis uſum, contra Apoſtolorum verba, mentémque Chriſti, nunc oves judicium legitimorum Paſtorum aut detrectent, aut uſurpare ſibi velint, & ex æquo cum iſtis facere? Et profectò ſi honeſta Proteſtantium, & Phereponi petitio eſt: nulla unquam Hæreſis damnabitur, nullus Hæreticus ad meliorem frugem ſeſe recipiet. Nam quid experientiâ manifeſtius eſt, quàm homines perinde in erroribus ac in veritate tuenda pertinaciſſimos eſſe, & à veritate devios nullis ſæpè rationibus flecti poſſe? Certè conſtat, in tot publicis privatíſve diſputationibus inter Catholicos & Proteſtantes acri animorum contentione hucuſque habitis, aut utramque partem Pæana ceciniſſe, aut neutram alteri herbam porrexiſſe. Quare videant perduelles Eccle-

ſiæ

ſiæ filii, quo jure litem intendant legitimæ Catholicorum Præſulum auctoritati.

Et hinc etiam perſpicimus, odioſum factionis nomen iniquiſſimè Catholicis Conciliis ac Judicibus impoſitum in Lutherii, Calvini, cæterorúmque Novatorum Schola. Etenim, poſtquam ſtatueris, utì ſtatuendum eſt, Eccleſiam veram, ejúſque Epiſcopos, & potiſſimùm Petri ſucceſſorem, Judices in Religionis controverſiis eſſe à Chriſto inſtitutos; ſimúlque Eccleſiam univerſam, & Synodos ab Eccleſia probatas falli in judicando non poſſe: conſequens etiam eſt, non factioſos homines, ſed legitimos Judices eſſe appellandos Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos. Cùm verò Dordracenum, & reliqua id genus Conciliabula, híſce careant fundamentis (neque enim immunitatem ab errore ſecundùm ſuæ ſectæ principia, ullæ Proteſtantium Eccleſiæ arrogare ſibi poſſunt, nulláque Proteſtantium pars majorem à Chriſto tributam ſibi quàm alteri auctoritatem oſtendere poteſt,) factionis nomen quibúſque illorum Sectis & Pſeudoſynodis juſtiſſimè convenit. Sed pravæ artes, inquiat aliquis Phereponus, & turbidi affectus, atque anteceptæ opiniones in cœtibus tam Catholicorum quàm Proteſtantium dominantur, & contemptâ ratione, ac veritate conculcatâ, jus illic pro arbitrio dicunt. Ultro concedimus & nos, atque affirmamus, poſſe Catholicos Epiſcopos in Conciliis ſuum oblivisci munus, & affectibus in tranſverſum agi. Fatemur etiam, Chriſti opem, & Spiritûs Sancti gratiam, quam Catholici Conciliis tribuunt, ut doctrinam Chriſti in ſuis definitionibus intactam ſervent, eſſe (ut ſcholarum verbo utar) hypotheticam, hoc eſt è quibuſdam conditionibus ac legibus pendere. Hæ autem leges & conditiones in eo ſitæ ſunt, ut ſummi Pontifices & Epiſcopi nullâ vi, nullo metu, nullis illecebris, nullâ factione ſtudióve partium corrupti, Traditionem Eccleſiarum, quas repræſentant, fortiter tueantur, neque ab ea volentes prudentéſque recedant, eámque illâ ſinceritate, quâ par eſt, & fide & diligentiâ è divinis Libris, & è probatis Traditionis Eccleſiaſticæ monumentis hauriant. Hujuſmodi conditionibus, ſuòque muneri poſſe deeſſe Epiſcopos & Concilia nemo negat, & reipſa interdum defuiſſe ex Ariminenſi, Mediolanenſi, & Epheſina II. aliiſque Pſeudoſynodis conſtat.

Hæc, inquam, apud nos certa ſunt. Sed æquè certum eſt, immobilitatem Eccleſiæ in Chriſti doctrina, non hypothe-

potheticam,ſed penitùs abſolutam eſſe, id eſt è nullis conditionibus legibúſve pendere ;atque adeò ipſamEccleſiam nunquam opiniones adoptaturam veræ fidei ac traditioni contrarias,& nullis diaboli artibus, nullâ ſuorum Præſulum incuriâ ac pravitate ipſam à germanis Chriſti dogmatibus credendis & confitendis poſſe ullo unquam tempore deduci. Quapropter quandocumque ritè peracta ſunt Concilia Oecumenica : tum nulla dubitatio futura eſt, quin ibi Chriſtus, & veritas adfuerint, & Spiritus S. ità humanam infirmitatem & cœcos, ſi quæ erant, affectus Epiſcoporum ibi compreſſerit,ut unius veræ doctrinæ habita fuerit ratio. Non ſiviſſet divinum Eccleſiæ caput, ut ſua ſponſa exitialibus erroribus conſentiret,quam puram, immobilem, & veritatis columnam ad conſummationem uſque ſæculi eſſe voluit.

Ineptè inſuper crimini vertatur Conciliis, quod ex anticipatis opinionibus omnia aut pleraque illic peragantur. Nihil enim apud Chriſtianos magìs inculcatum eſt, quàm eſſe antiquæ Traditioni conſtanter inhærendum ; & qui ſecùs fecerit, Apoſtolorum præcepta violare. Neque aliâ ratione Concilia initio legitima atque Orthodoxa in turpia Conciliabula evaſere, quàm quòd aliter,quàm ex anticipata Majorum ſententia fidem declarârint, atque ſuſtinuerint,contra Hæreticos nova ferentes. Quòd ſi Concilia quædam à Catholicis recepta, ſuſpicione improbarum artium aſperguntur à nonnullis: quis ſanus unius aut alterius affirmationem præponat innumeris aliis contrà affirmantibus,& æquè rerum conſciis? Talia prætereà aut à tacitis aut ab apertis hoſtibus Catholicæ Eccleſiæ conficta & ſomniata, ſparguntur in vulgus, cœco conſilio,audaciâ ingenti. Deinde conſiderandum eſt, nullum ferè conſtitutum fuiſſe Concilium, licèt Orthodoxum, in quo, ut in reliquis hominum conventibus, aliqua opinionum & affectuum diverſitas non habuerit locum. In conficiendis formulis decretorum, in ritibus, & factis, aliíſque rebus ad diſciplinam pertinentibus, atque in ipſo ordine ſedendi, judicandi, & diſputandi, aliter hic, aliter ille ſentit & cupit. Vix autem fieri poteſt,ut in tanta Judicum & Theologorum copia nemo ſit, qui moleſtè non ferat, aliena potiùs quàm ſua probari conſilia.Hinc unius aut alterius querelæ,hinc tædia,hinc maleſani clamores, quibus & reliqua Concilia non caruêre neque in poſterum carebunt. Verùm talibus in rebus diſſidere poſſe Patres citra fidei jacturam, & intactâ ſanctitate Concilii, quis non videt?

Nihil,

Nihil, inquam, officit iſtud arci Religionis, hoc eſt doctrinæ, dogmatibúſque fidei. Concordes exempli causâ in ipſius fidei profeſſione fuiſſe Tridentinos Patres. & contra ipſam nihil peccatum, & ab ipſa prædicanda atque tuenda neminem abſterritum, & neminem ad ipſam corrumpendam intellectum fuiſſe, Catholici quilibet affirmant, credunt, & certum habent. Si ſecùs contigiſſet, ſi malis artibus actum fuiſſet: revelandi onus incubuiſſet quibuſcumque Tridentini Concilii Patribus ac Theologis. Nam illud in primis apud Catholicos liquet, & Epiſcopis potiſſimùm exploratum eſt, ſinè teterrimo crimine violari non poſſe doctrinam Chriſti; & ſi quis prudens Chriſtianos populos in errorem vel prædicando, vel conſentiendo, vel connivendo, induxerit, hunc ſinè publica confeſſione ſui criminis decedentem vix aut nequidquam à Deo veniam ſperare poſſe. Quis autem ſibi perſuadeat, tot Epiſcopos, ac Theologos in Tridentina Synodo conſpirâſſe adversùs doctrinam Chriſti, & neminem, quod ſui muneris erat, auſum reſiſtere corruptoribus; & nullum inter ipſos Epiſcopos tantæ fraudi, tantòque ſceleri perſonam tandem detraxiſſe, & palam confeſſum, ſe minis aut artibus iniquis adactum ad veritatem Religionis inſigni proditione labefactandam? De tot honeſtis, & probis, & doctis hominibus ex univerſa Eccleſia in unum collectis, id ne excogitari quidem poteſt. Neque Deus, Eccleſiæ ſuæ ſtabilis æternùm futuræ cuſtos, tantum flagitium latere permiſiſſet, neque unquam permiſit, ut ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis patet, utpote qui populo verè Chriſtiano in neceſſariis non deeſt. Quare minimè dubitandum, quin Tridentinis Patribus neceſſaria adfuerit libertas ſentiendi & judicandi, quæcumque Catholicæ Fidei magis conſona tunc videbantur.

Sin autem conſultò non errârunt legitima atque probata Concilia, eò minus incautè falli potuêre. Epiſcopi enim, & Eccleſiæ veræ addicti, & Chriſti nomine in unum congregati, dummodo debitam fidelitatem adhibeant atque induſtriam in haurienda è Scripturis aliiſque Chriſtianæ Traditionis monumentis, germanâ Eccleſiæ doctrinâ, ab omni erroris periculo, divino Spiritu opem ferente abſunt, ut jam vidimus, atque ut conſtans dogma eſt in Eccleſia Dei. Quandoquidem tamen induſtria conjuncta poſtulat peritiam & ſcientiam; hanc autem peritiam Pherepontus ait defuiſſe ac deeſſe quibuſdam Conciliis, & ipſiſmet præſtantiſſimis Eccleſiæ Patribus, & nominatim Auguſtino:

guſtino: hanc utiliſſimam quæſtionem infrà diſcutiemus. Palam autem fiet, quænam ſcientia ac peritia in Chriſtianis Eccleſiæ Judicibus exigatur & quam præter æquum & bonum agat Phereponus; qui ipſam Patribus antiquis, & Auguſtino, & Conciliis abjudicat. Nunc incepto itineri inſiſtendum eſt rurſus; & quoniam de dogmatis fidei ſatis ad inſtitutum noſtrum hactenus egimus, ad diſciplinam Eccleſiaſticam tandem eſt tranſeundum.

CAPUT XV.

Diſciplina Eccleſiaſtica quid complectatur. Qui differat à dogmate. Quæ in diſciplina mutare aut non mutare, ſequi, aut non ſequi liceat. Conſonare in dogmatibus omnino neceſſarium. Varietas in Diſciplinæ rebus modò laudanda, modò toleranda. Conſtantia Catholicorum in Hæreſi Iconoclaſtica damnanda commendatur, à Calviniano quodam injuſtè ſubſannata. Quid Eccleſia egerit, eíque ſit agendum in disſidiis de Diſciplina. Contra Phereponum oſtenditur auctoritas Eccleſiæ in præcipiendis nonnullis ad Diſciplinam ſpectantibus ſub pœna peccati.

DIximus Eccleſiaſticam Diſciplinam varia complecti. Ad illam ſpectat, quidquid aut à Chriſto, aut ab Apoſtolis, aut ab univerſa Eccleſia, ſive ab Eccleſiis privatis, inſtitutum fuit, ad externum Dei, ſervorúmque ejus cultum, ad ritus Sacramentorum, aliorúmque Myſteriorum, ad Miniſtros Eccleſiæ, & ad quædam pietatis, aliarúmque virtutum opera externa Et propterea Diſciplinæ nomine quàm latiſſimè ſumpto deſignamus ſcientiam illorum rituum earúmque legum, è quibus conſtat cùm regimen membrorum Eccleſiæ, tum exercitium externum Religionis atque virtutum. Differt autem diſciplina à dogmate, quòd iſtud præſcribat quæcumque credenda, aut non credenda ſunt Fide ſupernaturali, & quidquid homini Chriſtiano facere nunquam non immutabiliter præcipitur, vel prohibetur; diſciplina verò tradit ritus & leges adhibendas, ut Eccleſia militans decenti ordine regatur, & ut palam, operibúſque externis ritè peragatur, quod per dogma internus homo jam didicit.

Digitized by Google

Et quidem plurimi intereſt, bene perſpectum habere, quid ſecernat diſciplinam à dogmatibus; quia maximè neceſſarium eſt cognoſcere, quid mutabile, quidque immutaqile ſit in Eccleſia Dei. Nam eorum, quæ ad diſciplinam referuntur, multa mutari ex ſui natura poſſunt; quæ verò ad dogma, eadem ſemper eſſe oportet, ac ſemel fuêre. Ad hæc interdum dogma ac diſciplina ſimul conjuncta incedunt. Cùm de aliquo novæ legis Sacramento agimus, puta de Baptiſmo, dicimúſque ipſum conferre gratiam, delere peccatum originis, ejúſque vim & effectum à Miniſtrantis merito nequaquam pendere, & alia id genus: dogmata hæc eſſe nemo non intelligit. Cùm verò dicimus ad Baptiſmum adhiberi aſperſionem, aut merſionem trinam, ſalem, & unum duóſve ſponſores è ſacro fonte initiatum ſuſcipientes: tum aliqua ſignificari cognoſcimus ad diſciplinam pertinentia. Quare una eadémque res & ad dogma, & ad diſciplinam ſub diverſa facie ac ratione referenda eſt. Sunt autem quædam à Chriſto, ejúſque Apoſtolis præſcripta, quæ in diſciplinæ cenſum veniunt; ſed quandoquidem iſta immutabilia ſunt inter Chriſtianos, in dogmatum quoque jura per Analogiam tranſierunt. quod in Sacramentis præſertim animadvertendum occurrit. Alia quoque ſunt, quæ ab Apoſtolorum ſucceſſoribus inſtituta fuêre, & illius naturæ fere omnia ſunt, ut aliter inſtitui poſſent, & recta nihilominus & æque laudabilia forent, ſi alia ratione ac forma indicta fuiſſent. Alios, inquam, ritus, alia tempora jejuniorum, alias precum formulas, criminum pœnas, atque id genus quam plurima, eorum loco, quæ jam conſtituta habemus, poterat Eccleſia conſtituere.

En igitur quid inter diſciplinam, & dogmata interſit. Dogmata ab ipſo Deo omnia & ſingula procedunt. Eadem omnia Deus jam Eccleſiæ revelavit, iſtíque Libro jam pridē concluſo nihil novi de ſuo ingenio addere Eccleſia poteſt, neq; novam dogmatis alicujus inauditi revelationem à Deo ſperare. Et porro nihil nobis deeſt ad plenam ſalutaris veritatis cognitionem. Quo argumento profligatæ olim fuêre novæ Montani, Manetis, Muhammedi, aliorúmque revelationes. Aliqua autem diſciplinæ præcepta nunquam immutanda Chriſtus ipſe reliquit. Aliqua etiam Eccleſiæ ſuæ jus dedit adjiciendi, eáque rurſus mutandi pro locorum, pro temporum, pro hominum indole, ac neceſſitate, quemadmodum prudentiæ, pietatis, & optimi regiminis ratio identidem poſtularet. Sacti etiam

Spi-

Digitized by Google

Spiritûs ſuffragium hîce Eccleſiæ decretis minimè deeſſe, cùm quidpiam ſtatuitur aut immutatur, quod in myſteriorum decorem, populíque Chriſtiani utilitatem cedere poſſit, è Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio didicimus.

Quid itaque ingeniis noſtris agendum eſt in iſta parte Eccleſiaſticæ doctrinæ? Primò, honeſtum atque utile fuerit inveſtigare, undè veniant Ritus & Leges, quæ diſciplinam reſpiciunt. Si ſacrarum Literarum, aut Traditionis, aut Eccleſiæ, aut Præſulum legitimorum auctoritate nequaquam innitantur, ea repudiare licet. Secundò, privatis hominibus nefas eſt, ea abdicare, aut immutare, aut vituperare, quæ communi Epiſcoporum conſenſu ſtabilia fuêre. Peſſum enim iret ordo in Chriſtiana Republica à Chriſto, ab Apoſtolis, à Majoribus ſanctiſſimè conſtitutus, & uſurparentur ab ovibus non ſinè gravi ſcelere jura Paſtorum. Tertiò, tunc etiam diſciplinæ præceptis & ritibus legitimè introductis obedientiam negare licebit, cùm aut conſuetudo Paſtoribus tacitè probata, aut novæ leges eoſdem abrogârint. Quartò, multæ ſunt diſciplinæ leges, multíque ritus, quos illa ratio, & antiquitas, & origo ab Apoſtolis uſque arceſſita commendat, is Patrum, totiúſque Eccleſiæ conſenſus tuetur, ut vix ulla ſuboriri poſſit legitima cauſa, cur immutandi ſint aut antiquandi. Et quænam, rogo, honeſta unquam cauſa excogitari poteſt, propter quam tot vetuſtiſſimos ritus ad Euchariſtiam, aliáque myſteria conficienda inſtitutos, aut Hierarchiæ Eccleſiaſticæ partem à majoribus noſtris ſapientiſſimè definitam abolere conducat, aut quælibet Monaſticæ vitæ genera atque inſtituta funditùs exterminare? Fecerunt id quidem poſteriorum temporum Novatores, ſed poſt conculcata dogmata; poſt attritam, quantum ſibi placuit, Eccleſiæ veræ faciem atque auctoritatem. Cæterum, dum ſtet Eccleſia Catholica (æternùm autem ſtabit) in his aliíſque diſciplinæ capitibus poterunt quidem eſſe abuſus, quos evellere juvabit, non erit cauſa, cur res ipſæ penitùs & ubique ſint evertendæ. Quòd ſi cauſa ceſſabit, quæ Eccleſiæ antiquæ, ipſíſque etiam Apoſtolis occaſionem præbuit, ut ritum quempiam inſtituerent, & mores alios interdicerent: recentiori Eccleſiæ licebit diverſa ſtatuere, & priora abrogare. Certè ſibi Religioni Eccleſia minimè duxit, ſanguinis & ſoffocati uſum concedere, quem tamen Apoſtoli prohibuerant locis & temporibus ſervientes; neque enim nos recentiorum Græcorum rigidam adhuc

adhuc in hujuſmodi ritu praxim moramur. Alia omitto exempla. Nimirum ad ipſam Eccleſiam jus ſpectat agnoſcendi, ac decernendi, utrùm ad tempus, an perpetua ſit Apoſtolica inſtitutio.

Cæterum alia cauſa eſt, cur omnium maximè ingeniis noſtris obverſari ſemper debeat ea differentia, quæ inter ſidei dogmata,& diſciplinæ documenta intercedit. Etenim in diſciplina aliter una Eccleſia, aliter altera ſẽtire, atque agere interdum poterit,& contrariis etiam legibus regi neque tamen culpanda iſta varietas, immo laudanda erit, & certè non exſcindendus propterea nexus Chriſtianæ pacis atque unionis. Contrà in dogmate neceſſe eſt, ſingulas Eccleſias, omnéſque Chriſtianos idem ſentire. Nemini hîc licet, pacis& caritatis intuitu cum eo communionem ſacrorum, unionémque habere, qui ab Eccleſiæ Catholicæ ſententia diſcedat, uſque adeò ut ſupremos Eccleſiæ Magiſtratus infimi poſſint ac debeant propter eam cauſam damnare, atque deſerere. *Non poſſunt enim*, inquit S. Ambroſius, *eſſe inter eos jura pacis, inter quos eſt bellum fidei* Et ſanè unica, non multiplex, eſſe debet Religio vera. *Unus dominus*, inquit Apoſtolus ad Epheſ. IV. 5. *una fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* Deformis nempe ac ridenda foret Religionis Chriſtianæ facies, ubi ſentire in ſubſtantialibus, quæ vellemus, &revelationem divinam oppoſitis pugnantibúſque opinionibus exponere ſingulis liceret. Uni dumtaxat ſententiæ favere veritas poteſt. Neceſſe eſt oppoſitæ ſint falſæ. At ſi coeant ſimul, pacémque obſervent tum Catholicorum, tum innumerabilium Hæreticorum Scholæ: quis non videat, jam de veritate actum eſſe quæ in tanta errorum colluvie ipſam veritatem ſimulantium non ſolùm facilè vitietur, ſed nunquam certò deprehendatur? Et quare Apoſtolus ad Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devitandum eſſe jubet?* Cur II. ad Tim. 2. 17 fugiendos ſermones ait *Hymenæi & Phileti, qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorumdam fidem?* Cur in I. ad Cor. 1. tam enixè obſecrat, *per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata?* Hinc Apoſtoli ipſi, eorúmque ſucceſſores Epiſcopi, nullam unquam animadverterunt emergentem opinionem novam, divinis Scripturis, & Traditioni Chriſti apertè repugnantem, cui ſeſe acriter non oppoſuerint, quam non proſcripſerint, diris non devoverint, ejus auctore damnato, & ab Eccleſia abſciſſo, niſi ab errore reſipiſceret. Alia

 penè

Digitized by Google

penè innumera incommoda ex hujuſmodi Syncretiſ
conſequerentur;eáque adeo mentem perculêre ſemper
ipſorum Proteſtantium, ut quanquam nihil vehement
ab iis optaretur, quàm componere ſua diſſidia, & aliq
inire inter ſe fœdus,quo fortiùs Eccleſiæ veræ obſiſter
Lutheri tamen ſequaces induci nunquam potuerint,
Calvinianis non ſemel oblatam pacem & concordiam
cordibus adhuc ſententiis, amplecterentur.

Contrà diverſitas, & varietas in diſciplina interd
laudanda,interdum toleranda eſt.Jn Myſteriis peragen
in externis operibus pietatis, quòd uni Eccleſiæ,uni Re
oni,ac Provinciæ, ſint quidam ritus,alteri verò alii, du
modo ſanctitas,& gravitas, & prudentia in utriuſque p
tis ritibus legatur, tantum abeſt ut deformitatem in R
gione pariat, ut potiùs ejus pulchritudinem ſpectabil
rem efficiat. Neque diverſis modis ſe coli à gente ſua in
gnatur Deus, quando interna caritas ardens, & puta fid
& dogmatum concordia externi cultus honeſtati reſp
deat,atque is cultus Revelationi ac Traditioni minimè
pugnet Hinc olim Orientis Eccleſiæ ab Occidentalibus
Occidentales ipſæ inter ſe differebant, & etiamnum di
runt in ritibus, quibus conficitur incruentum ſacrificiu
in miniſtrandis reliquis ſacramentis, in indicendis aut
junii temporibus, aut pœnitentiæ gradibus,aut diebus
ſtis, atque in aliis ſacrorum cæremoniis. Elegantiſſima
in hanc rem Auguſtini Epiſtola 86. num. 36. contra Ur
cum quemdam,quem malè habebat, quòd Jejunium S
bati Romæ obſervatum aliæ pleræque Eccleſiæ minin
amplecterentur.Deinde quanquam aliqua diſciplinæ p
cepta eximiâ quâpiam ratione vel auctoritate olim ni
rentur, aut in Provincialibus,immo in ipſis generali
Conciliis firmata fuiſſent, omniúmque Eccleſiarum,
ſaltem plerarúmque conſenſu recepta; attamen ſæpè c
tatis & unitatis amore, tolerata eſt eorũ Canonũ inob
vantia.Siquidẽ una è præcipuis Catholicæ Eccleſiæ legil
ea eſt,ut quàm maxime fieri poteſt, retineatur animor
pax, & Eccleſiarum concordia;licitúmq; eſſe, eadem p
curare,aut retinere, quandiu ab ipſa quærenda nos non
vertant,aut ad ipſam infringendam nos non impellant
rulenti errores,fidei doctrinæ oppoſiti.Et ſanè omnis f
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſupellex,ſi demas revelata,ac p
ſcripta à Chriſto, è legibus & rebus conſtat ex ſui natu
haud quaquã neceſſariis. Præterea humanæ infirmitati
pe indulgendũ non rarò etiam ſuboriuntur rationes,q
divi

Digitized by Google

diverſam diſciplinam poſcunt, aut ſeveritatem legum ſaltem ſilere, ut ità dicam, jubent; & quando nulla alia ſuccurrat, certè neceſſitas avertendi, aut ſanandi ſchiſmatis, vitandíque gravis alius in Eccleſia incommodi, opportuna & potentiſſima cauſa ſemper viſa eſt diſciplinæ mitigandæ, aut etiam ſolvendæ. Qua in re etſi crimine plerumque non careant, qui conculcatis legibus juſtiſſima de cauſa conſtitutis, eò Eccleſiam adigunt, ut de ſuo jure cedat; ipſa tamen Eccleſia cedens, non ſolùm omni culpâ ſemper careat, ſed prudentiæ quoque laude perſæpè abundat.

Altero Eccleſiæ ſæculo Aſiæ minoris Epiſcopi ſuam de tempore celebrandi Paſchatis diſciplinam, utì à Joanne Apoſtolo acceptam, obſirmatis animis propugnabant. In diverſa ſententia erant reliqui Epiſcopi, & Romanus potiſſimùm, ſuámque & iſti tuebantur diſciplinam, Traditione ab Apoſtolorum Principibus deducta. Eam ob cauſam minimè ſcindendam pacem S. Irenæus, aliæque Eccleſiæ cenſuerunt, non repugnantibus ipſis demum ſummis Pontificibus, quanquam Victor ſeveriùs aliquando agendum exiſtimâſſet. Duos in una Sede Epiſcopos contra diſciplinæ leges interdum etiam Eccleſia permiſit; & celebris eſt Catholicorum Præſulum caritas in Africa, qui ut Donatiſtarum pertinaciam evincerent, ejuſmodi conditionem obtulêre, ratámq; habuêre. Idem pacis amor, aliæque rationes ad prudentiæ normam exactæ, in cauſa fuêre, cur Primatum Conſtantinopolitani Epiſcopi poſt Romanum Eccleſia toleraret, & novi Epiſcopatus inſtituerentur, & ab una Eccleſia Epiſcopi ad alteram transferrentur, etiamſi diſciplina ſecùs exigeret. Ex iiſdem fontibus ea ratio fuit, quare nonnullis Eccleſiis liberum fuerit, atq; etiamnum ſit, nolle interdum amplecti novos quoſdam Canones ad diſciplinam pertinentes, licèt in ipſis Conciliis Generalibus promulgatos. Dum in dogmate conſenſus habeatur, concordia in reliquis rebus expetenda quidem, ſed interdum non extorquenda. Idem videre eſt in nonnullis diſciplinæ decretis à Florentino Conſilio, & poſtremo Lateranenſi confectis, quibus Galli obſequium adhuc negant. Imò ipſamet Tridentina Synodus non ità omnibus probavit aliquot ſuas de diſciplina ſanctiones, ut Eccleſiæ Gallica & Belgica ad eas recipiendas hucuſque perductæ fuerint. Interim quæ in moribus, ritibus, legibúſque diſciplinæ varietas, atque etiam diſcordia, inter háſce Eccleſias verſatur, concordiam non tollit aut minuit in præcipuo fidei negotio. Nulla, inquam, eſt Eccleſia, cui cum Romano Ponti-

Digitized by Google

fice & Eccleſiâ Catholicâ ſit Sacramentorum communi
cui quoque non ſit in dogmate conſenſio, atque hoc e
quod in citata Epiſtola 36. olim 86. ad Caſulanum co
mendabat Auguſtinus. *Sit una fides*, ajebat ille *univerſæ,*
ubique dilatatur, Eccleſiæ, tanquam intus in membris etiamſi
fidei unitas quibuſdam diverſis obſervationibus celebretur, qui
nullo modo, quod in fide verum eſt impeditur.

Ex his autem, quæ hactenus diſſeruimus, habemus q
reſpondeamus declamatori cuidam Calviniano, irride
Catholicorum ingenium, quòd tot ærumnas olim
mortes ſub Imperatoribus Iconoclaſtis perpeti maluer
quàm abjurare ſacrarum Imaginum cultum. Nemp
animadverterat, non diffiteri Catholicos, quin Imagi
ex iis ſint rebus, quæ in Eccleſia Dei cùm indifferen
nuncupari, tum etiam removeri, ſalvâ Religione, p
ſunt. Itaque rationem, aut ſaltem prudentiam deſidera
ille in tanto Catholicorum numero, quibus pro Ima
num tutela perire contigit, nam & unionis amor, & ob
quium Principibus debitum, à tot turbis concitandi
tot tormentis devorandis abſtinendum eſſe clamabar
re, quam repudiare nullum crimen Catholicis futurum
iſſet, & omnem iræ aut etiam crudelitatis cauſam ab In
ratoribus potuiſſet auferre. Sed qui iſta objicit, cum d
mate diſciplinam confundit. Licitum eſſe venerari Im
nes ſacras, ſimúlque earum cultum, ſi ad normam Chr
anæ Doctrinæ exerceatur, ab Idolorum adoratione diſ
nimis: Dogma eſt, Ratione & Traditione confirmatum.
bere autem, aut non habere eaſdem Imagines, eáſque
locare in Templis, à Diſciplina pendet. At Iconomach
id ſolum contendebant, ut è Templis deturbarentur I
gines, earúmque uſus omnino aboleretur: quod tole
profectò propter bonum Pacis diſciplina poterat; ſe
ipſum dogma Iconoclaſtica rabies ferebatur. Imagin
uſum, omnémque earum cultum ſuperſtitioſum, impi
Deóque inviſum ducebant: quo ex errore ſubinde m
vit illud in ipſas Imagines atque earum cultores furio
mum bellum. Non igitur mentis inopes ea tempeſtat
ēre Catholici, neq; ſine conſilio & ratione profuſus eſt
guis. Nimirum pro dogmate vita dabatur, ipſáque for
danda fuit, quando nulla alia ſuppetebat ratio, quâ ſe i
lumes, & doctrinam Chriſtianæ Fidei ſartam tectam
varent. Eadem cauſa reliquos Martyres fecit, eadem
ſus factura eſt, quoties in diſcrimen adducitur dogma

perſuaſio, quorum uni renuntiâſſe, totam fidem prodidiſſe eſt. Suos etiam Martyres habere interdum diſciplinæ cuſtodia poteſt, iiſque Chriſti elogium conveniat: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*; ſed hos juſta potius, quàm neceſſaria cauſa, illos juſta æquè & neceſſaria ad perferendam mortem impellat.

Diximus, Eccleſiam tolerare potuiſſe, ut Imaginum uſus proſcriberetur, ſi de ſola Diſciplina controverſia fuiſſet. Idque accuratè animadvertendum eſt, quo poſſimus, cùm neceſſitas poſtulabit, & prudentia ſuadebit, animoſius conſulere diſſidiis & ſciſſuris Chriſtianæ plebis. Tantopere enim amanda eſt pax & unitas inter membra Eccleſiæ, ut pro ea ſervanda, ſive reſtituenda, fas ſit ipſius diſciplinæ leges interdum abrumpere, & rituum quorumdam abrogationem concedere. Quamobrem ſi noſtrorum temporum Novatores in dogmata Catholicæ Eccleſiæ conſentire tandem velint, & ad matrem redire, extra cujus ſinum ſpes omnis æternæ ſalutis ſublata eſt, nihil fortaſſe obſtabit, quominus concordia ſtatuatur. Multam illi ſpondere ſibi debent indulgentiam ab Eccleſia Catholica in iis, quæ ad diſciplinam pertinent. Dummodo, inquam, in doctrina conſentiatur, & retineantur inſtituta quædam diſciplinæ à Chriſto ipſo manantia: in reliquis, Eccleſia veniam faciente, prout ſuæ prudentiæ & caritati opportunum & neceſſarium videbitur, tolerabitur diſciplinæ diverſitas. *Regula quidem fidei*, inquit Tertullianus in Lib. de velandis Virginibus, *una omnino eſt; ſola immobilis, & irreformabilis, &c. Hâc lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ, & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet, & proficiente uſque in finem gratiâ Dei.* Quam in rem vide & Epiſtolam I Leonis IX. Romani Pontificis. Et certè ſimul ac in Catholicorum ſententiam conceſſêre Græci recentiores, redintegrata fuit in Florentino Concilio priſtina Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ unio, neque Græcis Sacerdotibus (ut alia omittam) negata eſt retinendæ uxoris facultas, neque interdicta iis populis communio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie. Quid etiam non egit Baſileenſis Synodus, ut Bohemici ſchiſmatis pertinaciam vinceret? Bohemi enixè poſcebant divini Calicis uſum. Luce digna ſunt, & lucem per me aliquando videbunt, quæ Æneas Silvius in Oratione publicè habita diſſeruit, hoc argumentum pertractans. Et voti quidem compotes facti fuêre Bohemi, quan-

Digitized by Google

quam ne ſic quidem eorum vulneribus inducta cica
Similia quoque præſtiturum fuiſſe Tridentinum Con
um, jure conjicimus, ſed eâ conditione adhibitâ, quam
ſileenſe propoſuerat, ut nempe Sacerdotes ità comm
cantibus inculcarent: *Debere eos firmiter credere, quòd no
ſpecie panis Carc tantùm, nec ſub ſpecie vini Sanguis tantùm
ſub qualibet ſpecie eſt integer Chriſtus totus.* Quæ cautio a
benda in aliis ejuſmodi caſibus.

Mirum etiam in modum nôſſe conducit, quid i
dogma diſciplinámque interſit, ne fratres gravioribu
terdum notis aut pœnis oneremus, quàm æquitas & c
plina ipſa ferat. Hæreſis culpa in eos ritè cadit, qui p
naciter negant affirmántve dogma aliquod contra ſib
tam Eccleſiæ Catholicæ mentem. Diſciplinæ verò l
violare, & ſacros pióſque ritus ab Eccleſia receptos
temnere, grave ſæpè flagitium, nunquam tamen H
ſeos crimen propriè appelletur. Certè non video,
Hæreticus eſſe, dicíve poſſit, niſi qui divinæ revelat
per Scripturas aut legitimam Traditionem propoſitæ
verſetur intellectu animòque refractario. Verum pl
que inventa, leges, & ritus Diſciplinæ Eccleſiaſtica
quaquam proficiſcuntur à revelatione divina. Fieri
am poteſt, ut ipſamet diſciplinæ pars, quæ à Chriſto
ſolùm deſcendit, ſed & ab ipſo præcipitur, & potiſſin
conſiſtit in Sacramentorum inſtitutione & uſu, viole
intacta nihilo ſecius dogmatum fide, utì accidat, ſi
ipſis Sacramentis abutatur, quæ tamen à Chriſto
inſtituta & ſancta credat. Quemadmodum enim à C
ſtiana Fide non excidit alterum occidens, aut libidini
intemperantiæ ſerviens, cùm & ipſe intelligat, ſibi nc
cere, quæ tamen perpetrare voluit: ità & peccare c
piam poteſt, in ipſamet inſtituta Chriſti, & nihilom
retinere Catholici dogmatis fidem. Quod igitur è
lata Eccleſiaſtica Diſciplina conſequi jure poteſt, illuc
ut interdum reus ſuſpicionem quoque moveat dogn
violati, atque hæreticæ opinionis; eíque ſuſpicion
quandoque pondus erit, ut ægrè purgari poſſit. I
qui ſacras Imagines non inſanus neque ebrius, co
meliis & flagris afficiat; Euchariſtiæ Sacramento i
blicum prodeunti adorationis ſigna neget; nunquan
crificio interſit, cùm poſſit, aut nunquam ad ipſur
cramentum communicaturus accedat, atque alia h
modi faciat: in eam facilè opinionem nos rapit, u
deatur alicui ex iſtis dogmatis, & auctoritati Ecc

Digitized by Google

non adjungere fidem. Propterea ab Ordinariis, aut in locis, ubi viget Inquiſitionis tribunal, à publicis fidei Quæſitoribus dies non injuriâ datur ejuſmodi hominibus, interrogandi causâ, quid de fide ſentiant, & ut Eccleſiæ, quæ merito magis virulentum vulnus ſuſpicata eſt, ſatisfiat.

Poſceret locus, ut inſuper explicarem, quomodo & quales diſciplinæ leges Chriſtianum populum ligent. Aliæ enim, ſed perquam paucæ, quibuſcumque fidelibus legitimè non impeditis, aliæ tantummodo amplexis ex arbitratu ſuo quoddam peculiare vitæ genus, aut opus aliquod ſuſcepturis, ſub pœna peccati præcipiuntur. Aliæ verò ſolùm commendantur aut ſingulis, aut certis quibuſdam Chriſtianis, neque imperantur, quippe quæ è conſilio Majorum, non ex præcepto, deſcendunt. Per quaſdam à vitiis & peccatis arcemur; per alias ad virtutem, & ad perfectius vitæ inſtitutum, & pietatis exercitationem ſollicitamur. Sunt & quæ à ſingulis Epiſcopis conſtitui poſſunt, aut proſcribi, ſive immutari. Rurſus aliæ, quarum ſanctio ad majores Eccleſias, aut ad Generalia Concilia, aut ad Romanam Sedem duntaxat pertinent. Ad hæc differendum foret, quî, & quando populorum & Epiſcoporum conſenſus exigatur, ut vim habeat, gentémque obliget lex aliqua ad diſciplinam ſpectans, aut ab uno Epiſcopo, aut à Concilio quopiam, aut à Romano Pontifice promulgata; & quando liceat, aut non liceat iſtum negare conſenſum. Ea enim, ut vidimus, ſemper Apoſtolicæ Sedi, Conciliiſve ipſis Generalibus mens eſt, ut Schiſmata ac turbæ, quantum fieri poteſt, declinentur. Et nova diſciplinæ decreta obligare nequaquam ſolent Eccleſias, non ſinè ratione ab iis recipiendis alienas, aut Provincias aliis legibus & moribus jampridem addictas, & novarum legum impatientes. Neque Regum, Principumque jura, Regnorúmque conſuetudines, modò Legi divinæ, & Religioni minimè contrarias, abrogare velle Epiſcopi cenſendi ſunt. Atque hìc præſertim habenda ratio illius partis diſciplinæ, quæ homines removet à vitiis, ſcandala avertit, aliáque opera in animorum ac Religionis perniciem tendentia vetat. Hujuſmodi ſtatuta vel à nolentibus Eccleſiis & populis obſequium exigunt, quando ab idoneis Auctoribus, Principibúſque Eccleſiæ indicuntur; ſiquidem nulla plerumque legitima cauſa adferri poteſt, quare ab omnibus amplectenda non ſint. Illa autem pars diſciplinæ, quæ verſatur in politicis legibus, &

Digitized by Google

proſpicit rerum temporalium regimini ac diſtribution
ſæpè ut valeat, conſenſu indiget Principum, populoru
aliorúmque Epiſcoporum. Sed ſi complecti ſingula atq
enucleare inſtituam, longiùs quàm velim excurrat orat
Quare juvabit ultimo loco ea dumtaxat referre, quæ Pl
reponus non tam contra Auguſtinum, quàm contra C
tholicam Eccleſiam in hujuſmodi argumento habet, co
munia tamen & reliquis noſtrorum temporum Nova
ribus.

Dixerat Auguſt. in Ep. 36. olim 86. ad Caſulanũ de Jeju
Sabbati agens: *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scrip
ra divina mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro lege tene
ſunt.* Et hæc ſanè Patrum & Catholicorum omnium ſ
tentia fuit à vetuſtiſſimis temporibus ad noſtram uſq
ætatem. Sed Phereponus ità commentatur: *Rectè, ſi m
Leges illæ non imponantur, quaſi neceſſariæ ad ſalutem; qu
fiat, meritò oppugnantur, quia ſolius eſt Chriſti jus claudendi cæ
ità ut nemo aperiat; & aperiendi, ità ut nemo claudat. Cujus l
bus ſi aliæ quaſi neceſſariæ addantur, tum novum Evangel
conflatur, quod ab omnibus diſcipulis ſuis rejici & Chriſtus &
poſtoli voluerunt.* Laudantur hìc à Phereponο, ut ſtatim
tet, verba Apocal. cap. III. 7. *Hæc dicit ſanctus & verus,
habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, &
mo aperit.* Alludere etiam poteſt ad Iſaiæ XXII. & ad
XII. Quæ quidem Scripturæ verba nihil obſtare aucto
tati Catholicæ Eccleſiæ, intellexiſſet ipſe Phereponus,
rectè expoſuiſſet, & cum aliis contuliſſet Scripturæ Sa
documentis. Certè apud nos nihil magìs ratum eſt, at
teſtatum, quàm ſolius Chriſti merito cœlum electis p
re, iiſque claudi, qui meritorum Chriſti ſuâ culpâ neq
quam participes fiunt. *Non enim*, ut ait Petrus Act. IV
*eſt in aliquo alio ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo da
hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et ipſi Chriſto d
eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ità ut nemo præ
ſtinetur in adoptionem filiorum Dei, niſi per Jeſum C
ſtum (quemadmodum teſtatur idem Apoſtolus,) & ne
niſi per ejus gratiam ſalvus fiat. Quòd ſi de poteſtate
gum inter homines ferendarum agitur, quibus qui
temperet, æterno regno ſit dignus; qui ſecùs, inde ex
datur: ne unus quidem inficiatur, quin abſoluta quo
poteſtas conſtituendi, quidquid ſibi libuerit, & ſumm
Eccleſiam cœlorúmque regnum auctoritas mediatori
& hominum Chriſto collata fuerit, Capiti æterno Ec
ſiæ, & Legislatori ſupremo.

Ve

Digitized by Google

Verùm non ità in ſe Chriſtus concluſit auctoritatem hujuſmodi atque poteſtatem, ut nulli alii communicaverit, ut integram ſolus (quæ ſententia Phereponi eſt) ſibimet ipſi reſervârit. Petro,& Eccleſiæ, & Apoſtolis cæteris, eorúmque ſucceſſoribus Epiſcopis, ſuæ poteſtatis atque auctoritatis partem Chriſtus commiſit: quod, qui ignorat, aut Chriſtianus non eſt, aut nunquam legit divinæ Scripturæ Libros: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:* ità Chriſtus ad Petrum ajebat, Matth. XVI. 19. Et ne quis unquam eâ ratione leges & imperium Petri effugeret, quòd ſoli Chriſto ſint cœli claves, ipſe divinus Præceptor priùs dixerat: *Et tibi dabo claves Regni cœlorum.* Ampla quoque auctoritas Apoſtolis reliquis confertur, Matth. XVIII. 18. ut alia loca prætermittam. Quibus ex rebus videat Phereponus, quàm idoneo argumento contra Leges Catholicæ Eccleſiæ ab Auguſtino laudatas ipſe pugnet. Et ſanè concideret tota diſciplinæ ratio, totúmque regimen Eccleſiaſticum, ſi quibuſcumque Eccleſiæ præceptis negare obedientiam liceret, iiſque tantummodo parendum foret, quæ à Chriſti unius ore deſcendiſſe conſtaret. Deinde ſi non eſt in Eccleſiæ, ſacrorúmque Paſtorum manu claudere cœlum. Cur Apoſtolus ad Hebr. XIII. tantopere commendat,ut obediamus Præpoſitis noſtris, & ſubjaceamus illis: *Ipſi enim pervigilant tanquam pro animabus noſtris rationem reddituri?* Ergo in divinam indignationem incurrant, neceſſe eſt, qui Eccleſiaſticis Legibus obedire detrectant, ſibíque cœli fores occludunt,quippe Chriſto ipſi adverſantes, dum Miniſtris ab ipſo conſtitutis,& imperandi poteſtate ab ipſo donatis nequaquam obtemperant.

Neque verò injuſtitiam in legibus à tota Eccleſia probatis excogitare poſſumus, cùm nihil legi divinæ ac naturali repugnans facere ab Epiſcopis jubeamur. Numquid enim Eccleſia & Epiſcopi, Phariſæorum more, *alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere?* Et hoc quidem falſiſſimum eſt, Eccleſiaſtica quippe præcepta, omnibus impoſita (qualia ferè ſunt, quæ reſpiciunt jejuniorum, feſtorum, & confitendi peccata, & Euchariſtiæ ſuſcipiendæ tempus) pauca numero ſunt, & pondere levia; & cùm juſtæ ſubſunt cauſæ, ad opus non obligant. Cætera verò præcepta quibuſdam tantummodo operibus, & vitæ inſtitutis illigata ſunt, à quibus cùm abſtinere nobis liceat, ab eorum etiam

oneribus cavere liberum cuicumque eſt. Igitur hæc pa
etiam & levia præcepta omnibus impoſita, eâ ſolùm ra
ne ſuſpicari poſſumus injuſta, quia naturalem homin
libertatem in agendo imminuunt, & jure æternæ glo
inobedientes privant. Verùm ineptè hoc dicatur, ſimu
pateat, hac libertate naturali ſpoliari nos juſtiſſimè pot
ſe ac poſſe à Chriſto, & ab iis, qui auctoritatem pote
témque ſibi à Chriſto creditam exercent; ſi tamen ſpol
libertate ille dici poteſt, qui libertate ipsâ jubetur ut
fugiendam gehennam, & ad comparandam ſibi per op
ſalutaria æternam in cœlis vitam. Non enim ità lib
ſumus, ut deſinamus eſſe ſervi juſtitiæ, (quemadmod
ait Apoſtolus ad Rom. VI.) & ſubjecti Legibus, ac Paſto
bus noſtris. Neque porrò jus ullum ad gloriam eſſe po
homini, qui obſequi neget Chriſti Miniſtris, non inju
non gravia, ejuſdem nomine ac auctoritate præcipien
bus, prout poſcit neceſſitas ac utilitas gregis, cùm ut m
opera avertantur, tum ut bona peragantur.

Poſſunt, fateor, iniquæ leges & ab ipſis prodire Paſto
bus. Suos quippe habet limites eorum auctoritas, neq
importabilia onera ſunt imponenda, neque ſinè utilita
aut neceſſitate gregis, aut ſinè Traditionis & Majorum e
emplo, aut interdum ſinè aliarum Eccleſiarum conſen
novæ Diſciplinæ leges omnibus indicendæ ſunt, neq
gravis peccati pœna non obſervantibus injungenda.
dubitare de juſtitia Legum Eccleſiſticarum tum ce
nullo pacto ſinimur, cùm per ipſas aliquid facere aut n
facere peculiariter jubemur, quod generalibus legibu
Deo conſtitutis priùs præſcriptum fuit. In ſuis nempe
dictis nihil aliud Eccleſia tunc præſtat, quàm certum co
ſtituere tempus, quo facienda ſint, quæ generali edicto a
Deus, aut recta ratio anteà facienda conſtituerant. Jejun
pœnitentiam, dies feſtos, aliáque ejuſmodi in utroq
Teſtamento, Euchariſtiæ perceptionem, aliáque in no
commendari & præcipi legimus. Hinc Apoſtoli, & Ecc
ſia tempus decrevêre, quo peragenda hæc forent, inſtit
tis ſacris Deo diebus, indictâ Quadrageſimâ, aliiſque
juniorum temporibus, & compulſis per edicta ſua ſeg
bus & oblitis ſui hominibus ad Euchariſtiam percipie
dam, & ad purgandos animos per confeſſionem criminu
Hunc autem uſum Eccleſiaſticæ auctoritatis, atque h
omnia per ipſam Eccleſiam conſtituta conſenſus unive
ſæ Antiquitatis, ac Traditio legitima, divinæ mentis I
terpres, & omnium Patrum Chorus, & Eccleſiæ omn
co

concordi ſtudio probant, atque amplectuntur. Quid eſt ergo, quòd noſtris temporibus nonnulli declamare audeant in quædam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ præcepta? Quaſi Chriſtus conceptis verbis edixiſſet, ne Paſtoribus à ſe datis pareremus, niſi cùm ea merè præcipiunt, quæ in Evangelio expreſſa jam habentur, & quaſi ejus lex foret Eccleſiæ legibus, vel cùm utilia aut neceſſaria ad animarum ſalutem præcipiuntur, non eſſe morem gerendum; & quaſi Apoſtoli, & Apoſtolorum auditores, & proximi ſucceſſores, nihil faciendum aut non faciendum ſcripſiſſent, & porrò nihil ipſi faciendum decreviſſent, niſi quod apertè ac nominatim à Chriſto conſtitutum anteà fuerit. Qui tam temerè de juribus & regimine Eccleſiæ judicant, neceſſe eſt, ut tria etiam priora Eccleſiæ ſæcula Evangelio Antichriſtiano uſa fuiſſe, & à fide vera defeciſſe pronuntient, cùm leges ferè omnes, quas adhuc obſervandas ſub pœna peccati contendimus, aliàſque etiam modò obſoletas, tunc in uſu fuiſſe, & magna cum religione obſervatas legamus. Quòd ſi Phereponus moderationem tantùm expoſcit in hujuſmodi legibus indicendis, Catholicos quoque (quod ſuprà innuebam) concordes habebit; quippe, ut cum Thoma Aquinate loquar, 1.2. Qu.107. Art 4. in hiſce legibus etiam Auguſtinus Epiſt 119. cap.19. ait eſſe *Moderationem attendendam, ne converſatio Fidelium onerosa reddatur*; dicit enim ad inquiſitiones Januarii de quibuſdam: *Religionem noſtram &c. ſervilibus premunt oneribus adeò, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui legalibus ſarcinis, non humanis præſumptionibus, ſubjiciuntur.*

CAPUT XVI.

De *Hiſtoria* Religionis *agitur. Ejus duplex genus, Hiſtoria divina, & Hiſtoria Eccleſiaſtica. Illa divinam Fidem à Chriſtianis exigit. Quid juris illic ſit hominum ingenio. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ documentis non debetur ſupernaturalis Fides. Rationes iſtius ſententiæ. Eccleſia non immunis à periculo errandi in judicandis Perſonis, Auctoribus Librorum dignoſcendis, in Sanctorum geſtis narrandis, & in aliis id genus factis.*

A Dogmate ac diſciplina, quorum jura quanta potui brevitate expedivi, ad res hiſtoricas me confero. Non

Non modicam partem ex his Religio ipſa ſibi adopt nam neque ipſa dogmata, ipsámque diſciplinam, ut ità quar, aliunde ſcimus, quàm ex Hiſtoria, quæ ſcilicet no narrat, quæcumque Deus revelavit, quæve Sacrame atque Myſteria Chriſtus inſtituit. Tum ipſa comple tur res geſtas & vitam Chriſti, ejúſque Diſcipulorum a ingentémque illam rerum hominúmque ſeriem, quil à ſui exordio ad noſtram uſque ætatem cùm Judai tum Chriſtiana Eccleſia abundârunt, quantùm perti ad Religionem veram. De cæteris enim rebus geſtis p fanam Hiſtoriam conflantibus nullus nunc nobis eſt mo. Quid autem juris hìc habeant ingenia noſtra, inve gandum eſt.

Duplicem in claſſem Hiſtoria Religionis dividitur. hibet prima claſſis, quæcumque Chriſtus per ſe, vel Spi tus Sanctus per ora Prophetarum, & Apoſtolorum nar vêre, aut ſcribenda mandavêre, facta ab ipſo Deo, & à lio ejus unigenito, & ab hujus Diſcipulis, & à populo, raci Religioni addicto. Atque iſta appellari poteſt Hiſt ria divina, aut Hiſtoria Revelationis divinæ. Alt claſſis verſatur in referendis iis, quæ poſt Chriſtum & poſtolos in Eccleſia contigêre ad noſtram uſque ætaten Concilia, Hæreſes, Patrum ſcripta, Epiſcoporum edi ſanctorum Hominum geſta, atque innumera alia, Relig nis faciem, uſum, abuſum, eventus, & regimen exp mentia, non tamen à Deo revelata, neque Spiritûs San juſſu & afflatu literis aut memoriæ conſignata. Hiſtori Eccleſiaſticam peculiari appellatione iſtam nuncupare ceat.

Ad Hiſtoriam divinam quod attinet, diu fatigand non eſt, ut intelligant ingenia noſtra, quomodo erga ſam gerere ſeſe debeant. Ejuſmodi facta parem cum d matibus fidem & venerationem à nobis exigunt, cùm n illa minus quàm iſta ad mortalium genus erudiend nuntiata fuerint à Deo, ſive à Scriptoribus divinitùs ſpiratis, & ex Dei munere falli neſciis. Hìc autem loc habet, non ſecùs ac in dogmatibus, Traditio Eccleſiaſti quæ ſi legitimè deducta ſit ab antiquitate, ab univerſita & conſenſu Majorum, hoc eſt, ſi à Chriſti & Apoſtoloru ore emanâſſe cognoſcatur, híſce factis eamdem fidem c ciliat, quam Apoſtolorum ſcripta conciliârunt. Unde nim, niſi ex Traditione, perſpectum habemus, tot di narum Scripturarum Libros eſſe Spiritu Sancto jube conſcriptos, & germanos eſſe Prophetarum atque Apoſ

loru

lorum fœtus? Deinde nihil manifeſtius eſt, quàm Apoſtolos multa de ſe & de Chriſto in ſuis ſcriptis prætermiſiſſe, quæ tamen ſuis auditoribus voce identidem ſignificare potuerunt. Quæ ergo de iis rebus Apoſtoli aut Auctores ab Apoſtolis probati, tradiderunt, divinâ Auctoritate niti certum eſt, cùm, ut illa docerent, Spiritum Sanctum ipſis adfuturum, Chriſtus ipſe promiſerit, & verbis divinis non minor vis inſit, non minor veneratio debeatur, ſcriptis, quàm ore tantummodo traditis. Collocandi ſunt in eodem gradu Judæorum Libri, quorum auctoritatem Chriſtus & Apoſtoli confirmârunt.

Subſidat igitur neceſſe eſt ingeniorum noſtrorum ambitio, ubi ſeſe nobis offerunt ejuſmodi facta. De illis ſuſpicari quidquam falſi, ipſum Deum mendacii accuſare fuerit. Attamen & hìc eſt aliquid juris ingeniis noſtris. Duo nimirum, aut cum laude, aut ſinè culpa, hìc in quæſtionem vocari interdum poſſunt. Primum eſt, utrùm quædam in Scripturis ſacris enarrentur, tanquam verè contigerint, an tanquam Parabolæ, atque Allegoriæ Is enim etiam mos fuit ſacris Auctoribus, atque ipſi hominum Magiſtro Jeſu, ut aliquam veritatem ſive hiſtoricam, ſive moralem, ſub allegorico velo, & ſub Parabolis, Poëticíſq; figuris ingenioſâ gravitate referrent, quò illa documenta & dulciùs haurirentur, & firmiùs ab auditoribus retinerentur. Qua in re ſeſe conſuetudini & ingenio Orientalium populorum accommodârunt, quibus majori, quàm apud alios populos, in pretio fuêre, imò ſunt adhuc, talia eruditionis condimenta. Ità dubitare quis poteſt abſque Dei revelantis injuria, vixeríntne reipſa Job, Lazarus mendicus, & Filius prodigus, atque alii quidam celebres in divinis Libris; an potiùs eorum vita & acta ſint Parabolis ſacris tantummodo accenſenda.

Alterum eſt, licere inquirere modum, quo aliqua in utroque Teſtamento acciderint, & facta fuerint; quod ſalvâ Hiſtoriæ fide præſtari poteſt. Atque hinc magna quæſtionum ſeges Interpretibus ſacris enata, dum quiſq; modum iſtum congruentiorem menti divinæ Scripturæ excogitat. Sed utrobique cavendum, ne longiùs quàm par eſt, excurrat ingeniorum libido. Traditio conſulenda eſt, & Sanctorum Patrum terenda veſtigia, & communis Eccleſiæ expoſitio ante oculos perpetuò habenda, ſicuti ſapientiſſimè ſtatutum eſt in Tridentina Synodo, & Majores noſtri ab ipſis Eccleſiæ primordiis commendavêre. Ea de cauſa malè accepti ſunt, non quicumque novas in expoſitione

ſitione divinarum Literarum opiniones adferunt,aut li-
ralem ſenſum allegorico præferunt, ſed qui jam recep
in Eccleſia Dei interpretationes tanquam certas & un
veras, contrariis & enormibus ſententiis propoſitis i
probavêre An ab hujuſmodi ſemita aberrârint,qui Job
Tobiæ geſta in Dramata, ac in Allegorias amandâru
quæri poſſet Certè non benè inter noſtros audiêre quo
dam Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, vir nihilom
nus æternâ laude dignus, & alii quidam,quòd nimiâ lib
tate in Geneſi explicanda uſi ſunt, & à veteribus paulò
miùm diſceſsêre. In his omnibus non ſcientia tantùm
eruditione, & ingenio opus eſt, ſed etiam prudentiâ. Pr
dentiæ autem leges vix longo ſermone expediri queu
aut ſaltem hìc non debent, cùm ad alia ſit feſtina
dum.

Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ alteram claſſem rerum ac
ctorum complectitur, quorum memoriam ab Apoſto
rum voce aut ſcriptis non accepimus, alio ſidere,aliis le
bus regitur. Et ne diu evagemur, illud continuò ſtatue
dum eſt: *Nullum eſſe Factum, quod verum certúmque divinâ
ſupernaturali, ut ajunt, fide credendum ſit, niſi quod à Chriſto
velatum fuerit, & Spiritu ſancto jubente à Prophetis & Apoſt
conſcriptum, aut vivâ voce traditum poſteris, & non fallaci,
Eccleſiæ veræ teſtimonio uti tale nobis propoſitum.* Hujuſmo
ſententiæ veritatem partim ex iis,quæ hactenus dicta ſu
partim ex aliis argumentis apertiſſimè elicimus.

Sicuti Sanctus Thomas, & reliqua Theologorum c
hors affirmat. Articuli Fidei temporis ſucceſſione, quod
ad ſubſtantiam, creſcere non poſſunt, ſed ſolùm quod
ad explicationem. Nimirum quod olim Deus per Filiu
ſuum, Prophetas, & Apoſtolos revelavit, id unam Ch
ſtianam Fidem conſtituit. Nihil addi, nihil inde detra
poteſt. Explicare dumtaxat ſinè erroris periculo,quæ De
revelavit, Eccleſiæ licet, immo ad eam pertinet: quæ cer
explicatio non nova dogmata invehit, ſed vetera majo
luce donat, aut à perverſis & novitiis interpretationib
vindicat. Lectores diu detineam, ſi quæ Apoſtolorum
Patrum loca certiſſimæ huic ſententiæ fundamentu
præbuerunt, recenſere velim. Illud tantùm dicam, com
muni omnium conſenſu tradi: Doctrinam Chriſti omn
no perfectam, nulliúſque additamenti, aut imminution
indigam; & nefas eſſe, quidquam pro Fidei dogmate h
bere, quod non ab ipſo Deo ſive per ſacras Scripturas,ſi
per Traditionem,quaſi per manus ad nos uſque tranſier

Nov

Digitized by Google

Novas revelationes exſpectandas aut ſuſcipiendas non eſſe: & quamvìs vel ab Apoſtolo, vel etiam Angelo quidquam novi, veluti revelatum nuper, & veluti Chriſtianum dogma Fide ſupranaturali credendum, proponatur; ſinè hæſitatione illud repudiandum eſſe. Novitatem inter ſigna erroris habendam; & ideo Hæreticos damnandos, quòd nova dogmata, novas revelationes in antiquam Chriſti doctrinam intrudere velint. Quocirca qui ſibi facultatem arrogant proponendi nova de Fide Chriſti dogmata, exigúntque à Fidelibus illum aſſenſum, qui certis Dei Revelationibus unicè debetur: id ſibi licere putant, quod Romani Pontifices, Concilia Generalia, & Apoſtoli ipſi nequaquam licere conceptis verbis fatentur. In hanc rem legendi præ cæteris Tertulianus & Vincentius Lirinenſis, & Cœleſtini ac Leonis Romanorum Pontificum Epiſtolæ, ut alios Pontifices Maximos, Concilia, ac Patres omittam.

Quæ cùm ità ſint, quis non intelligat, nulla haberi poſſe facta, præterquam enarrata in ſacris Scripturis, aut per legitimam Traditionem vulgata, quibus adhibenda ſit ſupranaturalis Fides? Si, inquam, iſta facta ad Chriſti Revelationem, aut ad Apoſtolorum Traditionem per germana antiquitatis monumenta referri nequeant, & poſt ævum Apoſtolorum contigerint: certa quidem eſſe hominibus, & fide digniſſimâ poſſunt, at nequaquam efflagitare à Chriſtiano populo divinam Fidem. Nam quî dicatur Chriſtus ea reveláſſe, Apoſtoli ea tradidiſſe, quæ nondum acciderant, & occulta penitùs Eccleſiæ fuêre ad eum uſque diem, quo in rerum univerſitatem emersêre? Prædicendo tantùm poterat hujuſmodi facta Chriſtus revelare Apoſtolis. Sed ubinam iſtarum prædictionum vel unum veſtigium in ſacris Libris, in Traditione legitima?

Ab hiſce propterea factis non revelatis dogmata Fidei revelata longè differunt. Scilicet dogmata ex natura ſua jam revelata à Deo fuerant, & jam dudum aut expreſſa, aut non admodum obſcurè ſignificata Eccleſiæ. Fortaſſe à multis ignorabatur aut minimè advertebatur, aut nequaquam credebatur ejuſmodi Revelatio; at Revelatio, nihilominus firma per ſe conſtabat, tametſi variè de ipſa homines nonnulli ſentirent. Quando ergo Eccleſiæ placuit de illa Revelatione certos facere Fideles, nihil illa novi, quo ad doctrinam ipſam, propoſuit, ſed dumtaxat quo ad homines quoſdam ea de re anteà aut incertos, aut ignaros. Ità Spiritum Sanctum à Patre Filióque procedere.

Ani-

Animas Sanctorum, ſtatim ut è corpore exierint, Dei
one donari; omniúmque animas, non ex traduce eſſe
ſingulas in ſingulis corporibus creari, olim Deus revel
Diu à nonnullis de iſtorum revelatione dubitatum a
putatum eſt, & licuit diſputare, cùm nondum Eccleſi
ritatis cuſtos ac interpres quæſtionem omnem ſuâ ſe
tiâ ſuſtuliſſet. Eccleſiæ autem ſententia id tantumn
ſtatuit, quod certiſſimè à divino Spiritu Prophetis &
ſtolis revelatum jampridem fuiſſe ſibi conſtabat, tu
vinis Scripturis, tum Traditione conſultâ. Verùm eò
tinere nemo dicat facta, de quibus cùm certum eſt, nih
Apoſtolis ſcripto aut vivâ voce traditū, tum certiſſim
ipſa poſt Chriſtum & Apoſtolos accidiſſe. Aut novā hi
cogitare, aut falſam obtrudere revelationem Dei, nece
eſſet: quod & à Religionis veræ, & ab Eccleſiæ veraci
tura, atque inſtituto nimis abhorret. Non igitur iſta
quam antiquitùs à Deo revelata, Eccleſia definire po
non igitur ſupranaturali Fide credenda ſunt certa.

Alterum argumentum nobis experientia ſuppedit
Omni periculo errandi Eccleſia caret, & nunquam r
erravit, cùm de dogmatis aut factis definiendis ag
quæ ſibi divinitùs revelata innotuêre. In iis autem f
quæ Apoſtolorum ætatem ſubſecuta ſunt, aut per T
tionem à Chriſto atque Apoſtolis nuntiata fuiſſe non
ſtat, Eccleſia, & ſummi Pontifices falli poſſunt, & r
quandoque errârunt. Conſequens ergo eſt, Eccleſiæ &
ceſſoribus Petri, non eam quoque à Chriſto adjun
fuiſſe prærogativam, ut ejuſmodi facta decernere po
non ſecùs ac fidei dogmata, certiſſimo calculo. Quo
ſolemnis Apoſtolicæ Sedis regula eſt, Patrum ac The
gorum conſenſu firmata: omnia, quæ in Conciliis e
Generalibus geruntur, exceptis fidei cauſis, retractari
ſe. Et hùc referenda ſunt Sancti Auguſtini verba Lib.
3. de Bapt. contra Donatiſtas à nobis ſuperiùs expe
quibus innuitur, ipſa Generalium Synodorum
creta ſæpè à ſequentibus emendari, dum aut expe
tiâ, aut novis documentis aliquid innoteſcit, quod
latuerat. Deinde, licèt hujus generis ſententiæ ac ju
mutationi obnoxia ſint, atque emendationi; id tame
tio, aut dedecori verti non poſſe Eccleſiæ, ſive Relig
cùm ea tantùm firma ac immobilia fore Chriſtus p
tus fuerit, quæ ad doctrinam, & ad facta à ſe, vel ſu
revelata ſpectant. Stetit hucuſque in Eccleſia, & nun
vacillabit hujuſmodi doctrina, & factorum revelatio

Digitized by Google

in aliis à veritate declinabitur, erit hoc hominum infirmitati tribuendum, non Chriſto, qui ſua promiſſa æternùm & fideliter implet.

Age ergo, nonnulla in hanc rem proferamus exempla, cùm & plura, & illuſtria, & obvia ſint paſſim. Primò in judicandis perſonis ità ſe Apoſtolica Sedes, & Concilia, & Catholici ſemper geſsêre, ut judicia ſua non arbitrarentur, aut eſſe vellent paria auctoritati atque immobilitati divini Verbi. Nam & ea ad incudem rurſus revocari, atque emendari ſiverunt, & melioribus documentis allatis in diverſas à prioribus abiêre ſententias. Paulus Samoſatenus in primo Antiocheno Concilio abſolutus, in altero damnatus eſt. Arius ipſe, & Ariani, poſt eorum damnationem à Nicæno Concilio promulgatam, innocentes quodammodo declarati ſunt, & in communionem reſtituti, id tolerante Eccleſiâ. Innocentiam Athanaſii, & Marcelli Ancyrani, Julius Romanus Pontifex, & Sardicenſe Concilium ſtatuerant; eorum tamen cauſas iterum expendi, Patres, ſummíque etiam Pontifices paſſi ſunt. Marcellum reum eſſe atque hæreticum illuſtres viri poſteà contenderunt, & in primis Baſilius Magnus. Neque minus celebris fuit Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi cauſa. Lis eidem contra accuſatores Donatiſtas adjudicata fuerat in Romano Concilio, præſidente Melchiade. Obtinuerunt victæ partis querimoniæ, & accuſationes, ut in ampliſſimo Arelatenſi Concilio rurſus audirentur, & quanquam pari ſucceſſu pro Cæciliano pronuntiatum & ibi fuerit, adhuc tamen non recusârunt Africani Patres, ut eadem cauſa denuò Carthagine pertractaretur, damnaturi vel poſt mortem Cæcilianum, ſi crimina oppoſita vera deprehenderentur. Cur non & memorem Zoſimi Romani Pontificis acta, qui à Pelagio Hæreſiarcha circumventus, in ipſius auxilium, & pro illius innocentia, ad Africanos Epiſcopos reſcripſit? Theodoretum, Ibam, Theodorum Mopſueſtenum, Gotheſcalchum, alióſque celebres viros in quibuſdam Conciliis damnatos, in aliis abſolutos legimus, ut jam patere poſſit, Concilia & Eccleſiam in hujuſmodi factis definiendis neque imperare velle, neque exigere poſſe certiſſimum à nobis Fidei divinæ aſſenſum.

Secundò, immunia ab errore non ſunt Concilia, licèt Oecumenica, in auctoribus Librorum dignoſcendis. Certè per multa ſæcula ne dubitatum quidem eſt, quin Dionyſio Areopagitæ Apoſtolorum æquali tribuendi eſſent Libri, qui ſub ejus nomine circumferuntur. Noſtrâ tamen ac

Patrum ætate uſus Critices reſtauratus, ſi non omnib
terarum Profeſſoribus, ſaltem omnibus viris emunct.
ris perſuaſit, eos quidem libros plurimi faciendos, ſed
tam antiquitatem non redolere, quanta hucuſque v
tributa ipſis fuit. Illuſtriores etiam majoríque in pre
pud Latinos fuêre plurimæ Clementis, aliorúmqu
manorum Pontificum ad Siritium uſque Epiſtolæ S
rudium ſæculorum perſuaſio proximè præteritis te
ribus profligata fuit, ut Iſidorus Mercator, ſive Pecc
nulli ampliùs imponat, & nemo ſit cordatus, cui ſcrip
ſuppoſititia non videantur. Idem dicendum de quar
rimis aliis Libris, aut ſuppoſitis, aut incautè tributis
tio, Athanaſio, Auguſtino, Hieronymo, aliíſque Patr
& tamen hujuſmodi Libros non provincialia tantùm
ipſa quoque Oecumenica Concilia, & ſeptimum præſ
habitum Nicææ, Pontifices Maximi, & innumeri Scr
res tanquam legitima eorum Patrum monumenta
adhibuêre.

Tertiò, in ſanctorum hominum geſtis, reliquiis
miraculis recenſendis, ſive proponendis, plus quàm h
nam fidem Catholica Eccleſia expoſcere non poteſt.
enim monſtra, quæſo, non irrepsêre in veterum Hiſt
Quæ conficta non fuêre aut ab improbis, aut à piis i
ſtoribus, ut ſanctis Martyribus, Confeſſoribus, ali
Religionis Chriſtianæ illuſtribus Athletis major vene
& fama apud poſteros quæretur? Inauditi etiam ante
lites Eccleſiaſticis Diptychis inſcripti fuêre. Simeoni
taphraſtis ſpiſſum opus legere juvat, fabulis uberrin
fertum. Neque iis carent Gregorii Turonenſis, Gre
Magni, Vincentii Bellovacenſis, Antonini, aliorúmq
giographorum volumina. Nam quò magìs ignoran
literarum oblivio obtinere inter Chriſtianos cœpit, a
ſecurior facta eſt impoſtorum audacia, aut minus ca
liorum credulitas. A quorum erroribus cùm ſatìs ſib
caverint piiſſimi alioquin & celebres viri, factum eſt,
ipſa Templa, in ipſas ad populum conciones, in prec
bros, in Romanorum Pontificum Epiſtolas, penet
nonnunquam hujuſmodi commenta. Et quidem à c
Viris, & à Baronio præcipuè, multum operæ colloc
eſt in purgandis Hiſtoriis, Martyrologiis, & Breviar
iſta fœce. Sed quæ in immenſum excreverat, non
prorſus expugnari ſe paſſa eſt, & modò temeritas a
modeſtúſque Critices uſus in conſilium advocetur
ſtris futuríſque ingeniis erit hìc, in quo ſe utiliter a
exerceant.

Digitized by Google

Denique in cæteris capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à Spiritu ſancto non revelatæ, ſe ab erroris periculo divinitùs immunem Eccleſia Catholica nondum cenſuit. Diutiſſimè illa opinio interChriſtianos invaluit, non ſinè divino prodigio à XXX. Interpretibus ſacras Scripturas in Græcam Linguam fuiſſe converſas. Unus ſubinde Hieronimus omnium ferè antiquorum Patrum hac de re ſententiam ità infirmavit, ut ab illa jam plerique prorſus diſceſſerint, aut ſaltem de hujuſmodi facto dubitandum conſentiant. Ad hæc celeberrima olim fuêre, & ab que hæſitatione ubique excipiebantur, quæ de S. Jacobi in Hiſpaniam adventu, de ſancti Dionyſii Areopagitæ Epiſcopatu in Galliis, de geſtis Martialis Lemovicenſis, aliorúmque Apoſtolorum & Martyrum, qui primi varias gentes Chriſti doctrinâ imbuerant, confidentiſſimè narrabantur. Nemo dubitabat de ſplendidis tot Eccleſiarum, aut Religioſorum Ordinum originibus; de Lepra, Baptiſmo, & Donatione Conſtantini, de Icunculis Beato Lucæ adſcriptis, de tot ſanctæ Urſulæ in Martyrio ſociabus, de Veronica, de Marcellini Romani Pontificis lapſu, & Sinueſſano Concilio, aliiſque id genus innumeris. At iſta nunc falſi coarguuntur à doctiſſimis viris, aut ſaltem non ea eſſe exploratum eſt, quibus tam facilè ſit fides adjungenda, cùm Hiſtorici præſtantiores, & veneranda antiquitas, & temporum ſeries iiſdem ſive apertè ſive tacitè adverſentur.

Reſtat igitur, ut ex iſtis, tum rationibus, tum exemplis colligamus, immutabiles non eſſe, neque eſſe divinâ fide certiſſimas de factis non revelatis in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſententias. Neque hiſce factis eam, quâ ſuapte naturâ carent, divinam auctoritatem, & inconcuſſam certitudinem communicare poſſunt vel Romani Antiſtites per ſua diplomata, atque edicta, vel Synodi Oecumenicæ per ſua decreta, vel quiſquam alius quamvìs doctrinâ, veracitate, ac pietate conſpicuus. Quocirca non Hæreticis illico accenſendus non infamiâ, non pœnis juſtiſſimè ab Eccleſia in illos conſtitutis, qui fidei dogmata negant, aut à fide vera deficiunt, quiſquam erit mulctandus, quòd hujuſmodi narrationibus eamdem ipſam fidem præbere neſcit, ſive etiam recuſet, quam præbet, & omnes novimus eſſe præbendum, narrationibus cœlo auctore traditis.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Ut aliquod ſactum fide ſupernaturali credendum ſtatuatur, quæ conditiones requirantur. Revelationes quarumdam ſanctarum mulierum ad fidem non ſpectant: Neque Canonizatio Sanctorum. Traditio neceſſaria, ut aliquod factum tanquam pertinens ad fidem decernatur. An Immaculatam Deiparæ Conceptionem ſtatuere poſſit Eccleſia.

UT autem, quæ ſint Eccleſiæ, quæ ingeniorum jura, cùm de factis hiſtoricis agitur, manifeſtiùs innoteſcat, dicendum nobis videtur, duas conditiones planè exigi ad certam eorum definitionem. Sinè iſtis neque à nobis efflagitare Eccleſia poterit, neque nos adhibere ſupranaturalem fidem debebimus. Altera eſt, ut quæ definienda ſunt ab Eccleſia, ſive jam definita videntur, Chriſtus revelare potuerit, ſive, ut melius dicam, voluerit, aut ab Apoſtolis, dum in vivis erant, tanquam à Chriſto & Spiritu Sancto accepta, potuerint tradi & nunciari populis, ejuſdem Spiritûs Sancti juſſu. Altera eſt, ut liqueat, quæ ità à Chriſto revelari, & ab Apoſtolis tradi potuêre, reipſa revelata, aut ab Apoſtolis tradita fuiſſe: quod liquere non poteſt, niſi eorum legitima Traditio habeatur in Eccleſia Dei. Utraque conditio neceſſaria eſt. Nam ſi aliquod factum à Deo non revelatum adjungere liceret fidei dogmatibus, jam Chriſtianæ Religionis doctrina novum quotidie incrementum acciperet, & novi indies fidei articuli creari poſſent: quod certè inter Catholicæ Eccleſiæ homines nemo licere arbitratur, & à veræ Eccleſiæ dogmate abhorrere omnes fatentur. Deinde, etiamſi à Chriſto atque ab Apoſtolis revelari facta potuerint, non continuò revelata fuiſſe conſtat. Ac proinde ſi deſideretur eorum Traditio in Patrum monumentis; ſi ipſa Traditio Antiquitatis ſuffragio non comprobetur, immo ſi improbetur; aut ſi tempus certum aſſignari poſſit, quo ejuſmodi facta anteà inaudita cœpta ſint venditari: quis ad auctores Apoſtolos talia referat? quis ipſis eamdem ac Evangeliis fidem habeat, habendámve putet? De Chriſti atque Apoſtolorum geſtis præter ea, quæ in

in Canonicis Scripturis continentur, & ex antiquiſſima ac germana Traditione accepimus, quamplurima alia olim ferebantur. Evangelia quoque alia, & alii Apoſtolorum Actus emerſêre antiquitùs. Quibus tamen quippe conſtanti ac legitimâ Traditione carentibus, aut ademit, aut nunquam addidit fidem Eccleſia vera.

Quæ cùm ita ſint: Primò, intelligimus, quaſcumque revelationes de Servatoris noſtri, aut Deiparæ Virginis, aut Apoſtolorum geſtis, aut etiam de quibuſdam dogmatis, accidiſſe legimus, poſtquam vivere deſierunt Apoſtoli, nunquam in cenſum divinæ doctrinæ referendos eſſe. Nonnullas quidem Revelationes, & Prophetias fidelibus interdum à Deo concedi potuiſſe poſt Apoſtolos, & adhuc poſſe, apud nos doctrina fidei eſt; eóque referri poſſunt verba Joëlis 2.28. à ſancto Petro citata in Actis Apoſtolorum 2.17. *Poſt hæc effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ; ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Multas etiam ex his revelationibus, viſionibus, ac prophetiis, exacto jam Apoſtolorum ævo, contingiſſe narrant ſancti ac probatiſſimi Patres, eáſque experientiâ non inanes, non confictas ſubinde teſtata fuit. Verùm eas ad facta duntaxat peculiaria, & ad ſingulorum fidelium utilitatem ac ſolatium, non autem ad generalem Eccleſiam, neque ad certam dogmatum fidem pertinere conſtat. Veræ eſſe poſſunt; certæ penitùs, & Eccleſiæ Dei neceſſariæ eſſe non poſſunt. Id circò, etſi revelationes quarumdam ſanctarum mulierum, Brigittæ, Catharinæ Bononienſis, & Catharinæ Senenſis, Angelæ Fulginatis, Hildegardis, Gertrudis, & aliarum aut laudaverit, aut toleraverit Eccleſia: nemo tamen Theologiæ melioris conſcius, hucúſque fuit, qui certitudinem Fidei Catholicæ ipſis additam fuiſſe autumâvit, immo non affirmârit, Concilia & Eccleſiam univerſam auctoritate carere ſimilia decernendi, tanquam indubitata & certiſſima dogmata Chriſtiano populo credenda. Neque alia de cauſa damnati olim Cataphryges, & Montaniſtæ, quàm quòd novas de tribus Quadrageſimis celebrandis, de ſecundis Nuptiis abdicandis, de pace majorum criminum reis deneganda, aliiſque de rebus revelationes inſtar neceſſarii dogmatis proponerent. Quare deinceps Cataphrygum nomine à ſanctis Patribus ii notati fuêre, qui novas, non de aliquo peculiari facto (hoc enim cœlitus contingere poſſe, & quandoq; contigiſſe, exploratum habemus) ſed de aliquo

dogmate revelationes inducerent. Quæ verò viſion
revelationes de Chriſti ac Deiparæ geſtis, dum in
eſſent, circumferuntur, ideo toleratæ, quòd nihil
Scripturis ac Traditioni antiquiſſimæ contrarium pe
adferebatur. Cæterum, ab iis in ſacram doctrinam i
hendis, atque adhibendis, perpetuò abſtinuere ſapie
ſimi Pontifices, ac ſancti Patres; atque Scriptores exi
qui etiam revelationes veras à falſis difficilè diſtingui
aiunt, & longe ab ea opinione fuerunt, ut id genus
ſine dubitatione accipienda crederent. Eam in rem o
um præcipue legendus magnus Eccleſiæ & Univerſ
Pariſienſis Cancellarius Joannes Gerſon.

Secundò, ad Eccleſiam, ad Generalia Concilia, ad A
ſtolicam Sedem pertinet, in ſanctorum Canonem re
homines conſummatæ ſanctitatis gloriâ, dum viver
illuſtres & poſt mortem miraculis claros. Diſciplinæ
eorum cultum ità indicere poſſunt, & ad univerſan
cleſiam extendere, ut non ſolùm pium ac laudabile ſi
juſmodi ſanctos invocare, & ſibi adſciſcere patron
pud Deum, ſed etiam impietatem ſapiat eorum cu
improbare, atque contemnere. Quare à ſuſpicione H
ſis ille non abſit, atque intolerandam, & pœnis dignan
meritatem ac impudentiam præ ſe ferat, qui rite Cœli
Catalogo adſcriptos explodat, & in iis, ut aiunt, can
zandis Eccleſiam reipſa, & Romanum Pontificem er
dicat Suſpicionem Hæreſis memoravi, non autem
reſim formalem; quippe non video qui conciliari p
cum certiſſimis regulis hactenus traditis eorum
tentia, qui firmiſſimo aſſenſu, divináque fide cre
dum cenſent, Eccleſiam aut Romanos Pontifices tali
ternentes falli nunquam poſſe. Videant ipſi, an non
ſequatur, novas revelationes, nova de factis dogma
Eccleſiam induci: quod abhorrere à Catholica do
na & ipſi non negant. Nam quæ argumenta pro ſu
pinione producunt, aut nihil, nimium in iſta qu
one probare, facile cognitu eſt. Sunt verba Ch
(aiunt nonnulli) apud ſanctum Joannem XVI. *Cùm*
rit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ve
non omnem procul dubio veritatem à divino Sp
nobis revelandam, ex omnium interpretatione perſ
um eſt; ſed omnem tantummodo veritatem, quæ ad
tem hominum, & ad veræ fidei atque Eccleſiæ Cath
integritatem conſervationémque neceſſaria ſit. quom
verò dicamus, neceſſarium hominibus, fidei, & Ecc

Digitized by Google

eſſe cultum novi alicujus ſancti, fidémque de illius beatitate cœleſti? Utile eſt, non neceſſarium, iſta habere, iſta ſcire. Innumeræ aliæ veritates ſunt, quas noviſſe in utilitatem Chriſtianorum cederet; & illas tamen certò decernere, nunquam ſibi tribuit, aut tribuere poteſt Eccleſia. Neque verò, etiamſi in re tanti ponderis ab errandi periculo immunes non credantur Synodi univerſales, & Romani Pontifices, ejuſmodi inde conſequuntur incommoda, ut oporteat inauditam antiquitùs opinionem amplecti.

Attamen inquiunt aliqui, ludibrio exponeretur Eccleſia ſancta Dei, atque à Spiritibus tartareis irrideretur, ſi quos perpetuò in inferis cruciandos, tanquam ſanctos in terris colendos proponeret. Ad hæc abſurdus error foret, eorum poſcere patrocinium in cœlis, qui Deum iratum experirentur in inferis. Quæ tamen omnium illud ſolum ſuadent, Romanos Pontifices, & Eccleſiam, nulli diligentiæ parcere debere, quo fiat, ut Beatorum albo tantummodo inſcribantur homines abſoluta pietate & ſanctitate, & miraculorum gratia verè conſpicui, dimiſſis reliquis dubiæ ſanctitatis. Ceterúm ſi in his contingeret error, (quem certe, modò rite peracta ſit Canonizatio. contigiſſe nemo unquam oſtendet, & contingere poſſe difficilimum putamus) nihil probi in Eccleſiam, aut in Romanum Pontificem recideret, cùm ſacrorum Paſtorum cœleſtis prærogativa ſita ſit in immunitate non ab omnibus erroribus, ſed ab erroribus in doctrina Chriſti, & in factis per Apoſtolorum calamum aut vocem traditis, Eccleſiam in aliis falli poſſe jam vidimus ſine dedecore ſuo, ſine fidei detrimento Quis autem neſcit, tot Sanctorum Reliquias publico donari cultu. & Romanorum Pontificum, aliorúmque Epiſcoporum, & interdum etiam antiquitatis diuturnæ auctoritate probari: quas tamen qui certo fidei divinæ aſſenſu credendas eſſe affirmet germana eorumdem Sanctorum Lipſana, plene à veritate abſit. Præterea neque privatæ Eccleſiæ, neq; Eccleſia univerſa in tot Sanctis recipiendis, quorum nomia nunc in Martyrologiis occurrunt, eam adhibuere diligentiam, quæ nunc Romæ adhibetur, ut de eorum ſanctitate conſtet. Et tamen hi palàm coluntur, neque inde ſuſpicamur grave malum in Eccleſiam effluere. Exempli cauſa licuit Ravennatibus, Mediolanenſibus, Pariſienſibus, Lugdunenſibus ſuos colere aut Epiſcopos, aut Cives ſanctos, cùm tamen Eccleſia univerſa, aut Romanus Pontifex nondum de certa

eorum beatitudine judicâſſet. Nunc etiam cuicumque licet numerum ingentem Sanctorum colere in Romano Martyrologio deſcriptorum, quanquam non præceſſerit Canonizatio ſolemnis. Sanctam quoque feminam Veronicam, Virginum S. Urſulæ, Sociarum undecim millia, aliósque hujuſmodi Sanctos Eccleſia olim toleravit, & adhuc tolerat, tametſi an unquam fuerint, nunc doctiſſimi viri non injuriâ dubitent, & de aliis nonnullis dubitare licitum putent. Similiter neque ad fidem ſpectat, in ſingulis Hoſtiis, quas adorandas populo Sacerdotes exhibent, contineri vivum Chriſti Corpus, & Sanguinem. Errores igitur, & incommoda ex his potuerunt, & poſſunt adhuc accidere. At non ea ſunt, ut eorum cauſâ fœdari, aut deficere Religio vera, aut rugas inde contrahere poſſit. Iſti ſunt, ut Scholarum vocabulo utar, errores materiales, cavendi quantùm fieri poteſt, ſed nullum animabus periculum, nullam veræ Eccleſiæ infamiam creantes. Orationes autem noſtræ, cultúſque noſter, vel cùm rogamus, atque veneramur quempiam, quem cœlitem putamus, ſemper ad ipſum Deum feruntur in quo rogando, atque colendo fieri non poteſt, ut fides aberret. Quamobrem, ſi & in Sanctorum Canonizationem ejúſmodi materiales errores illaberentur, nihil mirum foret. Sed tamen ritus iſte ab Apoſtolica Sede eo nunc peragitur accurato diligentíque ſtudio, ut piè credendum ſit, nullum ea in re errori locum fuiſſe, aut deinceps futurum. Non neceſſariò igitur, ſed tamen *piè credendum eſt*, ut inquit S. Thomas, quodlibet. Lib. 9. art. 16. *quod nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit.* Hæc nobis æquiſſima, hæc pia videtur ſententia, & in hac ipſemet Sixtus IV. fuiſſe videtur, dum catalogo Sanctorum adſcripſit B. Bonaventuram; inquit enim in Bulla: *Confidentes, quod in hac Canonizatione non permittat Nos Deus errare.* Altera ſententia quibus firmis rationibus, quibus Scripturæ & Patrum ſuffragiis fulciatur, nondum invenimus, & potiſſimùm ſi verum eſt quod ab aliis didici, nempè exſtare in antiquo Ceremoniali Romano Lib. 1. Sect. 6. Cap. 2. formulam Canonizationis, in qua proteſtabatur olim ſummus Pontifex, ſe *per actum Canonizationis non intendere aliquid facere, quod ſit contra fidem, aut Eccleſiam Catholicam ſive honorem Dei.*

Tertiò, verum quidem eſt, certo & minimè fallaci Eccleſiæ decreto ſanciri poſſe nonnulla, quæ ante Apoſtolorum mortem evenêre, cùm iſta revelari à Chriſto, aut

Spiritûs

Spiritûs ſancti juſſu ab Apoſtolis tradi potuerint. Sed tum ſinè errore id fieri continget, ſi de factis agatur, quæ ad Hiſtoriam Chriſti & Religionis intimè ſpectent, & ad Eccleſiæ ædificationem conducant. Non enim veri videtur ſimilè, Chriſtum ejúſque diſcipulos inutilia revelâſſe, ſeu tradidiſſe poſteris, & Spiritum ſanctum ſuæ Sponſæ adfuturum, ne in hiſce ſupervacaneis erret. Deinde neceſſum eſt, ut ejuſmodi factis conſtans antiqua, & legitima Traditio adſtipuletur. Id quoque exigitur in dogmatis ſanciendis, quanquam iſta unum ex altero ſæpè neceſſariò pendeant: quantò ergo magis id exigatur in factis, quæ contingere vel non contingere æquè potuerunt, & reverà contigiſſe non aliunde haberi, quàm ex Hiſtoriâ ac Traditione poteſt? Illa porrò legitima ſatis, & germana antiquiſſimæ rei Traditio minimè appellanda eſt, cùm poſt ſecula multa à Chriſto nato res quæpiam narrari cœpta eſt, totâ antiquitate ſilente, Patribúſque, & Hiſtoricis omnibus ante illud tempus nullam ejus rei mentionem, vel cùm poſſent, ac deberent, facientibus. Augebit etiam falſi ſuſpicionem, ſi primus ejus narrationis Auctor aut Græculus fuerit, aut alius quiſquam rudium temporum Hiſtoricus, aut ineptus aliquis Scriptor, à quo hominum genere, utpote omni Critices præſidio ſæpè deſtituto, tam facilè plerumque fabulæ & nugæ, quàm ipſa vera adoptantur.

Quare, etiamſi non pauca vulgò ferantur de Apoſtolorum peregrinationibus, & obitu, de parentibus Deiparæ, de Marthæ ac Mariæ Magdalenæ poſt Salvatoris mortem geſtis, de multis pertinentibus ad tres Magos ad adorandum Chriſtum infantem olim profectos, & alia hujuſmodi, quæ Apoſtolorum Traditione contineri poterant: quandoquidem tamen antiqua & probata non adferuntur hujus Traditionis monimenta, immo in ipſorum narratione fabularum veſtigia ſublucent: idonea Eccleſiæ fundamenta non ſuppetunt, ut iſta ſinè erroris periculo vera ſtatuere poſſit. Multa etiam ſunt, quæ definire non debeat. Atque hîc fortè peti poteſt, an jus ſit Eccleſiæ decernendi tanquam fidei dogma, beatiſſimam Chriſti Matrem ſinè macula originali fuiſſe conceptam. Tale jus ipſi eſſe, abſque hæſitatione affirmandum eſt, ſi aut per legitimam argumentationem ea Virginis prærogativa è divinis Scripturis deduci, aut ex probatiſſimâ & conſtanti, & antiquâ Traditione Patrum comprobari poſſit, neque enim quiſquam in Theologia peritus firmiſſimū decretum

Digitized by Google

inniti poſſe arbitretur privatis quibuſdam revelatio
bus, aut apocryphis Patrum ſcriptis, aut iis tantummo
argumentis, quæ à congruitate appellantur. Ità rectiſſi
ab Eccleſia contra Helvidium & Jovinianum quarto v
garis Æræ ſeculo conſtitutum eſt, pertinere ad fidei C
tholicæ dogmata perpetuam ejuſdem Deiparæ virgini
tem, quam etſi divinæ Scripturæ aperte non affirmare
vetuſtiſſima tamen totius Eccleſiæ Traditio ab Apoſt
uſque derivata certam faciebat. Ubi ergo par Tradit
nis Apoſtolicæ auctoritas adſit, & non potius ſt
contra plurimi Patrum: dubium nullum eſt, quin decr
divinitùs certo ſtabiliri poſſit immaculata Virginis C
ceptio, uti etiam quæ nondum ſatis certa de ipſius m
te ſive aſſumptione in cœlum feruntur; cùm utraque
terim ſit quidem Pietatis, ſed non neceſſitatis, cred
vera.

Sed jam dicat aliquis: Si certa non ſunt Eccleſiæ de
factis judicia, & error intercedere poteſt: ergo liber
nobis erit iis, dum talia proponunt, vel addere, vel
mere fidem, credere, & non credere, & omnia qu
Deo revelata fuiſſe non conſtat, in dubium revocare
ſi facere impune & jure poſſumus, quæ Hiſtoriæ Ec
ſiaſticæ pars à temerariis ingeniis jam ſibi non timea
Immo quid non timeat ipſa Religio? Nam facta quæd
oſtendere eſt, quæ quanquam à Deo revelata fuiſſe
appareat, attamen certa credenda ſunt, atque cred
tur, quorum unum præcipuè eſt, *verum eſſe Petri*
ceſſorem Clementem XI. qui tanta cum ſui gloria, & chri
ani gregis utilitate in Romana Cathedra nunc ſedet.
negare fas eſt, quî etiam fas non erit negare, & tanqu
dubia rejicere, quæ ab ipſo Pontifice in fidei & mor
doctrina ſanciuntur? Fac etiam, certò non conſta
quænam Generalia Concilia legitima ſint: eorum de
Conſtitutiones illico nutent oportebit, neque creden
erunt erroris prorſus expertes. Alia deinde incomm
coſequentur, quæ totam Chriſtianæ Religionis certit
nem, & Eccleſiæ regimen brevi ſuſque deque vertan
hæc quidem maximi momenti obſtacula ſunt, in qu
removendis operæ pretium eſt diligentem ponere cu
Ita ſiquidem omnium ſententiarum, ſed earum in pri
quæ ad Religionem ſpectant, temperanda eſt tractat
ut extrema utrinque poſita ſedulò evitentur. Hanc au
graviſſimam ſimul & difficilimam Quæſtionem Capi
quenti reſervatam volumus.

CA

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

An immediatè, an potiùs mediatè ad fidem referendum ſit credere, hunc vel illum eſſe Romanum Pontificem. Etiamſi ponas, hoc, & alia hujuſmodi facta non eſſe credenda fide ſupranaturali, hac tamen fides debetur decretis Conciliorum, & Apoſtolicæ Sedis in materia fidei & morum ab Ecclesia receptis. Evidentia Naturalis & Moralis in his caſibus ſufficit, & nos credere ac obtemperare cogit. Quàm temerarium, & pœnâ dignum revocare in dubium ejus generis effata.

A Non paucis annis recentiorum Theologorum ingenia exercet ea Quæſtio, num ad fidem ſpectet hæc propoſitio : *Hic aut ille eſt verus Romanus Pontifex.* De illa altum ſilentium apud Patres , & antiquiores Theologos. Sunt qui immediatè, ſunt etiam qui tantummodo mediatè fidei divinæ aſſenſu credendam cenſeant. Neutram ſententiam hucuſque Eccleſia, aut Apoſtolica Sedes ſuo calculo firmavit. Quare fas erit nobis quæſtionem adhuc incertam verſare , quod tamen præſtabimus eâ animi reverentiâ, quæ tam arduis & delicatis rebus debetur , ità ut Apoſtolicæ Sedi non hæc tantùm, ſed omnia noſtra humili obſequio ſubjiciamus , nullam aliam tueri ſententiam parati, quàm quæ illi placuerit , & ideo auſi argumentum iſtud pertractare liberiori ſtylo, quòd Roma nondum ſuam hîc aperuerit mentem ; & alioquin eam Pontificibus maximis eſſe mentem ſciamus, ut in omnibus veritas vincat.

Dicimus igitur, multis Recentiorum videri immediatè pertinere ad fidem effatum iſtud : *Hic aut ille homo* (verbi gratiâ Clemens XI.) *verus eſt Pontifex Romanus.* Eáque ſolet adferri potiſſima ratio : videlicet, enuntiationem particularem contineri in univerſali ; & cùm univerſalem Deus revelârit , particularem quoque à Deo revelatam fuiſſe. Ut enim omnes in Adam peccaviſſe fides nos docet, atque in hoc effato revelatum quoque exempli causâ fuit *Salomonem peccaſſe in Adam* ; ità eſt in iſto univerſali effato toti Eccleſiæ revelato: *Omnis homo ritè electus ab Eccleſia in Succeſſorem Petri eſt verus Pontifex Romanus* , cenſendum

eſt

eſt revelatum & illud particulare: *Hic aut ille eſt verus Pontifex Romanus.* Qua in re nemo non videt, quantæ curæ ſit omnibus, ut hinc nova aliqua Dei revelatio excludatur, benè ſiquidem perſpecta quilibet Catholicorum habet intoleranda incommoda, quæ ſequerentur, ſi quidquam ad vetus doctrinæ depoſitum adjungi aliquando poſſe credatur, quod non revelârit Deus, antequam utriuſque Fœderis Libri concluderentur morte Apoſtolorum.

Huic tamen ſententiæ, impedire quædam poſſunt, ne aſſentiamur. Nam primò conſtare evidentiùs deberet, ad fidem ſpectare, hoc eſt à Deo revelatum fuiſſe, integrum univerſale effatum: *Omnis homo ritè electus ab Eccleſia in Succeſſorem Petri eſt verus Pontifex Romanus.* Quale certè hìc legitur, extra controverſiam eſſe non poteſt. Ecquando enim aut in Scripturis ſacris, aut per Traditionem revelatum eſt, ab Eccleſia eligi, aut eligendos eſſe Petri Succeſſores? Imò Electores, & pleroſque iſtius electionis ritus, ipſi Romani Pontifices pro ſua prudentia ac arbitrio, & pro temporum opportunitate ſtatuerunt, ſuo jure, ſuâ auctoritate uſi. Hiſce ritibus non ſervatis, & deſideratis conditionibus quibuſdam à jure poſitivo præſcriptis, electio interdum inanis evadit.

Secundò, conſtare evidentiùs deberet, quomodo in illo univerſali effato, quod revelâſſe Deus dicitur; *Omnis homo ritè electus in Petri ſucceſſorem eſt verus Pontifex Romanus*, poſſit quoque dici revelatum particulare illud; *Hic aut ille eſt verus Pontifex Romanus.* Nam cùm iſta concluſio deduci firmiſſimè nequeat, niſi ex alio etiam effato, quo plenus conficiatur ſyllogiſmus, nempe ſi dicatur: *Sed hic aut ille ritè fuit electus*; quam propoſitionem ad fidem pertinere nemo dicit: quomodo quod inde conſequitur, pertinebit ad fidem? Certè revelatum non fuit, hunc aut illum fuiſſe priùs Baptiſmo ſacro regeneratum, ſacriſque Ordinibus ritè initiatum & ſinè vi, ſinè pretio, ſinè iniqua electorum conſpiratione electum.

Tertiò, oſtendendum foret apertiùs, quomodo nova aliqua dogmatum revelatio non admittatur, ſi credenda eſt tanquam à Deo revelata iſta propoſitio: *Hic aut ille eſt verus Pontifex.* Etenim duplex tantùm revelatio excogitari poteſt, altera, quæ reſpicit æternas veritates, & facta Dei & hominum jam conſummata, priuſquam Apoſtoli decederent; altera reſpiciens facta quædam in Eccleſia Dei conſummanda, quæ ſinè dubio prædici à Spiritu ſancto potuêre. Ad priorem revelationis ſpeciem nullatenus refe-

ratur

ratur illud effatum. Si ad alteram, oportet, ut Spiritus ſanctus prædixerit, & revelaverit, hunc virum potiùs quàm alterum à ſacris Electoribus, ritè, & ſinè errore, ſinè vitio aliquo eſſe eligendum; & tunc ex revelatione conſtabit, hunc, & non alium virum, eſſe verum Pontificem Romanum. Cùm autem conſtet, Spiritum Sanctum neque revelâſſe olim propheticè, neque nunc revelatione peculiari aperire, hunc potiùs, quàm alium in ſucceſſorem Petri fuiſſe electum, aut eligendum: idcirco neque immediatè revelata videtur enuntiatio illa (*Hic homo eſt verus Pontifex Romanus,*) neque ut certa per fidei divinæ aſſenſum immediatè credenda. Ad hæc ſi ideo ad fidem immediatè ſpectat iſtud effatum, quia revelatum fuit in univerſali effato: in immenſum abibit eorum numerus, quæ in poſterum immediatè pertinere ad fidem credenda erunt. Cur enim non revelatum quoque dicendum erit, hunc illúmve Sanctum Virum Canoni Beatorum adſcriptum, reverà in cœlis regnare? cur non & Archiepiſcopum Pariſienſem eſſe verum Epiſcopum? cur non & ſingulas hoſtias populorum adorationi propoſitas continere verum Chriſti Corpus? cur non & huic vel illi Regi legitimè electo parendum à ſubjectis populis? Et innumera alia. Certè hujuſmodi effata aliquo univerſali effato, quod Deus revelavit, & facto moraliter evidenti innituntur, ſicuti nullo negotio quiſque intelligat; certè & ex his multa credenda ſunt populis, ne debita officia negent, & ne graviter peccent. Attamen quis hæc & alia ejuſmodi immediatè per fidem credenda pronuntiet, quamvìs univerſali effato, quo innituntur, ſit immediatè ſupranaturalis aſſenſus adjungendus? Hæc igitur cùm neceſſariò conſequantur, & pendeant à facto, cujus veritatem à cœlo nequaquam edocemur, ne ipſa quidem tam certa reputanda videntur, quam certa nobis futura ſunt Evangelica dogmata.

Prætereà celebre eſt facinus Stephani VII. Romani Pontificis, qui Formoſum legitimum Romanæ Eccleſiæ Præſulem, ab univerſa Eccleſia ſuſceptum, (ejus cadavere ignominiâ & flagris affecto) è cathalogo Romanorum Antiſtitum expunxit; iterúmque Ordinibus ſacris, ut initiarentur ab eodem initiati, præcepit: eáque omnia ſolemnibus Romanæ Synodi votis firmavit. Nemo autem eſt, qui hìc non legat, falſi arceſſitam, & inanem pronuntiatam à Stephano propoſitionem illam: *Formoſus eſt, aut fuit verus Romanus Pontifex.* Ergo Stephanus aut à fide excidit, & Hæreſim è Cathedra propoſuit, aut ad fidem immediatè

illa enuntiatio non pertinebat Primùm nemo veritatis amans, & Pontificiæ dignitatis ſtudioſus dixerit; etenim Stephanus nefario quidem & inaudito ſacrilegio Petri Sedem deturpavit, ſed *in quæſtione facti, non Juris, & malo exemplo, non falsâ doctrinâ*, erravit, ſicuti ait magnus Cardinalis Bellarminus. Reſtat igitur, ut à fidei dogmatis illud effatum excludatur, & excludendum quoque ſit in poſterum. Utcumque tamen capiatur Stephani exemplum, illud certum eſt, ab aliis Romanis Pontificibus, & ab ipſa Eccleſia, neminem hucuſque tanquam Hæreticum fuiſſe damnatum hac una de cauſa, quòd credere nollet, aut negare auderet verum Romanum Pontificem hominem quempiam in ſucceſſorem Petri edictum. Id cernere eſt in tot Schiſmatum Hiſtoria, quibus afflicta fuit Eccleſia & Cathedra Romana. Quæ autem, quæſo, eſſe cauſa potuit, cur nunquam ad fidem pertinere hujuſmodi crimen, ſive errorem, nemo ſtatuerit, & nemo Hæreticis idcirco ob hoc unum fuerit accenſitus, cùm tamen ea controverſia tot motus animorum exciverit, & toties verſata ſit in ore & judiciis, tum univerſæ Eccleſiæ, tum Romanorum Pontificum; & qui negat aliquem ritè electum in Succeſſorem Petri, ipſum quoque neget eſſe verum Romanum Pontificem? Non alia utique videtur ratio fuiſſe, quàm quòd iſta quæſtio ad factum pertinere crederetur, non autem ad dogma, & immediatè ad fidem referri non poſſe.

Si dicas, ab hac cenſura ideo ſolum temperatum, quòd ritè electus nondum ab Eccleſia univerſa ut talis receptus fuiſſet: nobis perſuadere non facilè id poſſis, qui novimus tot aliis diris exceptos, tot pœnis damnatos à Pontificibus Maximis Canonicè electis, negantes impugnantéſve legitimam eorum electionem. Ut autem aliis & rationibus & exemplis hac in re parcam, ſufficere videtur Pauli IV. Pontificis Maximi ſententia: *Si ullo unquam tempore apparuerit*, (edicit ille Bullâ XIX. in Bullar. Rom. & hæc priora verba accuratè notanda) *aliquem ante ejus in Romanum Pontificem aſſumptionem à Fide Catholica deviâſſe, aut in aliquam hæreſim incidiſſe, &c. Promotio ſeu aſſumptio de eo etiam in concordia & unanimi omnium Cardinalium aſſenſu facta, nulla, irrita, & inanis exiſtat, nec per ipſius Romani Pontificis inthronizationem, aut adorationem, ſeu ei præſtitam ab omnibus obedientiam, & cujuſvis temporis in præmiſſis curſum, convaluiſſe dici, aut convaleſcere poſſit.* Igitur fieri poteſt, ut quiſpiam non eſſe verus Pontifex aliquando appareat, licèt Petri Sedem impleverit, ſibíque omnes habuerit obedientes, dum olim Hæ-

reſi addictus fuiſſe deprehendatur. Igitur ſupranaturalis fidei aſſenſus exigi non poteſt, quo aliquis credatur verus Romanus Pontifex; etiamſi ab Eccleſia univerſa receptus fuerit,quando Eccleſiam ipſam ab omni errore immunem in hoc negotio nequaquam arbitratur ipſemet Paulus IV. Atque in iſta eadem ſententia fuêre antiquiores Theologi, quanquam obiter in ea verſati. Progrediamur.

Sed quî certa per fidem credenda erunt Romanorum Pontificum decreta ad dogma pertinentia? quî non liceat eorum ſententias contemnere,eorum electionem pro lubito revocare in dubium? quî evitari poterunt ſexcenta alia incomōda, ſi certum aliquem hominem verum Petri ſucceſſorem credere nunquam jubeamur? Et hæc quidem,fateor, in cauſa fuêre, cur proximè præterito ſæculo Scholaſtici quidam Theologi efflagitare cœperint im̄ediatum divinæ fidei aſſenſum in iſta quæſtione, repudiatâ opinione minùs recentium. Niſi ità crederetur, viſa eſt ipſis nutare Eccleſia, & doctrina Catholica, quod tamen antiquiores non extimeſcebant. Verùm nihil fortaſſe hinc ſibi atq; Eccleſiæ timere debuerunt ingenia puſilla, nihilque hinc ſibi ingenia temeraria blandiri. Quanquam enim im̄ediatè ad fidē iſta referenda non ſint,ea tamen credenda eſſe dicimus vera ac certa,& ſtare nihilominus poteſt dogmatū&decretorum robur,& nihil in legitimos Pontifices audere licet.

Quod ut liqueat,ſtatuimus primò tanquam evidens,Deum revelâſſe olim,præter facta & dogmata quædam particularia,univerſales etiam quaſdam regulas atq; ſententias, quibus Eccleſia, & ſinguli homines in poſterum regerentur,tum ut credenda crederent, tum ut facienda facerent, & non facienda vitarent. Univerſales autem illæ Regulæ atq; Sententiæ à Deo revelatæ, ut uſu valeant, applicandæ ſunt factis quibuſdam particularibus non revelatis, idque fit aut à Romanis Pontificibus, aut à Conciliis, aut ab hominibus ſingulis. Applicationem faciendam tum novimus, cùm evidentia aut naturalis aut moralis nos movet; iſtáq; evidentia ſufficiens cauſa eſt, ut meritò aliquid agamus ſive credamus, imò ità credere, aut agere ſæpè cogit, ut ſecùs facientes non terrenis tantum̄odo pœnis, ſed etiam æternis ſint caſtigandi. Fides docet ac jubet, colendos eſſe parentes ac Reges legitimos; at ſimul non docet, hunc vel illum hominem eſſe certum parentem, & legitimum Regem noſtrum. Attamen quia ex evidentia morali cognoſcimus,qui ſint iſti parentes,&Reges,hujuſmodi particulari facto applicare cogimur univerſale fidei decretum, &

hunc

Digitized by Google

hunc illúmve hominem colere. Non colentes, cùm in terris, tum poſt mortem, juſta pœna manebit. Ad fidem ergo immediatè pertinere non poteſt hæc enuntiatio: *Iſte, vel ille mihi colendus eſt ut Pater, ut Rex.* Sed num obſequium iis negare idcirco liceat? Apage. Evidentia moralis ità me de peculiari hoc facto certiorem facit, ut ſinè gravi culpa atque ignominia debitam illi ſubtrahere reverentiam non poſſim, etiamſi revelatio divina de hujuſmodi facto deſideretur.

Ità & Epiſcopis noſtris, & præcipuè Succeſſoribus Petri, ſecundùm divina mandata à Chriſtiano grege parendum eſt, iiſque, & potiſſimùm congregatis in aliquo legitimo Univerſali Concilio, aut Romano Pontifici aliquod decernenti dogma, cui aſſentitur Eccleſia univerſa, credendum eſt, divinæque fidei aſſenſus huic dogmati accommodandus, prout ſanctiſſimæ Legis inſtituta præcipiunt. Nam & ſi revelatum à Deo mihi non fuerit, hunc vel illum eſſe legitimè electum, verúmque eſſe Paſtorem, aut omnes in hoc illóve Concilio congregatos, veros eſſe Paſtores: negare tamen non poſſum, præeunte evidentiâ morali, & fidem de iſta evidentia nobis faciente ſuo aſſenſu ipſamet Eccleſiâ, & populi multitudine, quin ii ſint legitimi Paſtores Eccleſiæ Catholicæ, & quin mihi aliquid credendum in Religionis doctrina proponant. Noluit Deus, tot particularia facta prædicere, aut identidem ſuâ revelatione aperire. Rationi, & conſcientiæ noſtræ uſum dimiſit univerſalium ab ipſo revelatorum, quæ, cùm evidentia poſcit, applicaremus particularibus factis. Itaque iſta facta conſcientiæ noſtræ ſatis per evidentiam nota certáq; fiunt, ut nulla ſit excuſatio peccati, ſi propterea obſequi & credere nolimus Paſtoribus noſtris. Alioqui, ſi divinam revelationem ubiq; neceſſariam putamus; & cùm deſideratur, fas eſt negare fidem ſalutari doctrinæ, obedientiam præceptis, obſequium Majoribus: jam non Eccleſia ſolùm, ſed univerſi mundi Reſpublicæ evertentur: imò nihil credere cogemur, & pejores quàm Academici & Sceptici erimus. Nihil enim eſt, quod ab aliquo facto minimè revelato aliqua ex parte non pendeat, eíque conjunctum non ſit: idq; etiam in Religionis Catholicæ œconomia adverti poteſt. At propterea à credendo, atque agendo non excuſantur homines.

Exempli causâ neque revelatio, neq; Eccleſia certos nos faciunt tot ſacrarum Scripturarum editiones typis procuratas per Epiſcopos ſingulares aut Doctores orthodoxos purum putum continere verbum Dei, & omnibus carere

mendis:

mendis: quæ tamen menda efficere dubium, & immutare etiam divinorum Librorum ſenſum poſſunt: Num idcirco nobis licebit fidem negare documentis inibi propoſitis? Nequaquam. Documenta ipſa divinæ Scripturæ immediatè nobis non ſolent proponi à Deo, aut à Conciliis univerſalibus, h.e. aut à veritate ipſa, aut à veritatis cuſtodibus falli neſciis, quos nunquam auribus noſtris audivimus, ſed quidem à ſingulis Epiſcopis, Parochis, aliiſque hominibus errori obnoxiis. Num ſatis id fuerit, ut aſſenſum fidei ſupranaturalis quiſquam neget doctrinæ, per hoc hominum genus propoſitæ, cùm ipſam doctrinam immediatè audire non poſſimus à Deo, aut à Conciliis Paſtorum non errandi prærogativa donatis? Minimè ſanè. Neque certum eſt divinâ certitudine, hunc illúmve Librum eſſe fœtus, ſive SS. Patrum, ſive Epiſcoporum, non confictos, non interpolatos: idque Eccleſia ipſa ità ſtatuere nequit, ut ad fidem pertineat. Cùm tamen ex his fontibus Traditionem Chriſtianæ doctrinæ educi contingat, quis factum hoc utì minimè certum cauſari audeat, ne Traditioni ipſi, quæ inde derivatur, toto intellectûs obſequio adſentiatur? Certè qui rem accuratè examinet, inveniat, non Traditionem tantùm, ejúſque monumenta, ſed Codices etiam divinæ Scripturæ, quos nunc habemus, certiſſimíque ſumus germanos eſſe Prophetarum & Apoſtolorum Libros, à ſerie factorum quorumdam pendere, quæ nobis per divinam fidem certa non ſunt. Præterea nunquam ad fidem ſpectare poterit, Epiſcopos, è quibus generale Concilium conflatum fuit, ſacro Baptiſmate, ſacris Ordinibus ritè fuiſſe initiatos, & corde hæreſim non confoviſſe. Quis nihilominus eum ferat, qui Nicæni aut Tridentini Concilii decretis morem gerere, & ſupranaturalem fidem eorum Canonibus accommodare nolit, adeò levi in medium excuſatione prolatâ? Alia id genus perſequi non lubet.

Si ergo iſta facta non revelata minimè impediunt, aut impedire poſſunt, quominus Chriſtianæ doctrinæ, Conciliis, & Traditioni firmiſſimum fideì aſſenſum demus: cur neceſſe putabimus ad fidem referre enuntiationem illam; *hic aut ille eſt verus Romanus Pontifex*, quaſi liceat obedientiam Romanis Pontificibus, & obſequium negare definitionibus de dogmate ab Eccleſia univerſa receptis, ſi ad fidē immediatè non ſpectet ejuſmodi effatum? At, inquiant ii, qui aliter ſentiunt, quomodo divinitùs certiſſima ſint, ut non paucorum ſententia habet, decreta Rom. Pontificis, niſi divinitùs quoque pro certiſſimo credendum ſit, hunc

illumve eſſe verum Romanum Pontificem ? Quo
(nos quoque reponere poſſumus) per divinam fide
dendum eſt, hunc aut illum eſſe verum Pontificem
mum,niſi per eamdem fidem credatur, hunc aut ill
iſſe rite electū in ſucceſſorem Petri, & Baptiſmate, &
Ordinibus rite olim donatum,&nunquam cum Hæ
ſenſiſſe; aut etiam poſt maximum munus adeptum
reſim non declinaſſe, quod fieri poſſe ſimiliter pleri
firmant? Sed his prætermiſſis,hoc ſibi reſponſum ha
Neceſſe eſt,dogmata fidei certiſſima credere,atque o
perare Maximis Pontificibus,quanquá eodem aſſen
ſit neceſſe eos credere veros Pontifices Maximos, &
credere tot alia facta, de quibus nuper egimus. U
dogmata per fidem amplectamur,certáque credamu
ficit, ut facta illa,& legitima electio Romani Pontifi
bis per moralem evidentiam innoteſcant. Conficit
tem argumentum iſtud *Quidquid à Deo revelatum e*
rum certumque eſt ; & quidquid per evidentiam nobis co
Eccleſia & à Romano Pontifice cum Eccleſia receptum a
tum fuiſſe tanquam revelatum à Deo , certum quoque nob
dem divinam futurum eſt. Sed per evidentiam nobis
Eccleſiam , & Romanum Pontificem cum Eccleſia , hoc
dogma recepiſſe , ſive ſtatuiſſe tanquam revelatum à Deo
id certum nobis eſſe debet per divinam fidem. Et revera c
beamur à Deo credere Chriſtianam Doctrinam,
ipſo revelata , & ab Eccleſia & à Romanis Pontific
mul cum Eccleſia aſſerta fuit : cur poſt tantam aſſe
hujuſmodi evidentiam ea dogmata credere noli
cur adhuc dubitare velimus ? cur ſalutem noſt
periculum adducere non credendo ? Sibi neget, ſi
conſcientia noſtra, Eccleſiam, aut Romanum Pon
iſta recepiſſe , aut decreviſſe. Neget , hunc eſſe
Pontificem Romanum, rite electum, rite ablutum
matis lavacro , nunquam hæreſi addictum; hos v
Libros eſſe germanos ſanctorum Patrum fœtus;ho
ve Concilium è Catholicis Epiſcopis legitime co
Hæc adeo evidenter conſtant,(quamvis per revela
divinam non conſtent) ut jure nemo negare velit
ſit. Et qui iſta negare, aut in dubium revocare licit
putat,non eſt cur negare etiam non poſſit ac velit pl
alia certiſſima & evidentia in hoc hominum rerúm
porario ſtatu : quod tamen quantum á recta ration
buſq; divinis atque humanis abhorreat, non eſt me
tendere hominibus ratione utentibus. Regitur hom

Digitized by Google

vita variis evidentiæ generibus Qui eis adverſatur, aut demens eſt, aut temerarius, & pœna dignus, ſi in re cœcutiat, quæ in publicum malum, aut in Religionis, ſuæve privatæ ſalutis perniciem vergat. Hinc abjiciendæ cavillationes, & diverticula, dolo malo, & ſine ratione quæſita. Credendum, faciendum, fugiendum eſt, quod Deus per Eccleſiam nos credere, facere, ac fugere docet, ſi nobis cordi eſt æterna vita & conſcientiæ quies.

Evidentia autem, ut dixi, alia eſt naturalis, alia moralis. Utríque interdum id roboris eſt, ut ſi aliquod effatum negemus, quod non ex revelatione divina, ſed ex evidentia ſolùm conſtet, negemus ſimul aliquod effatum & dogma à Deo revelatum. Poſteaquam, exempli gratiâ, evidentia naturalis me certum fecit, hunc aut illum eſſe hominem: ſi inficiari velim, ipſum illum peccaſſe in Adam, non poſſum, quin ſimul negem effatum ad fidem pertinens, hoc eſt omnes homines in Adam peccaſſe. Aut ergo me delirum, aut impium prodam, ſi hoc affirmare, illud negare pergam. Hoc patere poteſt in aliis ſexcentis exemplis, tum quod eſt ad licitè agendum, tum quod eſt ad neceſſariò credendum. Igitur qui has evidentes enuntiationes negare audeat, etiamſi non immediatè, mediatè tamen fidei dogmata lædit; ac illud præſertim, quod Chriſtus peculari providentiâ ſuam regit Eccleſiam eique non deeſt in neceſſariis.

Quod ſaltem eſſe extra omnem dubitationis aleam mecum omnes cenſeant, illud eſt: Si quis Romanum Pontificem pacifice electum, pacifice regnantem, & ab univerſa Eccleſia receptum, non credat verum Romanum Pontificem, eique idcirco obſequi & obtemperare nolit juſta præcipienti, hac una excuſatione fretus, quod non ſit certum, ut aiunt, de fide, illum eſſe verum Romanæ Eccleſiæ Antiſtitem: homo tam temerarius utpote gravi crimine obſtrictus meritò coercendus erit ſeveriſſimis pœnis, & communione Eccleſiaſtica privandus. Eadem dicas de legitime habito Concilio. Etenim, quamvis fidei aſſenſu immediate credere legitimum hoc eſſe Concilium, nullo Eccleſiæ decreto cogamur: cogimur tamen propter manifeſtas fidei regulas Concilio generali ab Eccleſia recepto morem gerere, & fide divinâ credere dogmata ab eo definita, cùm evidentia ſimul ita agendum præſcribat, & ſatis conſcientiam noſtram ab errore tueatur, & ad credendum impellat. Hinc juſtis caſtigationibus repreſſi olim Theologaſtri quidam fuêre, qui, cùm ab Apoſtolica Sede damna-

tum iri præſentirent nonnullas ſuas abſonas à doc
Chriſti ſententias, ſperârunt aut Romano Pontifici t
rem ſe incuſſuros, aut fruſtraturos damnationem, ſi
Theſim evulgarent ac propagarent : *Non eſt certum d
hunc numero Papam eſſe verum Pontificem Romanum.* R
dum planè, & perquam temerarium conſilium, quo S
mati præludatur, & omnia Eccleſiæ tribunalia eludar
quaſi aliunde evidenter non conſtet, qui ſint veri Po
ces Rom. & quaſi fatendum ipſis quoque non fuiſſet,
unam ſufficere evidentiam, ut Romani Pontificis, & C
ciliorum decretis atque auctoritati parere deberent, ſ
tholici eſſe ac dici vellent.

Alia ſunt facta, quæ in Eccleſia Dei conſtituta fuêre
quam certa, & conſtitui adhuc poſſunt, quibus etſi ad
gendus non eſt ſupranaturalis fidei aſſenſus (non enim
referre inter dogmata licet,) nefas tamen ſit non amp
& non credere vera; & qui credere ſive amplecti rec
Hæretici cordis ſuſpicionem non levem contra ſe ex
bit, aut ſaltem ſeveritate legum ad meliorem ſenten
pertrahendus erit. Hujuſmodi ſunt ea omnia, è qu
dogmatum unitas, & conſervatio pendere videtur. E
pli causâ, nunquam Eccleſia conſtituere poterit, tanc
fidei dogma, hos illóſve Libros Hieronymo, Augu
Chryſoſtomo, aliiſque Patribus eſſe adſcribendos. I
tamen novimus & credimus evidentiâ edocti, quæ &
ſtoteli, & Ciceroni, & Virgilio, aliiſque, Libros tribue
eſſe edicit. Sublatâ hac evidentiâ, nefas non eſt de ge
nis hujuſmodi Librorum auctoribus dubitare At qui
tra evidentiam fidémque antiquitatis Libros à Pat
conſcriptos ſuſcipere & deoſculari nollet, compelle
foret, pœnis etiam gravibus, ad opinionem hanc ex
dam. Ii ſiquidem Libri divinæ atque Eccleſiaſticæ T
tionis promptuaria ſunt, eorúmque veritas & conſer
mirum in modum conducit, Evangelicæ doctrinæ
ſervandæ atque explicandæ.

Similiter nunquam certiſſimum de fide, ut ajunt,
privato cuicumque homini, ſe abſque omni prorſus
ris periculo intelligere verba Libróſque Conciliorum
Sanctorum Patrum. Attamen, ubi is evidenter cogno
ſe eorum ſenſa intellexiſſe, quouſque aliter ab Eccleſia
edoceatur, certam credere debebit doctrinam, quam
verbis & Libris communi & conſtanti calculo aſſe
contineri cognovit. Tandem inter fidei dogmata
quam referre licebit, hunc illúmve hominem Hæreti

Digitized by Google

eſſe aut fuiſſe, puta Arium, Lutherum, Calvinum. Nemo tamen inter Catholicosità inſanit, ut id genus homines, Libris ſuis, & Eccleſiæ totius conſenſione damnatos, negare velit, aut credere nolit à fide vera devios, quod ſibi per divinam revelationem non conſtet, eos Catholicæ doctrinæ reverà fuiſſe adverſatos. Id aliunde apertiſſimè conſtat, hoc eſt ex ipſa rerum evidentia. Hujuſmodi autem facta ad judicium ſpectant Eccleſiæ, Maximorúmque Pontificum, & aliorum etiam Epiſcoporum, nullúmque dubium eſt, quin iis judicantibus reverentia maxima debeatur. Reverentia, inquam, maxima, & aſſenſus humilis, non autem divina fides. Nam & iſta judicia nihil aliud reſpiciunt, quàm facta à Deo minimè revelata; quare neque per ſe immutabilia ſunt, neque ab omni prorſus erroris periculo immunia.

CAPUT XIX.

In Judiciis Eccleſiaſticis tria conſideranda, nempe doctrina, perſona ſeu intentio docentis, & voces, ſeu phraſes, quibus doctrina exprimitur. In doctrina damnanda ſive probanda, eſt ab errore immunis Eccleſia; non autem in judiciis de perſona. An judicia Eccleſiaſtica de vocibus & ſenſibus ſupranaturalem fidem poſtulent. Tum ſolùm poſtulare videntur, cùm ad fidei doctrinam aut ſtatuendam aut defendendam neceſſarius eſt in Eccleſia Spiritûs ſancti afflatus, & cùm de Traditione colligenda è Patribus, & de ſenſibus Canonum, & de verſionibus ſacræ Scripturæ agitur.

NE tamen in judiciis Eccleſiaſticis, de quibus nuper facta eſt mentio, ſuſcipiendis atque penſandis fallamur, utiliſſimum puto animadvertere, diſtinguenda ibi ſemper tria eſſe, nempe *doctrinam, perſonam docentis, & voces ſeu verba, quibus doctrina exprimitur.* Sub nomine doctrinæ venit id, quod ſignificatur quibuſdam vocibus, verbis, ac phraſibus, iſtáque doctrina judicari poteſt ſana aut perverſa ab Eccleſiaſticis judicibus. Quod cùm Eccleſia facit, certum eſt errorem intercedere non poſſe, tum quia fieri non poteſt, ut Eccleſia Dei in dogmate fallatur, & Chriſti pro-

miſſa irrita efficiat; tum quia ſententiam de re profert, quã à Deo ipſo dicit ſive in ſacris Literis, ſive per antiquiſſimam Traditionem. Ideo immutabilia ſunt ex inſtitutione Chriſti, & ex natura ſui, quod eſt ad hanc partem, Eccleſiæ judicia, meritóque à Catholico grege ſupranaturalis fidei aſſenſum exigunt.

Perſona docentis tum judicari dicitur, cùm judicium fertur de mente animóve illius, qui doctrinam quampiam tradidit. Sacrorum judicum & hìc habent locum jura, non ità tamen ut eorum ſententia (quod eſt ad hanc partem) nulli mutationi, nulli errori obnoxia ſit. Humano more, humanis legibus, atque ſucceſſu iſta peraguntur. Ut enim vetus habet regula, Eccleſia non judicat de internis. E ſolis autem externis, quantum fieri poteſt, interna judicantur. Fieri igitur poteſt, ut qui prava ſcripſit, aut pronuntiavit, rectè animo ſenſerit; nam & qui rectè ſentiunt, non rectè ſemper loquuntur, aut diſputant, & cor interdum aliud credit, cùm os ex ſimulatione aliud pronuntiat; ſicuti & qui à veritate aberrant, ſæpè errorem ſuum verborum ambiguitate obtegere ſolent. Præterea multi ex infirmitate intellectûs in errores labuntur, non ex pertinacia voluntatis; & cum errore ſuo conjunctam habent debitam erga Eccleſiæ judicia reverentiam, prompti abjurare quidquid noverint ab Eccleſia damnatum, & amplecti quidquid illa conſtituat. Hi ſanè inter certiſſimos Hæreticos non ſunt computandi, quanquam eos utì Hæreticos Eccleſia de externis judicans ritè damnaverit. Quæ autem plena firmitas eſſe in hoc genere poteſt Eccleſiaſticis judiciis, dum occultam feriunt mutabilémque hominum voluntatem ac mentem, & dum interdum è vivis ſublatos anathemate & diris feriunt, nullam ſuæ mentis rationem reddituros? Neque verò quidquam probri aut periculi in Eccleſiam venit, ſi hìc erretur. Ad doctrinam Chriſti, in qua certè ſtatuenda errare nequit Eccleſia, non ſpectant hujuſmodi facta, hoc eſt, hunc aut illum auctorem privatum ejus erroris eſſe reum, de quo accuſatur aut rectè ſcripſiſſe, cùm ſecùs animo ſentiret. Sive hoc ille ſenſerit, quod illi Eccleſia tribuit, ſive non ſenſerit, ſtat ſemper Catholica doctrina, erroréſq; in illo homine confixi nunquam deſinunt eſſe errores, quanquam ab iis fortaſſe abfuerit ille, quem Eccleſia damnavit.

Nil igitur mirum, ſi utí quibuſdam exemplis ſuprà oſtendimus, hujuſmodi judicia iterum inſtitui, & retractari & mutari Eccleſia patiatur. Imò cuicumque modeſtè curanti,

ranti, ut auctorem quempiam damnatum ab erroribus purget, ſuccenſere Eccleſia minimè conſuevit; cùm ſuæ eſſe pietatis ducat, omnibus filiis ſuis quocumque tempore locum vindicandæ innocentiæ relinquere, dummodo ſcandala evitentur, & qui patroni munere funguntur, non ſententias auctoribus tributas, & ab Eccleſia proſcriptas, tueri, ſed auctores tantummodo ab erroribus, quibus inquinati credebantur, liberare contendant. Sic Origenem, Theodoretum, Abailardum, Gotheſcalchum, Abbatem Joachimum, alióſque, in ipſis etiam Generalibus Conciliis damnatos, ſacrilegium non fuit pro viribus tueri. Atque utinam nullum verè Hæreticum unquam habuiſſemus. Quoſdam contrà aut abſolutos, aut innocentes proclamatos, re melius compertâ, novis percutere cenſuris in more fuit. Illuſtria ſunt, & hùc revocari jure poſſunt Innocentii III. verba in Cap. à nobis de ſententia Excommunic. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur,* (in definitionibus nempe factorum, nam quæ ad dogma & fidem ſpectant, veritate divinâ jam revelatâ innituntur,) *quam & fallere ſæpè contingit & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſticâ ſit ſententiâ innodatus.* Attamen quamdiu error manifeſtè in ſententiis Judicum non appareat, & quamdiu non conſtet Judices fuiſſe deceptos: Ratio poſcit, ut inviolata ſint & veneranda vel hujuſmodi judicia. Quiſquis levi de cauſa & futili aliquâ ſuſpicione ductus ea amplecti nolit, Eccleſiæ, Romanorúmque Pontificum auctoritati ſanctiſſimæ obſiſtit, & gravi ac juſtâ caſtigatione plectendum ſe præbet. Sunt & ex his definitionibus, quæ immutabiles, certæque evaſerunt, non quidem propriè ex Eccleſiæ auctoritate, ſed ob nimiam rerum evidentiam, publicámque Hæreticorum pertinaciam, qualem qui in Joanne Hus, Hieronymo Pragenſi, Luthero, Calvino, aliiſque ejuſmodi Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus non videt, mente oculíſque cœcutiat, neceſſe eſt.

Ad voces venio, verba, phraſes, formáſque dicendi, quibus uti ſolent homines ad explicandam doctrinam ſuam, eámque transferendam de ſua in aliorum mentem. Et iſtas omnino neceſſarium videtur à doctrina diſtinguere; nam aut pravo conſilio, aut ex ignorãtia poſſunt homines ſub orthodoxis locutionibus perverſas celare ſententias, & rurſus orthodoxas hæreticis vocib. cõveſtire. Cognoſcere

autem, & judicare, quid ſonent voces phraſes, fo
quæ dicendi, eſt cognoſcere, quis earum ſit ſignific
& ſenſus: qui itidem ſenſus, cùm ſententiam d
námve continere & ſignificare poſſit aut orthodoxa
hæreticam, pius propterea & ſanus, aut impius & p
ſit appareátque ipſe quoque, neceſſe eſt, nihil conſid
Scriptoris mente. Quærimus igitur, an Eccleſia decer
qualis ſit, & utrùm Catholicus, an Hæreticus alicuj
bri non divini, ſive alicujus dicti, ac propoſitionis ſe
falli unquam poſſit, & ſítne illius judicio hîc adjung
ſupranaturalis fides.

Et quidem graviſſimæ rationes occurrunt, quæ hi
am divinæ Chriſti Sponſæ immunitatem ab errore
riſve periculo tribuendam eſſe admoneant. Illud
primò conſtat, Eccleſiæ Paſtores, non ex arbitratu cer
que ſuo, neque divinando (quod in phyſicis ac pro
Hiſtoriis fieri interdum ſolet), ſed ex Traditione maj
de Scripturarum ſenſu judicare debere, & Chriſti d
nam exponere, atque adeò controverſias in dogmat
dirimendas ſecundùm ea, quæ jam à Pontificibus I
mis, Conciliis, & ſanctis Patribus hucuſq; accepimus.
res quanquam confirmatione non egeat, nobis tam
Vincentii Lirinenſis viri graviſſimi auctoritate conf
dâ *Catholicorum hoc proprium*, inquit ille, *depoſita ſanc*
Patrum & commiſſa ſervare, damnaréque profanas novi
Ità enim in Concilio Epheſino omnium Patrum una fuit vo
quod erat antiquitùs traditum, teneretur; quod adinve
nuper, exploderetur. Superiùs verò Apoſtoli vocem inte
tans, dixerat: *Depoſitum, id eſt, quod tibi creditum eſt*
quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti
non ingenii, ſed doctrinæ; non privatæ uſurpationis, ſed
tionis publicæ; rem ad te perductam, non à te perlatam; i
non auctor eſſe debes, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator
ducens, ſed ſequens, &c. Unde autem colligi poteſ
tus iſta neque novitia divinarum Scripturarum inte
tatio, & Chriſtianæ Doctrinæ explicatio, niſi è Conc
rum, Romanorum Pontificum, ſanctorúmque Pa
monumentis ac Libris? Et rurſus quî ſine errore c
poterunt hujuſmodi interpretationes; quî novis Ca
bus priſca ſtabiliri doctrina, ſi falli Eccleſia poteſt in
quendo ſenſu Canonum antiquorum, Librorúmq;
tribus lucubratorum, quî certa erit doctrina, ſi ſe
verborum, ſub quibus doctrina latet, ſine errandi peri
Eccleſia nequit educere? Immò neceſſe videtur,

fo

Digitized by Google

ſolùm Librorum & Canonum ſenſum,ſed mentem quoq; & internum Sanctorum Patrum Conſilium in iis vocibus ac phraſibus uſurpandis, Eccleſia cognoſcat atque intelligat. Nam etſi ab errore abeſſent Eccleſiaſtici Judices in intelligendo ſenſu verborum, adhuc dubitandum reſtaret, num reverà id ſancti Patres exprimere voluerint, quod eorum voces ac verba ſonant, cùm fieri poſſit, ut quæ homines animo ſentiunt,& per verba apta prodidiſſe ſibi videntur, aliter ſonent,ac ipſi velint, aut aliter à lectoribus intelligantur. Ad hæc, niſi certiſſimum ſit Eccleſiæ judicium, dum de verborum ſenſu judicat, quomodo profanas vocum novitates tutò declinabit? Neque firmo decreto comprobare ipſa potuiſſet vulgatam, ſeu Latinam, exempli gratiâ, ſacrarum Scripturarum Translationem, & palam edicere, nihil inibi contineri, quod Verbo Dei adverſetur, nihil, quod Græco aut Hebræo Archetypo non reſpondeat. Alia incommoda omitto,aut nunquam,aut vix evitanda, ubi dicamus, intercedere poſſe errorem in Eccleſiaſticis judiciis de ſenſu Librorum, vocum, & phraſium.

Verùm ſuis quoq; iiſq; moleſtiſſimis difficultatibus ejuſmodi ſententia laborat, affirmans,nulli errori obnoxiâ Eccleſiam, de alienorum Librorum ſenſibus judicantem. Nam hujuſmodi judicia feruntur in facta quædam non revelata, in quibus nulla ab errore immunitas Eccleſiæ Dei promiſſa fuit. Et ipſam quidem Eccleſiam novimus divinarum Scripturarum interpretem, falli neſciam, à Deo conſtitutam; reliquorum autem Librorum interpretem pariter certiſſimam non novimus. Neque porrò ipſamet conſuevit divinum aſſenſum hujuſmodi judiciis vindicare. Quanquam Honorii I. Romani Pontificis Literæ in Oecumenica Synodo VI. tanquam hæreticis ſententiis ſcatentes proſcriptæ fuerint, non defuêre tamen Catholici ſubinde viri, qui Literas illas ab hujuſmodi nota liberare, & Orthodoxas oſtendere non dubitârunt. Iſta de cauſa nemo hucuſque ſuccenſuit, aut diem dixit præſtantiſſimis Scriptoribus Baronio & Bellarmino Honorii Patronis. Noſtris autem temporibus quanquam tot animorum ſeditiones excitârit quinque Propoſitionum damnatio *in ſenſu à Janſenio intento*, & poſtrema hanc in rem habeamus Clementis XI. Pontificis Maximi oracula, nondum tamen ſancitum apertè fuit, ſpectare ad fidem (quod eſt ad Janſenii ſenſum) Romanæ Sedis ſeu Eccleſiæ totius alioqui venerandam ſententiam.

Digitized by Google

Equidem in hoc arduo negotio, utì & in aliis ejuſ
illud in primis càvendum reor, ne miracula ſinè nece
multiplicentur, h. e. ut tum ſolum in Eccleſia mira
divinúmque afflatum, & ſupranaturalem opem adi
mus, cùm vera neceſſitas id poſcit ad tutelam Cath
Doctrinæ, & ad avertendam Religionis pernici
proponendis dogmatis, & profligandis erroribus.
neceſſitas abſit, non video, cur ſponte velimus exco
miracula in iis caſibus, in quibus ſe extraordinario
lio adfuturum eſſe non eſt pollicitus divinus Spiritu
inde cavendum, ne defenſione noſtrâ Eccleſiæ ex ſe ſ
ſimæ noceamus: quod tum fieri poſſet, ſi illa ei priv
tanquam neceſſaria tribueremus, quæ poſteà caſus a
ei defuiſſe oſtenderet: quâ opinione noſtrâ Eccleſia
ſam ludibrio ac telis inimicorum improvidè atque i
tè exponeremus. Quamobrem videndum eſt, an r
neceſſum ſit, ut Eccleſia Dei, ſicuti in dogmatibus p
nendis, & in ſacris Scripturis interpretandis, ità &
brorum non hagiographorum ſenſu aſſequendo
omni errandi periculo divinitùs ſecura. Quid hac in
hi probabile videatur, afferam, humillimum ſempe
ſententiam meliorem obſequium præfatus.

Et primò, Eccleſiam, interpretantem verba & ſe
Canonum, Librorùmq; à ſanctis Patribus conſcripto
ut ſanam inde Chriſti doctrinam hauriat, diſtingue
vat ab eadem Eccleſia interpretante ſenſa & verba p
torum hominum, ut ea vel abſolvat, vel damnet. S
dò, duæ conditiones conſiderandæ ſunt in Oecon
Chriſtianæ Doctrinæ, quarum altera ad Eccleſiæ Pr
pertinet, altera ad Chriſti fideles, utraque neceſſaria
ut Paſtores rectè proponant; iſta, ut populi rectè cre
& credere debeant dogmata propoſita. Prima conditi
ut tunc ſolùm ſe ſervandos ab omni erroris pericul
munes Eccleſiæ Paſtores in proponenda cœleſti doc
ſperare & credere poſſint, cùm debitam fidem & dilig
am ipſi adhibebunt in colligenda ipſa doctrina è
Scripturis, Conciliis, Patribus, aliíſque Traditioni
cleſiaſticæ monumentis. Quæ Concilia huic mun
debito defuêre, quanquam initio congregata fuerint
mis auſpiciis, Conciliabula evaſêre, ut de Synodis A
nenſi, Epheſinâ Latrocinii, aliíſque exploratum habe
Quapropter tum Epiſcopi in Conciliis, tum Pontifice
ximi judicaturi, cùm lis eſt de dogmate, non pro ſuo
que ingenio, ſuiſve affectibus, ſententiam ferre de

Digitized by Google

ſed qualem Traditio diligenter explorata ſuppeditat. Tum verò diligenter explorata Traditio dicitur, cùm ex Patrum, Theologorum, & Conciliorum documentis, Epiſcopi evidenter intelligunt, an doctrina quæpiam tradita, an potiùs improbata à Majoribus noſtris fuerit. Qua in re evidentia moralis & requiritur, & ſufficit, qualem prudentes viri in aliis humanæ vitæ graviſſimis negotiis ſequuntur, ut aliquid prudentiſſimè credant, aut non credant. Ubi præceſſit iſthæc evidentia, neque vis, aut pravi affectus interceſsêre, ad ſententiam Eccleſiaſticam certus eſt greſſus; eàque doctrina, quæ tum proponitur, divino aſſenſu à ſingulis Chriſti fidelibus credenda eſt vera, atque germana cœli doctrina. Impletâ enim conditione, quæ ex parte Paſtorum exigebatur, ſua quoque promiſſa Chriſtus implet, & adeſt Petri Succeſſoribus, Conciliiſque Generalibus, ne à ſalutari veritate aberrent.

Altera conditio, Chriſti fideles reſpiciens, ea eſt, ut unuſquiſque, ſtatim ac ſibi perſpicuum atque evidens ſit, ejuſmodi definitionem à legitimè habitis Conciliis ſummiſve Pontificibus idipſum cum univerſa Eccleſia ſentientibus, vel olim, vel recenter, prodiiſſe, iis fidem adjungere debeat ſupranaturalem. Evidentia moralis & hìc locum habet, credendíque neceſſitatem imponit. Nam quoties aliquid à Deo revelatum fuit, ídque per Eccleſiam minimè fallacem conſtat reverà fuiſſe à Deo revelatum: cur diutiùs ſuſpendere velimus fidem noſtram? Perſpectum habemus, credenda eſſe quæcumque dogmata habet vera Chriſti Religio. Si cordi nobis eſt æterna ſalus, & grave ſcelus effugere animus eſt, iis habenda eſt plena fides, ſimul ac evidenter innoteſcit, eadem pro dogmatibus ab Eccleſia proponi, tergiverſatione omni, cavillationibúſque ſubmotis. Eodem modo, uti diximus, etiamſi ex revelatione divina notum nobis non ſit, Romanos Pontifices, aut ſingulos Conciliorum Patres legitimè electos, baptiſmate ſacro ablutos, ab omni hæreſi alienos fuiſſe; aut privatos homines, Parochos, & Epiſcopos, à quibus ἀμέσως ea dogmata Plebi Chriſtianæ tradi ſolent, aut falli aut fallere non potuiſſe, atque alia id genus: ab iis tamen dogmatibus credendis abſtinere non licet, ubi moraliter evidens ſit, à legitimis Paſtoribus legitimè propoſitam fuiſſe Chriſti doctrinam. In reliquis humanis negotiis & credimis, & agimus; & niſi agamus, meritò interdum punimur, ſolâ evidentiâ morali præeunte, mentémque noſtram movente: cur in omnium maximo negotio æter-

æternùm increduli eſſe, & moras ad credendum
velimus? Num omnia ſuo ore ſingulis nobis è cœlo
re debet Deus? num omnem quæſtionem per mirac
dentia dirimere? Præcepit ille, ut Eccleſiam audire
qui Apoſtolos, eorúmque Succeſſores Epiſcopos
Chriſtum audit, ut ipſemet ait Lucæ X. 16. Igitur, u
ſcientiæ noſtræ patuit, quid de Chriſtiano Dogma
tima Romanorum Pontificum & Conciliorum, & I
auctoritas decrevit, id fortiter credendum; & nolle
re, aut inſani, aut hæretici hominis erit

His poſitis, ſi petatur, an Eccleſia falsi poſſit in
gendis ſenſibus & verbis ſacrorum Canonum, &
rum Patrum: reſpondemus, ipſam falli non poſſe, p
in iis expendendis curam debitam, & ſinceritatem a
it, & evidentiam moralem ſecuta eſt. Quam tamen
nitatem ab omni errore tum ſolùm tribuimus
de colligenda Traditione cœleſtium dogmatum a
non autem in aliis rebus & factis neutiquam revelat
Chriſti promiſſis neceſſariò fluit. Nam ſi Chriſtus
am ſuam à ſalutari veritate dogmatum nunquam
ram pollicitus eſt, uti aperte ſcimus pollicitum fuiſ
ſuper ſi Dogmatum & Scripturarum vera interpret
que definitio haurienda eſt è ſanctorum Patrum, Co
rúmque præcedentium documentis, uti hauriend
conſtat, neceſſe eſt, ut Eccleſiaſtici judices hujuſmo
numenta eorúmque ſenſus intelligere ſine errore p
quoties conditionibus ſibi impoſitis rite defunct
Nam qui doctrinam ſanam ac veritatem in Eccle
Chriſtus ſervet, & quo pacto Paſtores tutò ipſam co
ant, & ab hæreticis deliramentis tueantur, ſi erran
culum ſubſit, vel poſt diligens Patrum examen, & e
tiam compertam, & proſcriptos ſeculi affectus?

Peculiare igitur ſancti Spiritus auxilium neceſſa
eſſe dicimus Eccleſiæ, dum ejus Paſtores monumen
ditionis fideliter & ſedulò conſulunt. At illud ade
neceſſarium eſſe nequaquam dicere audemus in ſi
rum Patrum Libris & ſenſibus examinandis, atque
pretandis, vel cùm Traditio inde hauritur. Spiritu
ti ope, inquam, indigent & donantur Eccleſiæ Ma
cùm collective è ſanctorum Patrum Libris dogm
tunt; non autem id certum, cùm ſingillatim de un
que Patre judicant, ejuſque ſenſa exponunt. Parac
id videatur, nam poſtquam dedimus Conciliis & Ec
tanquam neceſſariam immunitatem ab errore in in

Digitized by Google

tandis omnibus,aut pleriſque Patribus collectivè ſumptis, ſi rurſus in intelligendis ſingulis falli ii poſſunt, errori quoque obnoxia ſit eorum auctoritas oportet in interpretandis omnibus, aut pleriſque Patribus; univerſalia enim è ſingularibus conſtant, & ſingularium infirmitas in univerſalia quoque tranſit.

Attamen mirari deſinent,quicumque ſecum animo volvant certiſſimum illudCatholicæ Eccleſiæ effatum: nempe ſingulos ſanctos Patres, & ſingulos privatos Præſules in doctrina Chriſti explicanda & tradenda, firmum veritatis argumentum præſtare non poſſe; & contrà,omnes,aut pleroſque in aliquo dogmate, & in ſacrarum Literarum expoſitione concordes,quod eſt ad fidem & mores, ſolidiſſimum atque divinitùs certum ſuppeditare veritatis argumentum. Nempe ſinguli, quanquam ſummâ veneratione digni, errare tamen potuerunt, cùm peculiari Spiritûs ſancti inſpiratione ſingillatim ſumptus caruerit in ſuis conſcribendis Libris, & quibuſdam phraſibus ac verbis adhibendis. At omnes ſimul ſumpti errare nequaquam potuerunt; Eccleſiam quippe ipſi illi ſimul conſtituerant,quam nunquam in errores lapſuram pollicitus eſt Chriſtus. Deinde non quòd aliquis Vir ſanctus hoc illúdve ſenſerit,ejus ſententia ſufficit ad ſtabiliendum aliquod Chriſti dogma, neque uno illius dicto niti Conciliorum judicia debent; ſed opus eſt ſtatuere & credere, quod omnes, aut plerique Patres & rationes, & alia Traditionis legitimæ documenta ad ità credendum impellunt. Quapropter,quamvìs in quibuſdam Oecumenicis Conciliis, & plerumq; à dogmaticis & Polemicis Theologis, loca ſanctorum Patrum afferuntur in confirmationem ſacrorum dogmatum,&Eccleſiaſticarum ſanctionum;eorum tamen ſingillatim ſumptorum ſenſus ad fidem non pertinet,neq; divino aſſenſu credendum eſt,ſingula ea verba &phraſes eum continere ſenſum,quem Epiſcopi &Theologi intelligunt.Sed interdum eâ,quâ par eſt reverentiâ,aliter aliqua interpretari licet,intactâ ſemper veritate doctrinæ.Id inter Theologos eruditione non minùs, quàm ſinceritate conſpicuos fieri ſinit Eccleſia. Et in Oecumenica Synodo VII. ut alias Synodos prætermittam,occurrere ex his nonnulla poſſunt, utì, exempli gratiâ,minus aptè adhibitus eſt ad firmandum Imaginum cultum S. Baſilii locus, ubi ille de Filio Deo loquitur,perfectâ & integrâ Dei Patris imagine. Nam quod de rationibus jam diximus,de effatis quoq; SS.Patrum dicendum eſt, quibus dogmata ſtabiliuntur atque probantur.

Pluri-

Plurimas tum rationes , tum ſacrarum Literarum
trum ſententias, Concilia, & Rom. Pontifices ſemp
bent,& congerunt,cùm dogma quodpiam ritè decer
Sunt autem inter iſtas multæ invictæ, & ab impiit ta
aut dementibus in controverſiam adducendæ ; ſunt
probabiles tantùm, & veriſimiles, quæ tamen invice
bur ſibi dant,& accipiunt ; & aliæ quoque interdu
ſunt animadverti,quæ nihil ad rem propoſitam facia
Iſta verò omnia ſimul conjuncta eam dogmatis ac T
tionis moralem evidentiam præſtant, quæ neceſſaria
Eccleſiaſtici Judices prudenter & tutò de doctrina cr
da ſententiam ferant. Qua in re patet,nihil novi à De
revelari,nullúmq; novum factum divinitùs ſtatui ; ſ
vinam opem tantummodo adeſſe, ut quod jam ante
latum fuerat, tunc à Judicibus ſinè errore deprehenc
atque ut ab examine religiosè ac ſapienter inſtituto ,
evidentia morali , omnis umbra humanæ fallaciæ a
tur, etiamſi ad fidem ſingula ea facta, ſingulæ Patru
terpretationes minimè ſpectent. Et profectò Dei prov
tiæ ejúſque promiſſis, pro Eccleſiæ Catholicæ & doc
veræ incolumitate jam factis , tribuendum neceſſa
hujuſmodi patrocinium,non autem in omnibus etia
gularibus. Eodem etiam modo ad peculiarem Dei
dentiam pertinet,ne omnia ſacrarum ſcripturarum
plaria,aut omnes ſanctorum Patrum libri in mundo
ant,ne omnes Epiſcopi in Synodis, ne omnes ſancti
in dogmatis exponendis errent ; non autem pertin
ſingula etiam Scripturarum , aut Patrum exemplari
ventur,atque ut ſinguli Epiſcopi,ſinguli ſancti Patre
quam in doctrina fidei hallucinentur.

Ex alia autem regula,quàm anteà ſtatuimus,certu
unumquemq; fidelium, ſimul ac evidenter cognovi
ma aliquod ab omnibus,aut pleriſque Patribus trad
ſentire ſtatim, illúdque amplecti debere , etiamſi nu
cleſiæ definitio præceſſerit. Si contra conſcientiam &
ligentiam ſuam hìc ille agat,& contraria tueri velit,a
ditare incipiat,facilè ſe præbebit,aut puniendum au
cendum tanquam temerarium. Et nullum quidem
niter conſtitutum eſt Eccleſiæ Catholicæ dogma , q
videnter anteà non apparuerit in Patrum ſcriptis,at
aliis Traditionis Eccleſiaſticæ præcedentibus monu
memoriæ mandatum. Id cernere eſt in Conciliis Eph
Chalcedonenſi,Conſtantinopolitano II. III. &IV. In
ranenſi ſub Martino, in Florentino, & cæteris ferè on

ubi è Traditione Patrum omnia ſanciuntur Id in Epiſtolis Maximorum Pontificum, Cœleſtini, Leonis, Gelaſii, Hormiſdæ, Vigilii, Gregorii, Agathonis, & aliorum deinceps. Pelagianam peſtem Julianus tuebatur quibuſdam peſſimè intellectis Patrum locis. At Auguſtinus à ſe ſtare, h e. cum Eccleſia Catholica ſentire antiquos Patres in lib 1. & 2. contra ipſum Julianum accuratiſſimè demonſtrat, & Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, Chryſoſtomum, Hieronymum ſuæ ſententiæ faventes adfert. Sæculis autem proximè præteritis, quibus Socinus, ejúſque gregales, Myſteria vel omnium auguſtiſſima in dubium revocârunt, Arminianis ſubinde à tanta temeritate parum abludentibus, lis intentata eſt Nicæno Concilio, illiúſque decretis de vera divinitate Verbi credenda, quaſi hæc vetuſtioribus Patribus (ſi Superis placet) aut ignota, aut etiam improbata fuerit. Verùm ab hujuſmodi calumniis ità nunc liberata eſt Nicæni Concilii fides curâ hominum eruditorum, ac præcipuè Georgii Bulli, cui licèt à Catholicorum comunione alieno multum tamen laudis debetur, ut jam nemo nõ videat trium priorum ſæculorum Patres atque Scriptores cum Nicænæ Synodi Patribus in ea ſententia apertè conſenſiſſe. Hanc itaq; evidentiam cum omnibus receptis Eccleſiæ Catholicæ dogmatis atque definitionibus perpetuò conjunctam, hanc, inquam, Patrum Traditionem atq; concordiam facilè unuſquiſq; per ſe deprehendat, ſi fideliter ac accuratè veterũ monumenta perpendat, ídq; ſatìs eſſe poteſt, ut ſinè alio Eccleſiæ decreto iis dogmatis Chriſtiani adjungere aut tutò poſſint aut debeant fidem. Sed iſtam Traditionem evidentiorem, & divinitùs certam Eccleſia deinde facit, dum dogmata ipſa ſtatuit. Neq; dubitare ampliùs licet, quin Patrum chorũ Eccleſia probè intellexerit, & ſinè errore ſenſa illorum interpretata fuerit, quando certum eſt, illi divinum Spiritum non deeſſe, dum Traditio ſincerè colligitur, & doctrina à Majoribus tradita definitur.

Ad judicia ergo de ſenſu Canonum quod attinet, ſi agatur de generalib. Conciliis, aut etiam de particularibus ab Eccleſia tota probatis: videre neſcio, quî admittenda non ſit (vel quando ſingularium Canonum interpretationes fiant) in legitimis Eccleſiaſticæ doctrinæ Judicibus eo ab errore im̃unitas, quæ illis certè eſt, dum ſenſus ſingulares Bibliorũ & collectivè ſanctorum Patrum ſenſus exponunt in fidei & morum doctrina. Cùm ſingularia hæc monumenta certiſſimas contineant Evangelicæ veritatis ſanctiones, neceſſe

ceſſe eſt, ut ad earum ſenſus intelligendos opem c
Deus ne promiſſa Chriſti fruſtrentur, & ne in ne
Eccleſia deficiat. Reliquorum Conciliorum Cano
gulares,quos Eccleſia ritè nondum probavit, etſi a
tate & pondere præſtare ſoleant ſingulorum Patru
ptis, attamen non aliâ lege eorum ſenſa intelligun
que explicantur, quàm quâ ſingulorum Patrum Li
trobique ſimiles rationes atque argumenta militan

In intelligendis & comprobandis verſionibos ſa
Scripturarum neceſſe itidem eſt,ab errandi pericul
ſit Eccleſia. Ideóque Vulgatam Latinam, quam Tri
Synodus authenticam renuntiavit, non venerari,
vinæ veritatis fidam interpretem cenſere, piaculur
non quòd ſingulorum verborum ac phraſium uſ
verſione probanda divinitùs Eccleſiæ revelatus fu
quòd eam verſionem poſt tot ſæculorum, & Eccle
& eruditorum conſenſum atque conſilium, eviden
cumenica Synodus deprehenderit iis abundare do
quæ ipſam perſuadeant & reliquis Latinis verſ
præſtare, & fideliter reddere divinum verbum,eru
in doctrina ſana fidelibus neceſſarium. Decreto p
tam evidentiam prudenter concepto quin adfuerit
divinum Numen, dubitare nos vetat non una co
tio. Et neceſſe ſanè eſt,ut Latinæ Eccleſiæ ſit aliqua
unde Paſtores & populi petere veram ſacrarum Lit
doctrinam poſſint. Nam Græcè & Hæbraïcè pleri
ſciunt, & porrò ſcire nequeunt. Quænam ergo
quam hæc authentica, & fida & ſinè fraude ac depr
ne facta verſio, ſi eam ne poſt accuratiſſimum quid
men Eccleſia ſinè periculo errandi ſtatuere poteſt?
reà divini Verbi interpres legitima à Deo conſtit
Eccleſia, & tot hucuſque ex ipſa habemus decreta
Verſionis ſenſibus innixa, ad erudiendos in vera
tholicos. Porrò iſta Eccleſiæ auctoritas, atque ejus
ſuſpicione erroris laborabunt, quando certum n
eam à Deo regi, ità ut in aſſequendis verſionis
ſenſibus minimè decipiatur. Divina autem prov
cùm ſapientiſſima & potentiſſima ſit, ubi finem a
voluit, opus eſt, ut media quoque neceſſaria ad
nem conſequendum ſuppeditârit. Parco aliis int
dis incommodis, quæ ſequerentur, ſi Verſionu
præſertim Vulgatæ, ſenſus certò intelligere non p
cleſia dicatur.

Cæterùm,utì dicebamus, non ità ſtatuendum e

Digitized by Google

gula vulgatæ Verſionis verba, immo omnia ejuſdem puncta, & commata, exiſtimanda ſint divino calculo confirmata, & quòd generali conſtitutione ipſam verſionem Synodus Tridentina probârit; quam nonnullorum opinionem piam potiùs, quàm prudentem & veram putamus. Nam nulla vitia in ea verſione deprehendi poſſe, nihilque illic haberi, quod aut Græcis aut Hæbraicis Codicibus penitùs non reſpondeat, qui affirmare velit, aut in hujuſmodi eruditione planè ſit hoſpes oportet, aut nimio zelo rapiatur. Hos errores, ſi ità appellare placet, hæc menda, & háſce qualeſcumque diſcordias à Græcis aut Hæbraicis Libris, immo inter ipſa exemplaria Latina, ſæpè notârunt viri Literarum ſcientiâ præſtantes, Theologi, & Catholici, & in ipſa arce Religionis Roma; neque ignorârunt ipſi Tridentini Patres Itaque authentica in iis ſolùm proclamata vulgata Verſio, quæ ad fidei & morum doctrinam faciunt, in quibus dignoſcendis & conſtituendis inconcuſſa ſunt legitima judicia Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis. Reliqua diſſimulata ſunt, & eruditorum arenæ relicta, utpote non neceſſaria; neque enim in ſenſibus,rebúſque minimè neceſſariis ſtatuendis divinam opem ſibi tribuit Eccleſia.Proinde ea tantùm mens Tridentinis Patribus fuiſſe videtur, ut vulgata Verſio ſinè erroribus & fidelis eſſe credatur in doctrina ad fidem & mores pertinente; & ſapientiſſimè decretum eſt, eam in diſputationibus, & concionibus publicis, & ſacris myſteriis adhibendam eſſe, tutóque adhiberi poſſe, reliquis verſionibus poſthabitis, in quibus tales prærogativas non agnoſcit Eccleſia. Verùm ne alias quidem improbavit verſiones, quæ bonâ fide concinnatæ fuerint, & quantùm fieri poteſt, veritatem originalis textûs & Traditionem doctrinæ veræ exprimant; multóque minùs Hebraicos Codices, & LXX. Interpretum verſionem exploſit. In hanc rem præter Sixtum Senenſem, Andream Vegam Melchiorem Canum, Genebrardum, Marianam, Serarium, Bonfrerium & alios, conſulendus eſt doctiſſimus Cardinalis Pallavicinus Lib. 6.Cap.17. Hiſt. Conc.Trid.

CAPUT XX.

Eccleſiaſtica judicia de privatorum hominum Libris, & Senſibus, ad fidem pertinere minimè videntur. E doctrina in iis aut probata, aut damnata, fide ſup rali credenda. Ipſa illa judicia quandonam certa credenda ſint, quanquam non aſſenſu divinæ fidei hic Diſciplina præcipiat. In Janſenii cauſa quid p dum.

ATque hactenus de Eccleſia interpretante verba ſes, & ſenſum tum Canonum, tum Librorum conſcripsêre ſancti Patres, cùm de Traditione coll & ſalutaribus dogmatis ſanciendis agitur. Reſtat, ut ſibus Librorum aut dictorum agatur, quorum a fuerint privati homines, aut Hæretici, aut alii ab proſcribendi In his utique judiciis quantâlibet ev & curâ peractis, quantumlibet ſuſpiciendis ac vene eamdem ipſam peculiarem divini Spiritûs open non arbitror, quam in ſanciendis dogmatis Eccl buendam eſſe credo. Potiſſima hujus aſſerti ratio non omnibus ſuæ Sponſæ judiciis ſe præſto futuru ſtus pollicitus eſt: ſed iis tantummodò, quibus con da eſt, explicanda, ac proponenda ſalutaris doctrin tas, & eliminandi errores. Hujuſmodi verò judicia torum hominum verbis ac phraſibus non doctri ſpiciunt, ſive ſanam, ſive hæreticam, ſed ſolos ve ſenſus ſuapte naturâ mutabiles, aut intelligibiles arbitrium atq; opinionem mortalium. Mutabiles ſunt, & æquivoci interdum, tum in Patrum, tum i ciliorum monumentis verborum ſenſus. At cùm ſit, illinc petere Traditionem, verámque doctrina ceſſe quoque eſt, ut Deus Eccleſiæ adſit ſenſus illo pretanti, eámque ab errore tueatur, quando ipſam tuit columnam & cuſtodem veritatis. A verbis au phraſibus Scriptoris alicujus, hominíſve privati, ne gnitio, neque conſervatio Catholicorum dogmatu det. Jam aliunde ſancita ſunt, aut ſanciri debent do & ſecundùm illa expendendi ſunt eorum Libroru ſus, non autem ſecundùm ſenſus eorum Libroru

expendenda dogmata. Hoc eſt: quia ope divinâ certò Eccleſia cognoſcit, quid Canonum & Patrum verba ſonent, doctrinam fidei ad eorum ſenſuum normam conſtituit At contrà ideo de Librorum privatorum ſenſibus Eccleſia judicat, quia ipſos jam conſtitutæ doctrinæ aut adverſantes aut conſonos animadvertit. Igitur, etiamſi Eccleſia in hujuſmodi Librorum ſenſibus intelligendis falleretur (quod tamen accidiſſe, niſi evidenter contrarium pateat, numquam à piis fidelibus putandum eſt,) non ideo periclitaretur doctrinæ veritas, non ideo Eccleſiæ prærogativa in dogmatis ſtatuendis quidquam læderetur.

Ubi ergo conſtat (conſtare autem facilè poteſt) quam doctrinam probare aut damnare velit Eccleſia, dum effatum quodpiam privati alicujus hominis probat, aut damnat: neceſſe eſt, ut integro animi & cordis aſſenſu eam cum Eccleſia amplectamur aut abominemur doctrinam. Nulla deinde eſt neceſſitas, ut eodem etiam aſſenſu fidei credamus effati illius verba reverà ſonare & ſignificare id, quod Eccleſia probat, aut damnat, nóſq; cum illa probamus ſive damnamus. Certè non apparet, cur dicendum ſit ſpectare ad fidem peculiare hoc factum. Non illud olim revelavit Deus, ne nunc quidem Eccleſiaſticis Judicibus opus eſt, ut revelet, aut ſaltem ut extraordinarium conferat auxilium, ne in aſſequendo eorum verborum ſenſu erretur, quando ſive ea Auctoris verba id ſignificent, ſive non ſignificent, ratum certúmq; ſtat de doctrina Eccleſiaſticum judicium, & Chriſtiano gregi evidenter conſtare poteſt, de qua doctrina judicium tunc fuerit pronuntiatum. Id ex obvio verborum ſenſu facilè agnoſcitur. Si dubius & æquivocus eſt ille ſenſus, ipſum per alia verba explicare & determinare ſolent Eccleſiaſtici Judices, uti pluribus exemplis confirmari poteſt, donec fidelibus evidenter innoteſcat, quam doctrinam aut configere, aut commendare tum velit Eccleſia. Ità in Janſenii negotio dum Rom. Cathedra, aut Eccleſia congregata explicet (ſi opus eſt, meâ tamen ſententiâ non eſt opus) atque ſtatuat, quem ſenſum, & quam doctrinam ipſa damnavit, damnatámque velit in V. Propoſitionibus Janſenio tributis: dogma fidei tunc in tuto erit, atque errori præcludentur viæ, neque ulla neceſſitas ampliùs erit, credendi ſupranaturali aſſenſu, eamdem illam damnatam doctrinam in Janſenii verbis atque intentione fuiſſe, cùm id ſcire, aut credere, neſcire, aut negare, merum tantummodò factum reſpiciat, à quo doctrina fidei nequaquam pendet.

Sed alia quoque ſuppetit ratio,quare ad fidem pe
non poſſint Eccleſiaſtica de privatorum hominum
verbis, ac ſenſibus judicia. Hominum verba æquiv
diximus,plerúmque ſunt tum ex inſtitutione popol
tum ex uſu ſcriptorum,metaphoris aliíſque tropis
um.Non unus itáque,ſed diverſus plerúmq;iis ſenſ
eſt.Neque impedire Eccleſia poteſt, quominus alien
æquivocationibus ſcateant, & æquivocos ſenſus p
Neque hoc impedire miraculorum ope Deus volui
vult,cùm ſatis ipſi ſit facere,ne in interpretandis ex
diſq; divinis Libris,& colligenda Traditione, & pro
da vera doctrina, errare poſſint legitimi Eccleſiæ C
cæ judices.Hinc eſt, quòd Eccleſia ita ſtatuere non
unum quempiam ſenſum verbis alicujus Libri, ſiv
poſitionis ineſſe,ut alius ſenſus ſubeſſe nó potuerit,
ſit;quanquá ſimul ac ſtatuit, quodnam dogma ſub i
bis ac ſenſibus claudi ipſa arbitretur, ipſúmq; damn
bitandum ampliùs non ſit, quin rectè & ſine errore
natū illud dogma fuerit Experientia ipſa his ſuffra
Certè Eccleſia enumerationes eaſdem ſecundùm
ſenſus acceptas,nunc adprobavit,nunc improbavit
dem omninò verba módò adverſata eſt, modò am
prout ipſi viſa ſunt ſignare aut pravam aut rectam
ná.Ita celebris illa theſis: *Chriſtus eſt unus è Trinitate,ſi*
de Trinitate paſſus eſt,ab Hormiſda Romano Pontifiçe
Catholicis rejecta primò fuit, quòd ejus ſenſus ad
chianam Hæreſim accedere crederetur,& ab ipſa ſig
ri,divinam naturam humanis doloribus ac infirmit
fuiſſe obnoxiam. At ſubinde eamdem theſim uti Ca
cam recepêre Joannes II.& Vigilius Romani Pontific
q;Oecumenica Synodus V.cùm nempe in Catholico
accepta fuit,& credita veram Eccleſiæ Catholicæ ſen
am ſonare,atq,exprimere. In Synodo Antiochena v
Homauſion Epiſcopi complures proſcripſêre, in ſenſu
Samoſateni acceptam,Nicæni verò Patres in ſenſu C
lico conſecrârunt,Ita& tempus fuit,quo variæ circa
nationem ſententiæ ſecundùm varias illarum intelli
as malè aut benè ſonabant,Cùm Pelagii Literæ,ac Co
Libellus de gratia Dei coram Zoſimo & Romana Sy
lectus fuiſſet,*Libellus ille Catholicus dictus eſt*,uti ſcribit
guſtinus Lib.2.ad Bonifaciū Papam Cap.7.ita ut Zoſ
pro fama utriúſque Hæretici ſolicitus,non ſine aliq
dignatione ipſos purgârit apud Africanos Patres,inq
Ep 4. *Eſt-ne ullus locus,in quo Dei gratia,vel adjutorium p*
m

miſſum ſit ? Verùm Palagius nomine gratiæ non peculiare Dei donum animæ infuſum, ſed legem, doctrinam, exempla Chriſti, aliáq; externa adminicula intelligebas. De hoc ſenſu monitus Zoſimus ab Africanis Patribus, adprobatos antè libros, eorúmque Auctores anathemate feriit, ab Eccleſia ejecit. Multus ſim, ſi alia in hanc rem exempla congerere velim quibus videas, in aſſequendis privatorum Librorum, verborúmque ſenſibus tam certa non eſſe Eccleſiæ judicia, ut divinam fidem exigant, cùm tamen in eiſdē ſemper ſit divinitùs certiſſimum de doctrina judicium.

At inquiat aliquis: Ergo, ſi erroribus obnoxia eſt Eccleſia in damnandis privatorum Librorum ſenſibus, nullam hujuſmodi judiciis fidem habere debebimus. Ergo liberū erit unicuíque, aliter eoſdem Libros, & privatorum hominum dicta ac verba non ſecundùm Eccleſiæ interpretationem, ſed pro intelligentia ſua, explicare, adeo ut ſuperflua quoque dici poſſint hujuſmodi decreta. Ergo fruſtrà tot ictibus Apoſtolica Sedes percuſſerit reluctantes adhuc Janſenianorum reliquias, immò parum æque præceperit, ut V. Janſenii Propoſitiones in ſenſu ab eodē Janſenio intento proſcriptæ, non ore ſolùm, ſed corde etiam à fidelibus ejurentur. Ita argutentur quidam, ſplendidâ in ſpeciē, ſed fallaci planè ac temerariâ conſecutione. Dicimus igitur, nō exigi certè, ut divinæ fidei aſſenſu credamus, hominem quempiam ab Eccleſia, ſive ab Apoſtolica Sede, tanquam Hæreticum damnatum, reipſa talem quoque eſſe in conſpectu Domini Dei, cujus unius eſt hominū corda ſcrutari; aut revera alicujus Libri, ſive Auctoris verba id ſonare, quod damnatum ab Eccleſia fuit, eúmque habere ſenſum, quem Eccleſia ipſis tribuere videtur. Fieri poteſt, ut ex aliis monumentis poſt judicium primum detectis, & ex diligentiori locorum. verborúmq; collatione ille qui anteà pravè ſentire putabatur, in recta ſententia fuiſſe poſtea deprehendatur, ejúſque verba commodiùs & accurasiùs explicata, ab impietate liberentur. Quod quoties ſecundùm germanas Criticæ regulas, & ſincero patrocinio præſtetur, neque ab Eccleſia, neque ab eruditis moleſtè ferendum eſt. Major enim cura veritatis, & chriſtianæ caritatis habēda, quàm proprii judicii, quando ejus naturæ judicium non eſt, ut neceſſariò veritas cum ipſo conjuncta incedat: quod in Eccleſiaſticis de doctrina, ſeu dogmate, judiciis rite peractis ſemper fieri, eſt apud nos exploratū Ex adverſo etiam contingere poteſt, ut re meliùs explorata atque diſcuſſa, qui Auctor, qui Liber anteà ab Eccleſia aut probatus

aut abſolutus fuerat, malè ſenſiſſe, & hæretica
continere poſteà noſcatur,& æquiſſimè tandem da
Ex hac regula Ibæ Epiſtolam, atque Theodoreti
quæ in Concilio Chalcedonenſi cenſuram Patrun
rant, eorum auctoribus Catholicæ communioni
deinde Oecumenica Synodus V execrata eſt, i
ſententiis atque erroribus ſcatere deprehenſa
anathemate perculit. Rurſus Honorium Roman
tificem Oecumenica Synodus VI. Hæreticis acce
júſque Epiſtola ad Sergium tanquam impia proſc
veritati & æquitati ſuus perpetuò futurus eſt loc
que poſt tantum antiquitatis conſenſum ego ne
auſim (parcant Baronius, & alii) quin anathem
Honorio fuerit;ſed cum Baronio,Bellarmino,& a
tendere & nos poſſumus, Honorium malè reverà
ſiſſe de Chriſti voluptatibus, neque Hæreticum
iſſe. Reſtat adhuc illius Epiſtola. Nihil ibi doctiſſi
occurrit,quod conſideratâ temporum & rerum c
ne, verum referat Monothelismum, hominémq
impia tradentem. Quare damnatam in Honorio
nam nos quidem execramur; at Concilii ſente
Perſona & Scriptis Honorii certè ſuſcipiendam,
omnino certam cenſemus, quod & quamplurimi
cenſuêre, ſcriptíſque prodidêre, plaudentibus er
Eccleſiâ,atque Apoſtolicâ Sede poſt tot annos neq
improbante illorum conſilium. Video,in magnis
bus verſari, qui Epiſtolam illam meritò fuiſſe da
evincere conantur, & Baronium atque Bellarmin
ſua ſententia componere voluit.

Cæterùm, quotieſcumque Eccleſia, aliquem au
rem aut Librum poſt plenam cauſæ cognitionem
vit,& illius mentem,iſtius ſenſum,quantum fieri
humanis,accuratiſſimè inveſtigavit, & conceptis v
adhibita diligentia, & de ſenſu proſcripto monuit
confirmatâ ſententiâ priore, & improbato illius
ſive libri patrocinio: tantum roboris tum Eccl
judiciis accedit,ut iis non acquieſcere, & adhuc ac
non temeritas tantùm, ſed ſcelus ſit, idque n
Veneranda ſemper ſunt Apoſtolicæ Sedis & Eccle
de his rebus judicia. Attamen tolerare interdum
ſolet ac poteſt, ut damnatis Auctoribus, Libriſ
ſcriptis modeſta & humilis defenſio præſtetur Me
amat ſuos habere innocentes, quàm reos, & qu
priùs ritè judicaverit ſecundùm allegata & proba

hilominus æqui deinde bonique facit hujuſmodi etiam patrocinia, utpote quæ interdum veritati proſpicere, ſemper caritate abundare poſſunt. Verùm poſtquam Eccleſia nulli diligentiæ pepercit, & patronos nihil ſolidi afferentes, immo cavillationibus tantùm cauſam agentes, ſilere juſſit novis decretis, humillimè parendum eſt. Et non divina quidem, ſed pia fides, & non oris tantùm, ſed & animi reverentia eſt his adhibenda judiciis.

Ad leges diſciplinæ, quæ interdum tutelam ſuſcipi reorum ſinit, pertinet etiam noſtræ ſententiæ æquitas. Tum Eccleſiæ intereſt aperire, tum fidelium cognoſcere, qui ſint Hæretici, hoc eſt homines Catholicæ Fidei vel voce vel ſcriptis adverſi, & qui ſint Libri ſenſibus perverſis, & errorem ſpirantibus contaminati, ut vera Chriſti doctrina incolumis in congregatione fidelium ſervetur, & omnis errandi cauſa auferatur. Utramque peſtem vitandam eſſe ſcimus è Chriſti ejúſque Apoſtolorum imperio, ne, ut ait Apoſtolus 2. ad Tim. 3. 13. *Mali homines, & ſeductores, & errantes, in errorem nos mittant.* Porrò ex inſtitutione divina Paſtorum eſt, ſcilicet Epiſcoporum, ac potiſſimùm Apoſtolicæ Sedis, lupos hujuſmodi detegere, & venenata paſcua removere. Ipſorum eſt judicare, quid ovibus fugiendum ſit, quidve ſequendum. Igitur ſinè crimine, ſinè temeritate negari obſequium, & pia fides non poteſt hujuſmodi judiciis, ubi diligentiſſimo examine legitimi judices cauſam verſavêre, ubi ſtatutum eſt, nullius ponderis eſſe adhibitas in patrocinium perſonarum, atque Librorum, orationes. Cur enim temerarium non ſit, privatam ſuam opinionem ſolemni Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis, h. e. judicium à Deo conſtitutorum, ſententiæ præponere in re tanti momenti? Niſi his decretis humiliter & ex animi ſententia obtemperandum, atque acquieſcendum eſt, ſique retractari iſta judicia poſſunt, quanquam adeò exquiſitè peracta: quandonam conſtabit, qui ſint Hæretici nobis ejurandi, quæ ſint verba malè ſonantia, qui ſenſus impiam doctrinam referentes? Quotidie non acquieſcendi, non obtemperandi cauſas nectemus, atque intereà Hæretici fruſtra damnati bacchari pergent, eorúmque Libri ſenſibus perverſis infecti doctrinam perverſam animis pervicacibus aut incautis legentium inſtillare non ceſſabunt. Quem quæſo judicaturum de ſenſibus verborum, de mente Scriptorum ampliùs appellabimus, quando Eccleſiam, Concilia, & Chriſti Vicarios auſcultare nolimus, à quibus tam ſolemni judicio hæc etiam cauſæ pars & contro-

 verſia

verſia dirempta eſt? Utique non ſunt è cœlo exſ
Angeli, ut his quæſtionibus finem faciant. Nun
parendum eſt?

At, inquiunt, nos doctrinam ab Apoſtolica Sede,
clesia damnatam damnamus; non enim illic erro
xia eſt Eccleſia Chriſti Sponſa. Hanc autem do
verbis & phraſibus illius Libri contineri; eámq
hominis menti reverà inſediſſe, neque divinitùs c
Eccleſiâ, neque jure nos ad credendum cogere po
lentium præ reverentia adhibebimus. Majora præ
ceſſum non eſt Nam qui certos nos Eccleſia de re il
quam ipſa certò non cognoſcit, & in qua judicanc
poteſt? Verùm argutiis talibus Eccleſiæ mandata
nefas eſt; & qui iis utitur, Fidei quidem leges ſ
perſpectas prodit, diſciplinæ autem prorſus igno
mirum diſciplina præcipit, ut his etiam judiciis r
ctis animum piè fidelitérque ſubmittamus. Cor
futura eſt præ omnibus Catholica Doctrina: ergo
nandi, qui illam corrumpunt voce, ſcriptis ergo d
da ſcripta & ſenſa, quibus ex Eccleſiæ ſententia
tur malè ſana doctrina. Cujuſnam verò eſt, niſi E
rum, & præcipuè Romani Pontificis, juridicè de
qui ſint iſti Auctores nobis execrandi, quíve Libri
& Phraſes veneno infecta? Recta igitur ratio doc
præ aliis Auctores, Libróſque eſſe à nobis dam
quos Eccleſia per juridicam & ſolemnem ſententiâ
navit, & damnandos mandavit. Itaque huic dam
quiſque fidelis corde & ore ſubjicere ſe debet, & i
ne erret in obſequendo, timorem deponere. Feren
non ſunt ii Janſenii Epiſcopi olim Iprenſis aſſeclæ,
celebre ac repetitum ab Apoſtolicâ Sede; & ab Ec
niverſa receptum Janſenianæ cauſæ judicium cec
lunt & obſequi, & quorum nonnulli ſub ſpecie tue
ſenii & vindicandi à nota hæreſæos impacta, non
ejus perſonæ, ut conſtat, hujus controverſiæ peri
ipſius doctrinæ, errores damnatos defendere &
non dubitârunt, Summis Pontificibus, Epiſcopis
que Eccleſiaſticâ ac ſæculari auctoritate contempt
igitur iraſcantur, ſi diſciplinæ ſeveritatem in ſe ex
tur, qui Diſciplinæ Legibus à Deo temerè adve
Fieri non poteſt, ut gravem Hæretici cordis ſuſpi
non ingerant, dum tanto molimine deploratam
cauſam tuentur. Nam quod eſt ad noviſſimum C
tis XI. Pontificis Maximi decretum; nihil æquiu

mari potuit, quàm cùm ſtatuitur, *non ore ſolùm, ſed & corde rejici ac damnari ab omnibus Chriſti fidelibus debere damnatum in V. Propoſitionibus Janſeniani Libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, nec aliâ mente, animo, aut credulitate formulæ Janſenianæ condemnationis ſubſcribi licitè poſſe.* Jure (utì diximus) exigere à Fidelibus Eccleſia poteſt, ut Libros, hominéſve à ſe damnatos damnent. Quis autem mentis compos, & veræ Theologiæ gnarus, ſibi perſuadeat, licere aliquid ore damnare, illúdque ipſum intereà corde amplecti? Iſta linguæ & animi diſſenſio ullíſne poteſt ratiunculis dealbari, atque excuſari?

Quod autem Apoſtolica Sedes in Janſenii cauſa nunc exigit, non nudius tertius exigi cœptum eſt, ſed ab ipſis Eccleſiæ incunabulis invaluit. Ubi quempiam Hæreſis Eccleſia damnavit, tum continuò præceptum eſt, ut illum omnes pro Hæretico haberent, atque ut ſaltem Eccleſiæ Miniſtri ipſum diſertis verbis execrarentur. Formulæ etiam, ſive fidei Profeſſiones fuêre conſtitutæ, quibus ſubſcribendum erat, utì poſt Janſenianam controverſiam actum pariter fuit. Qui hóſce Hæreticos, eorúmve ſcripta ejurare noluerunt, tum de Hæreſi ſuſpecti, tum Hæretici (ſi evidentia maxima ſuberat) & ipſi proclamati ſunt. Unius Theodoreti exemplum memorâſſe ſufficiat. In Chalcedonenſi Concilio Actor. 8 tergiverſabatur ille, nolebâtque Neſtorio ſtatim anathema dicere. Poſt varias interpellationes, minitati ſunt Patres ſe pro Hæretico ipſum habituros, niſi in Hæreticum Neſtorium anathema apertè pronuntiaret. Tum ille ampliùs non cunctatus, paruit, & orthodoxè ſentire ex hac profeſſione creditus fuit. Cæterùm ſequenti ſæculo iterum in ſcenam Theodoretus rediit unà cum Iba Edeſſeno, ac Theodoro Mopſueſteno in celebri trium Capitulorum cauſa. Scripta iſtorum, tanquàm à recta fide abhorrentia damnavit Synodus V Oecumenica, reluctantibus pleriſque Africæ & Iſtriæ Epiſcopis, Chalcedonenſis Concilii incolumitati tunc immeritò paventibus, qui & indè pernicioſum Schiſma conflârunt, cùm alioquin omnes in doctrina fidei conſentirent. Sed ejus Concilii judicium, cui primùm reluctatus fuerat Vigilius, ratum tandem ipſe habuit, aliique deinceps Romani Pontifices, ac ſucceſſu temporis immutabile ſtetit. Tum verò inexcuſabiles habiti, qui eidem judicio ſubſcribere noluerunt, & pœnis ac cenſuris compulſi ſunt ad ſubſcribendum. Quamvìs enim, utì vidimus, ad fidei dogmata non pertineat Perſonarum, Librorúmque

rúmq; damnatio, attamē ad diſciplinæ leges ſpecta
& exigere, ut & hujuſmodi judiciis reverenti anim
mili aſſentiantur fideles, eóſq; niſi obſequantur, te
tis, ſcandalíque crimine meritò poſſe damnare, cùn
plinæ contemptum & perverſæ doctrinæ ſuſpicion
depellere iſti non poſſint, ſi Libros & Auctores ſole
iterúmque damnatos damnare recuſent. Ad ejuſd
ciplinæ auctoritatem referendum eſt, compellere
deles ad piè credendum & fideliter obſequendum
aliis factis à Deo quidem minimè revelatis, ſed m
evidentibus, & ut talibus ab Eccleſia ritè judicatis, è
Doctrinæ Catholicæ ſtabilitas, & morum regime
dammodò pendet. Talia habeto qui ſint legitimi
ſores Petri, legitimi Epiſcopi, ac Reges; quæ ſint
menica aut probata Concilia; quæ Decreta indul
manorum Pontificum; quæ germana Patrum ſcri
quid interdum reverà ſentiat aliquis ex Patribus;
cœlitum albo ſit adſcriptus, & alia ejuſmodi, in
modò majorem, modò minorem reverentiam po
poterit Eccleſia pro majore aut minore rerum cer
ne atque evidentiâ, pro graviori aut leviori nec
ad ſervandam unitatem atque doctrinam, & ad a
dos errores. Uno verbo, hujuſmodi factis, à Deo q
non revelatis, ſed tamen cum dogmate connexis,
dentiam præferant, demens ſit, & nonnunquam
tetur Hæreticus, qui credere & obtemperare noli
ambigua & dubia appareant, adhuc præſtat E
ſententiam ferenti, utpote judici divinitùs ad nos
dos conſtituto, quàm infirmo noſtro ingenio, pi
jungere fidem, ne ob timorem incerti & minimè p
loſi erroris in crimen certum incurramus, quale pr
eſt in tanto diſcrimine aut corrumpendæ doctrinæ
ſcindendæ unitatis, obedientiam Præpoſitis noſtr
tionem pro nobis Deo reddituris, pervicaciter d
re. Atque hactenus de judiciis Eccleſiæ in fac
ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinenti-
bus, atque à Deo non
revelatis.

* * * *
* * *
* *
*

CAPUT XXI.

In Profanis artibus, Scientiis, ac Hiſtoriis magna Ingeniorum libertas. Sed & hæc ab Eccleſia tunc coërcenda, cùm per eas ſententias aliqua ex parte læditur fidei doctrina, aut ſacroſanctæ Litteræ erroris ſivè mendacii ſuſpicione aſperguntur. Sublato hujuſmodi periculo, liberum eſt in his ſentire, quæ velis. Regulæ nonnullæ in hanc rem. Sacrarum Litterarum ſcopus. Quandonam ſit, aut non ſit, evidens ſcripturæ mens in rebus ad ſalutem minimè ſpectantibus.

NUnc mihi dicendum reſtat, quî regenda ſint hominum ingenia, quæve tum illorum, tum Eccleſiæ ſint jura in profanis artibus, ſcientiis, atque hiſtoriis pertractandis. Lex illa omnium prima: *Licere ingeniis noſtris hic ſentire, quod & magis lubeat, & veram aut veri videatur ſimilius.* Si Mathematicas artes excipias, & Philoſophiam morum, reliquæ Artes ex opinione hominum non parum pendent, tenebris innumeris involutæ, in quibus certum difficilè offendas, hallucineris facilè: id quod potiſſimum in Phyſicis, Medicis, Aſtrologicis, Geographicis, Chronologicis, Hiſtoricis rebus animadvertere eſt. Caliginem iſtam ſuperare ingenia nituntur. Si res benè cedat, ſecundos eorum conatus humana tantùm gloria manet, non autem cœleſte præmium. Sin aliter accidat, nihil eſt quod ſibi timeant è divina Juſtitia; non enim in poſtremo orbis judicio cuiquam vitio vertetur, quòd aut has artes ignorârit, aut in earum cognitiõe aberraverit. Huc ſpectant Ephremii, Antiocheni verba apud Phot. Cod. 228. Ἡ μὲν γὰρ περὶ πίστεως ἐρευνὰ &c. *Inquiſitio illa, quæ de rebus fidei ſuſcipitur ſi aberret à veritate, ingens animæ naufragium affert. Quare vel minimam, quæ quidem eo pertineat, excutere ſyllabam oportet. At verò diſputatio illa, quæ de quæſtionibus habetur ad fidem minimè ſpectantibus, rectè quidem res habeat, ſi optatum finem veritatis aſſequatur. Sin autem ab eo excidat id quidem non benè ſucceſſerit, non tamen in exitium animæ vergit.* Unum igitur hinc redundare poteſt incommodum, terrenâ videlicet gloriâ carere, ſi hæc neſcias; aut ſeſe hominum cachinnis & contumeliis exponere, ſi in his turpiter erres.

Cùm

Cùm autem has eruditionis partes non minùs Ecc
ſanctis Patribus, & Chriſtiani gregis Paſtoribus, quàn
cumque homini privato, obſcuras & ambiguas relic
Deus, & cùm eorum tenuiſſimam portionem ipſeme
lârit, neque porrò neceſſarium foret, ut ea revelare
non enim ad beatam in cœlis immortalitatem ſuap
turâ animam perducunt, quòd res mundi uno p
quàm altero modo eſſe, aut non eſſe, accidiſſe, aut n
cidiſſe putentur: quis non intelligat, hujuſmodi op
nes extra ditionem Eccleſiæ plerumque eſſe, ingenté
ingeniis patere libertatem, ut hic ſeſe pro viribus op
do, concertando, ſomniando etiam, ac delirando
ceant? Nova hoc in regno excogitare licet, vetera a
nari, ſúſque déque etiam vertere. Et quoties de
profanis rebus, ſive cognitionibus agitur, à Religioni
gotio omnino disjunctis, non alio loco habendi v
ſancti Patres, quàm quo ſinguli privati Auctores. V
randa profectò ſemper eſt Conciliorum, ſanctorún
Patrum auctoritas; ſed quæ in dogmatis eſt certi
magiſtra veritatis, talem ſe præſtare nequit in his et
quæ ſunt ultra fines ſanctiſſimæ Religionis, Doctrina
Chriſtianæ. Quare neſcio, quo plauſu excipiendi ſin
qui in Phyſicis, in Hiſtoriis profanis, & hujuſmodi a
mentis Auguſtinum, Thomam, Bonaventuram, Ant
num, alióſque ſanctitate ſimul & eruditione celebre
ros producunt, rati ſe iſtorum auctoritate firmiſſin
ſuis ſententiis comparâſſe præſidium, & ad iſta certè
gna nomina incutiendum eſſe mirum ſuis adverſari
morem. At ſancti Patres in hiſce artibus humanis ac ſc
tiis, non Chriſtum, ſed Platonem, ſed Ariſtotelem, ſed
cennam, homines videlicet impios, aut cœcos hab
Magiſtros, aut ſuum intellectum fallacem, aut alios h
nes erroribus obnoxios, ſecuti ſunt. Quid ergo hìc ce
ſanctis Patribus polliceri tibi poſſis? Tantùm ſanè eo
dicta valebunt apud cordatos viros, quantùm rationi
& robuſtiſſimis, neque fallacibus argumentis niten
Præterea non hoc ſuæ Eccleſiæ, non Conciliis, non P
bus dedit Chriſtus, ut Populum fidelem Aſtronomun
cerent, Phyſicéſve, Chronologiæ, Hiſtoriæ profanæ,
rumq; ſimilium ſinè ullo errore peritum. In Crucifixi ſc
la ſatìs eſt docere, ſatìs ediſcere, quæ verè de Religione
denda, quæ piè facienda, ut ametur Deus, cœlorúmque
gnum vi beatiſſimâ tandem rapiatur. Sed hæc manifeſt
ſunt, quàm ut pluribus argumentis indigant.

Ipſæ tamen profanæ Artes & Scientiæ quibuſdam evidentibus Chriſtianæ Doctrinæ, ſacrarúmque Literarum monumentis poſſunt interdum opponi. Igitur altera Lex erit: *Nefas ingeniis noſtris eſſe, in cunctis artibus, ſive diſciplinis, aliter ſentire, quàm veritatis oracula clament*; & Eccleſiæ Paſtoribus jus eſſe à Deo datum hìc quoque coërcendi temerarias hominum mentes. Non hìc de iis profanæ ſcholæ opinionibus loquimur, quæ recta feriunt Chriſti & Eccleſiæ Scholam; nam hæ ſtatim damnandæ cognoſcuntur, quales de moribus, virtutibus, & vitiis, de Natura divina, de Providentia, creatione mundi, animâ rationali, aliíſque rebus benè multæ occurrunt in Platonis, Ariſtotelis, Zenonis, Democriti & Epicuri Sectis. Loquimur de iis opinionibus, ſive effatis, quæ ſuapte naturâ nihil pertinere ad fidem, nihil officere, nihil adverſari videntur ſalutari doctrinæ Chriſtianæ Religionis. Etiamſi apertâ facie iſta non militent, militare tamen clanculum, atque indirectè, poſſunt contra certiſſimam aliquam Religionis veritatem. Eſt dogma Fidei, Prophetis ac Apoſtolis divinum adfuiſſe Spiritum, ne quid falſi memoriæ mandaretur in ſacris Scripturis. Multa autem in utriuſque Teſtamenti Libris habentur, quæ referri poſſunt ad Phyſicam, ad Aſtronomiam, ad Hiſtoriam profanam, ad Chronologiam. Turpiter erret, qui in ejus generis notionibus reverà hallucinatos Prophetas arbitretur, & documentis eorum habere fidem nolit, aut falſi litem intendat; cauſatus tantummodo, non eam Deo fuiſſe mentem, ut nos eruditione profanâ imbueret. atque inutilem rerum ſcientiam per ſuas Scripturas revelaret. Certè non iſta ad ſalutem neceſſaria, & in ſe conſiderata, minimè pertinent ad fidem. Sed quia à Scriptoribus falli neſciis, & divino Spiritu afflatis, conſignata literis fuêre, atque errorem in Prophetis, ſive fallaciam ſuſpicari nefas eſt; idcirco hujuſmodi etiam documenta certiſſima credenda ſunt, & relationis causâ procul dubio ſpectant ad Fidem. Neque ſanè ferendi Arminius & Epiſcopius Remonſtrantium primipili, affirmare auſi, Scriptores ſacros in rebus levibus, & nihil ad ſalutem pertinentibus, memoriâ, aut ignorantiâ labi potuiſſe, & reverà fuiſſe lapſos. Abſit, ut hac temeraria medicina apparentibus quibuſdam ſacrorum Librorum contradictionibus atque difficultatibus conſulamus, quando tot aliæ rationes, æquè commodæ & innocuæ occurrunt, quibus divinarum Literarum veritas & auctoritas à ſuſpicione falſi & erroris liberetur. Idem dicendum de aliis

phyſi-

phyſicis atque hiſtoricis opinionibus, quæ ſi ver
dantur, conſequenter infirmant, & falſitatis ar
divina quædam myſteria & dogmata, in Eccleſia D
miſſimè ſtabilita. In his igitur dubitandum non eſt;
ingeniis noſtris Eccleſia imponere frenum poſſit, ac
at; neque enim committendum eſt, ut Spiritu Sanc
ſpirati homines lapſi putentur vel in levibus rebus,
non quæ ſua erant, ſed ea dumtaxat, quæ Deus om
revelaverat, memoriæ mandârint, & populo cre
exhibuerint.

Atque hæ quidem regulæ generales, & leges præ
ad judicandum de hiſce quæſtionibus. Sed judicio ſu
& circumſpectâ æquitate opus planè eſt in earum uſu
una ex propoſitis legibus illam ingeniis licentiam trì
quæ in Eccleſiæ & veritatis perniciem declinare inte
poſſit; altera opinandi libertatem ità adimere non
quam poteſt, ut ingeniorum jura lædantur. Et pro
cùm præteritis temporibus, tum noſtris potiſſimum
defuêre, nec deſunt homines, quibus familiare e
ſanas diſciplinas, atque ſententias ſeculi, quaſi verb
vinis infeſtas atque contrarias, inſectari, & proſtin
internecino odio, perpetuis clamoribus. Si quid novi
ſica, aut Aſtrorum Scientia, aut Ars Medica, aut eru
profana adfert: iſtud hominum genus mille pericula
tinuò timet ſanctiſſimæ Religioni, & certis fidei dec
Soliciti ergo nullum non movent lapidem, quo Auc
novarum opinionum, licèt nihil rei cum Sancta Relig
habentium, infament, eorúmque libros dilacerent,
ſcribant, & ſupremis Eccleſiæ Tribunalibus confige
exhibeant. Et eorum zelus utique laudandus, mod
men ſit ſecundùm ſcientiam, & cautis greſſibus proc
Deplorandum enim eſt, ſi errores, ubi non erant, ſom
ſi illic pericula confingat, unde nihil mali effluere po
& injuſtos neque neceſſarios compedes injicere vel
turali humanarum mentium libertati. Et reverà non
madvertunt interdum docti pariter piique viri, ſe u
Ariſtotelis cauſam agere, cùm Religionis cauſam tue
dentur. Peripateticâ Philoſophiâ capti atque diſtenti, q
quid ab iſta abhorret, continuò falſum ducunt. Tan
nempè amoris ac venerationis huic Scriptori, aliiſqu
tiquis Auctoribus, præjudicata opinio comparavit, u
rum adverſarios, & contraria quæque, non odiſſe ea
amaſſi nequeant, uſque adeò ut quando nulla alia
ſuccurrit nova inventa dejiciendi; facilè & crebrò a

ctoritatem Principum, Academiarum, & Religionis confugiatur, quaſi de regnis, de veritate, de fide actum ſit, ſi nova hæc recipiantur in Scholis. At iſta ſinceriori judicio, & ſine affectibus, pertractare, atque inſectari, aut defendere debet unus amor veritatis. Unum hunc igitur nos conſulentes, neceſſarium putamus quædam hîc ſtatuere, quibus ingenia noſtra inſiſtere jubentur, ſi ritè fungi ſuo jure ac munere velint, neque in Religionis ſacraria quicquam peccare.

Et primò dicimus, tum poſſe ac debere Eccleſiam ſententiam ferre, certúmque illius fore judicium de Quæſtionibus Phyſicis, Medicis, Aſtronomicis, Geographicis, Hiſtoricis, aliíſque hujuſmodi, cùm conſtabit, uno potiùs, quàm altero modo opinari, contrarium eſſe evidenti Scripturarum Sanctarum, & dogmatum veritati. Secundò, evidens erit, & conſtabit ſacrarum Litterarum, chriſtianæque doctrinæ ſententia, quando Prophetarum, Apoſtolorum, & Eccleſiæ verba ac documenta nullam aliam interpretationem commodam ſuſtinent, quàm quæ iis opinionibus omninò repugnat. Tunc enim variæ ab hominibus excogitatæ opiniones, quamvìs ad ſalutem non neceſſariæ, & ex ſui inſtitutione indifferentes ut aut credantur, aut non credantur, erroris, impietatis, & falſitatis juſta de cauſa damnabuntur. Tertiò, ſi commodè cum hiſce hominum privatorum opinionibus conciliari poterunt divinæ Litteræ, neq; vis in Scripturarum explicatione ſacris verbis inferatur, tunc neq; impia neque falſa appellare licebit hujuſmodi, ut ità dicam, indifferentia Scientiarum & Artium placita. Quartò, erit ea interdum in hujuſmodi ſententiis indifferentibus rationum & experimentorum gravitas atque evidentia, ut non laudabile ſolùm, ſed & neceſſarium futurum ſit, cum iſtis conciliare ſacrorum Librorum ſententias: quod commodè ſæpè fieri poterit, ſi rectæ Critices uſus adminiculum piè & ſedulè quærentibus ferat.

Quæ ſint autem harum legum fundamenta breviter exponemus. Veritas una eſt. Innummerabiles ejus particulæ non pugnant invicem, non diſcordant, ſed amicè conſpirant: quod de erroribus non accidit, quorum alter alterum inſequitur nonnunquam, ac deſtruit, omni ſpe fœderis utrinque ſublata. Fac aliquid ſit verum in Theologia & in ſacris Litteris: neceſſe eſt ut idem quoq; affirmetur in Phyſica, & in profanis Hiſtoriis. Rurſus ſi quidquam verũ certúmque ſit in Philoſophia & in Hiſtoriis non ſacris, aliter ſenſiſſe nequit divina Scriptura, & Chriſtianor. Theologia. Unicum tamen hæc inter diſcrimen. Semper ratio, ſemper Philo-

Philoſophia, aliarúmque artium documenta cedere fidei, ſacríſque Literis debent, aliquid evidenter tradentibus, non autem ſacræ Literæ ac Theologia, aliquid evidenter narrantes, ſubmittendæ ſunt rationi ac Philoſophiæ, quanquam & iſtæ evidentiam jactent à ſuis partibus quàm maximam. Et æquiſſimè id ab ipſa ratione exigitur; cum ſacris enim Literis, & cum fide, ac revelatione divinâ, perpetuò & neceſſariò conjuncta eſt veritas. Aliquid revelante ac tradente Deo omniſcio, & veraciſſimo, illic errorem aut mendacium excogitare, omnium perniciosiſſimum delirium eſt. Contra cum ratione humana, cum Philoſophia, Hiſtoria profana, aliíſque artibus neceſſariò veritas non habitat, & ſæpè error locum habet. Igitur falſum ſit neceſſe eſt, quod à perſpicua fidei eruditione diſſentit; neq; enim alia eſſe poteſt Theologorum veritas, alia Philoſophorum; alia Dei, alia hominum; ac proinde cedat oportet ratio fidei, non fides rationi, ſicuti æquum eſt, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat. Et graviſſimè profectò ac ſanctiſſimè pronuntiatum anathema in Lateranenſi Concilio ſub Leone X. Seſſ. 8. contra quoſdam Peripateticos Philoſophos, inter quos fuiſſe fertur Petrus Pomponatius, quòd ſecundùm Philoſophicam doctrinam mortales eſſe hominum animos dicerent, licèt ſecundùm Chriſtianam fidem immortales eos affirmarent. Rationem damnationis invictiſſimam his verbis concluſêre Patres. *Cùm verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam definimus.*

At ſæpè etiam in humanis ſcientiis & artibus, imò in toto rationis humanæ regno, tanta eſſe poteſt veritatis evidentia & perſpicuitas, ut ſecundùm ipſam rationem, ſecundùm iſtas artes, non ſolùm liceat, ſed neceſſarium planè ſit explicare non æquè perſpicuam Scripturarum ſanctarum mentem, ac verba. Id accidit, cùm talem ſenſum divinæ Literæ præſeferunt, qui ſi verus & germanus cenſeatur, intoleranda poſt ſe abſurda & incommoda trahat. Hoc eſt, ubi ſententiam aliquam tribuas aliquibus verbis divinæ Scripturæ, contradictiones nunquam ſedandæ emergent inter hæc & alia aut Scripturæ loca, aut fidei dogmata, atq; de numine, ejúſque naturâ, ac voluntate, indignum aliquid ſentietur; & rectæ rationis principia, & virtutum ac morum clariſſima præcepta, & receptiſſima apud omnes Chriſtianos artium placita, evertentur. Tunc ergo res monet, prioribus illis Scripturæ verbis, utpote minus quàm hæc alia documenta perſpicuis, non eum, qui putabatur

tribuen-

tribuendum eſſe ſenſum. Tunc non obvia ac literalis ſententia, ſed figurata accipienda fortaſſis erit; neq; proprius, ſed translatus ſenſus; eiſq; verbis aliquid aliud ſignificare voluiſſe divinus Spiritus cenſendus erit: quod quale ſit, facilè ex aliorum locorum collatione liquebit. Hinc illud celebre & ſummopere laudandum Auguſtini axioma in Ep. 143. olim 7. *Si Ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine, vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimæ certæq; rationi velut Scripturarum ſanctarum objicitur auctoritas: non intelligit, qui hoc facit; & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit; ſed ſuum potiùs objicit veritati, nec quod in iis eſt, ſed quod in ſe ipſo velut pro eis invenit, opponit.* Unde autem Anthropomorphitarum Hæreſis erupit, niſi è perverſa eorum locorum interpretatione, in quibus ſacræ literæ Deo oculos, manus, pedes, aliáque membra, & corpus & affectus hominum tribuere videntur? *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum Manus Domini fecit hæc. Et cùm audiſſent Adam & Heva vocem Domini Dei ambulantis in Paradiſo ad auram.* Et alia id genus innumera. Hæc, ut litera ſonat, accipienda non eſſe, ſed ſinè dubio cenſenda tropicè & figuratè dicta, quo per ſenſibiles imagines inviſibilia intelligantur, quis quæſo nos docuit, niſi evidentiſſima lux rationis ac Theologiæ naturalis, quæ Deum planè incorporeum & ſpiritalem eſſe ſtatuit? Ne contradicam ideæ perfectiſſimæ, quam & natura & ſcientiæ mihi de vero & ſummo Deo indiderunt, à literali proprio ſenſu eorum verborũ diſcedere cogor, & loca illa conciliare cũ hujus ideæ veritate manifeſtiſſima Quando autẽ myſticus, aut figuratus ſenſus literali proprio ſit præponendus, & ab iſto recedere non ſolùm deceat, ſed oporteat, doctiſſimi viri luculentiſſimè tradidêre, Sed unius Eccleſiæ eſt decernere ſinè errore, quæ interpretatio conſonet aut repugnet veritati, in ſacris Literis, atque in ſingulis earum verbis certiſſimè regnanti.

Si quidquam igitur literalis proprius ſenſus Scripturarum habeat, quod cum artium, & ſcientiarum, & Hiſtoriæ evidentibus principiis & documentis pugnet, & comodam non recuſet interpretationem, iſta profectò adhibenda erit, aut ſaltem illam adhibere nemo ſibi religioni ducat. Tantòq; magis id præſtare licebit, quantò certius eſt, majorem ſinè comparatione libertatem hìc eſſe humanis ingeniis, & nullam neceſſitatem credendi, ſive diſcendi. Certũ enim eſt, in iſtis rebus Deum exquiſitè erudire noluiſſe hominum genus, cùm ſacrarũ literarum verus ſit ſcopus atq;

conſilium nos ad amorem Dei & proximi tantummodò informare, in quo univerſa Lex poſita eſt, & Prophetarum doctrina. Quod cùm fieri nequeat, niſi etiam cognoſcatur verus Deus, & verus Dei & hominum mediator Chriſtus Jeſus, & niſi recta morum præcepta habeantur perſpecta: hæc etiam in Scripturis ſacris revelare & inculcare hominibus Deo placuit. Reliqua ad humanas artes pertinentia, quæ illic narrantur, eatenus ſpectanda ſunt, quatenus ad illam Scripturarum ſanctarum mentem referuntur. Eo ſaltem fine conſideranda non ſunt, ut Phyſicam, Geographiam, Chronologiam, terrenarum rerum Hiſtoriam, Aſtronomiam, Medicinam, militarem artem, & alia id genus, non ſecùs ac ipſa dogmata, diſcamus.

Quocirca quàm diligenter Apoſtoli, & Eccleſiæ Patres mandant, ut ad illuſtrandam, confirmandam, propugnandam Dei, Chriſtíque, & veræ pietatis cognitionem, Scripturarum ſcientia adhibeatur, tam cautè etiam vetant, ne in alias inutiles, & curioſitati potiùs quàm eruditioni ſalutari inſervientes quæſtiones nimiùm divertant Chriſtianorũ ingenia, néve ad eas dirimendas in medium afferantur oracula divina, quaſi divini conſilii fuerit, & noſtra & Creatoris noſtri interſit, nos in his inanibus argumentis doctos eſſe, aut ignaros, & ſapere, ſive deſipere. Altiora, diviniora, & noſtram ſalutem æternam, non noſtram temporalem eruditionem, ſacri illi Codices reſpiciunt. Audiatur hìc Gentium Doctor. In Ep. I. ad Tim. c. 1. illa prohibet, quæ quæſtiones præſtant magìs quàm ædificationem Dei, quæ eſt ex fide. *Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Et Cap. V. 3. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt: doctrinæ: ſuperbus eſt, nihil ſciens: ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, &c.* Poſtquam in Epiſt. ad Titum multa de clementia Dei, de Mediatore, aliiſq; divinis beneficiis prolocutus eſt: *Hæc*, inquit, *ſunt bona & utilia hominibus. Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; ſunt enim inutiles & vanæ.* Ubinam ergo ſunt, qui in divinis ſcripturis quærunt naturalium rerum, Aſtrorum, temporum, & locorum ſcientiam? Earum auctoritatem, niſi manifeſtiſſima ſit, in his nimium inculcare, neque temeritate, neque periculo interdum caret; certè ab ipſarum conſilio abhorret.

Propterea idem Apoſt. Cap. I. 9. Epiſtolæ ad Titum poſtulat Chriſtianum & Epiſcopum ità Scripturarum ſcientiâ inſtru-

inſtructum, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* In doctrina, inquam, ſana & pietatis, & fidei, non in Phyſica, aut Chronologia, aut rebus profanis. Neq; alio nomine ſe Doctorem, ſervum Dei, & Apoſtolum Jeſu Chriſti in exordio hujus ipſius Epiſtolæ profitetur, quàm *ſecundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt.* Quid autem refert ad pietatem, ſcire, cujus figuræ, v. g. terra ſit, quî ſupra cœlos ſint aquæ; an cæli ex quinta ſubſtantia ſint, an ex ſe corruptioni obnoxii; num ignis inter elementa computandus; quis Eſtheris conjux, videlicet utrùm Xerſes, an Artaxerſes fuerit, & alia ejuſmodi? Hæc idcirco præ oculis habens S. Baſilius in Examer. Hom. 9. Moyſen laudat, quòd ea prætermiſerit, quæ Philoſophorum animos inani ſtudio torquent. Scripturam autẽ ait ſuo honore, ſuâ gloriâ ſpoliari per eos, qui ejus dicta ad inutiles quæſtiones inflectunt. Similia habet S. Hieron. in c. 3 Ep. ad Titum, eiq; conciñunt, quicumq; pietate & judicio in explicandis ſacris literis excelluêre. Quibus ex rebus ſequitur, prudentiſſimè agere Eccleſiam, quæ ab hujuſmodi quæſtionibus dirimendis, & opinionibus probandis ſive improbandis abſtinet. Eas ipſa aut non curat, aut etiã contemnit; & ſiquidem vellet interdum ſe iſtis immiſcere controverſiis, neceſſaria ad rectum certúmque judicium ferendum præſidia ipſam deficere interdum poſſent. Nimirum Traditio ſacra, antiqua, & continuata noñunquam deeſſet, ſine qua teſtatur Eccleſia ſe firmas proferre hìc non poſſe ſententias. Nam cur Deus incorruptam per tot ſæcula hiſce de rebus ſcientiam, & Traditionem in Eccleſia ſervet, quando earum ignorantiâ nullum ſuis fidelibus, nullum ſuæ Religioni periculum creat, atque ipſe earum ſcientiam neque à nobis expetit, neque nobis reverà reliquit, immo contrà ab eorum inquiſitione per ſuos Apoſtolos nos non ſemel deterruit?

Reſtat igitur, ut una de cauſa noñunquam Eccleſia compeſcere & damnare poſſit has etiam indifferentes hominum opiniones, cùm videlicet agitur de liberandis ab erroris aut mendacii ſuſpicione utriuſq; fœderis libris. Tum certè ad Eccleſiam ſpectat, falſa proclamare & irrevocabili ictu proſternere, quæ aliter vera eſſe nequeunt, niſi falſi arguatur ſacratiſſimum illud veritatis penus. Huc autem pertinent, quæ S. Thomas habet 2. 2. Q. II. Art. 2 ubi ait, quædam ſpectare ad fidem poſſe dupliciter: *uno modo directè, & principaliter, ſicut articuli fidei; alio modo indirectè, & ſecundariè, ſicut ea, ex quibus ſequitur corruptio unius articuli.* Sed omnino

nino appareat,neque appareat tantùm, ſed reverà adſit oportet neceſſitas damnandi hujuſmodi opiniones indirectè oppoſitas ſacrarum Scripturarum veritati. Evidenter, inquam, conſtare priùs debet, non alium ſenſum commodè, & legitimè, & ſecundùm Criticæ regulas,tribui poſſe Literarum ſacrarum verbis,quàm qui adverſetur Phyſicis iſtis, Geographicis, Hiſtoricis, & aliis ejuſdem naturæ ſententiis. Nam ſi per germanam aliquam, & non violentam interpretationem alius ſenſus à literali & obvio,convenire poſſit Scripturæ divinæ verbis, & componi cum artium & ſcientiarum effatis Prophetarum dicta valeant: non eſt cur ab ea interpretatione adhibenda nos jure ac merito impedire quiſquam velit. Tunc in tuto ſunt omnia Tunc divinorum Codicum dignitati conſultum ſatìs eſt, & ingeniorum juribus,&legibus optimi judicii,veríq; Scripturarum interpretis. Neque temeritas ampliùs eſt, neq; crimen pernicioſum,id affirmare,quod à ſacris Auctoribus negari non conſtat, aut id negare, quod ab iiſdem affirmari manifeſtè non liquet. Sufficit autem in his rebus,uti diximus, à divinis iis Scriptoribus arcere aut mentiendi voluntatem, aut memoriæ lapſus,aut rerum, quas narrant, ignorationem quamcumque; non enim iſta excogitare aut ſuſpicari vel leviter licet in hominibus,quorum calamum regebat divinus veritatis Magiſter. Hoc periculo declinato,quæ ad veritatem propiùs accedere, aut veri videbuntur ſimiliora, ſentire fas erit in quæſtionibus videlicet,quæ ſive in unam ſive in alteram partem verſentur, ad æternam hominum vitam, eruditionémque ſalutarem nihil faciunt.

Interdum autem tantam eſſe poſſe diximus divinæ mentis evidentiam in verbis ſacrorum Codicum, ut abjicienda ſit quæcumque alia diverſa opinio rerum vel indifferentium. Atque id potiſſimùm elucet in hiſtoricis documentis, quorum ſenſum obvium ſæpiſſimè accipiendum eſſe,manifeſta ratio docet,atque adeò omnis inde excluditur figuratæ dictionis ſuſpicio. Quòd Jacob ex utero materno prodiens, plantam fratris teneret, aut non teneret manu,nihil ad hominum ſalutem,&neceſſariam eruditionem ſpectabat; nullum enim continet aut innuit fidei dogma,ſive præceptum vitæ. Sed quando hujus rei mentionē nobis relinquere ad aliquam ſemper utilitatem noſtram divino conſilio placuit;& Jacobum apprehensâ fratris plātâ,in lucem reverà egreſſum fuiſſe,Gen.XXV.25. ità narratur, ut nonniſi violenta interpretatio adhiberi poſſit Scripturæ verbis: ejus rei hiſtoria habenda eſt ſinè ulla dubita-

bitatione à Deo revelata, atque certiſſima Similiter nullus eſſe poteſt dubitandi locus, quin ſub Auguſto Cæſare facta fuerit deſcriptio illa, quam Lucas in Evangelio memorat II. 2. & quin Syriæ aliquo modo præfuerit Cyrinus, ſive Quirinus. Itidem certum nobis ac ratum eſt, Tobiæ canem ſuo Domino præcurriſſe, & quaſi nuntius ad ejus parentes adveniret, blandimento caudæ ſuum expreſſiſſe gaudium, Tob XI. 9. Atq; alia id genus certiſſima ſunto; nam ſi aliter explices, quàm litera ſonat, manifeſtam vim infers narrationi divinæ. Propter eamdem rationem, cùm ex evidenti Scripturarum teſtimonio, & perpetuâ Eccleſiæ Traditione conſtet, Deum omnipotentiſſimum poſſe ex nihilo aliquid facere; & poſſe alicujus rei ſubſtantiam in alteram convertere, ità ut prioris ſubſtantiæ accidentia, ſive ſpecies, non deſtruantur, fiátque in hominum ſenſibus eadem ſenſatio, quam ſubſtantia ſublata ſive commutata priùs producebat; & poſſe facere, ut humanum corpus indutâ incorruptione glorificatum in cœlis, anguſtiſſimo ſpatio contineatur, & per corpora ſpiſſiſſima liberum habeat aditum; cùm, inquam, hæc evidenter certiſſima ſint nobis per revelationem: ſtatim conſequitur, à veritate abhorrere, quidquid acuti, quidquid ſpecioſi Phyſica excogitare & afferre contra poſſit.

Rurſus eas rationes, eámque evidentiam ſecum ducere interdum Phyſica, Hiſtoria profana, atque aliæ artes poſſunt, ut præ illis non æquè evidentia, immo dubia ſint Scripturæ ſacræ verba. Quod ſi contingat (ſæpè autem contingit) tum certè non licet ſolùm, ſed oportet, ſacras Literas non repugnantes interpretatione aliquâ explicare, quod ſemper commodè fiet, conſultis priùs non temerariæ Criticæ regulis: ſive Metaphora quæpiam, ſive Synecdoche, ſive Metonymia, ſive alius quiſpiam Tropus & Figura in divinis verbis apparebit, quò non obvius, ſed alius veriſſimus ſenſus illic ſignificetur cum profanis opinionibus concors, ut nihil dicam de Orientalium populorum Dialectis, in queis manifeſtum nimis eſt diverſos planè à noſtris ſæpè exhiberi dicendi modos. Unde autem novimus, tot Scripturæ ſenſus aliter quàm litera ſonat ſignificare, niſi quia rerum experientia, & humanæ artes ità accipiendos monent? Animâ rationali carere bruta, animâ quacumque carere ſimplicia corpora, jam notum eſt nobis. Ergo ubicumque iis animam, aut etiam animam rationalem, tribuere Scriptura videtur, illic Tropum & Figuram aliquam haberi ſtatim intelligimus, aut animæ vocabu-

Digitized by Google

lum aliter apud Hebræos accipiendum, quàm apud Latinos. Eodem modo, hominem, cujus *cor & oſſa tanquam cremium aruerint, quique ut fœnum percuſſus fuerit*, vivere diutiùs non poſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Ergo Davidis verba hæc narrantis in Pſalmo CI. 4. 5. de ſe ipſo, aut de paupere quopiam adhuc vivente, non ad literam, ſed figuratè exponenda ſunt. Idémque de verſiculo ſequente dicendum, ubi ſanctus Rex ait: *A voce gemitûs mei adhæſit os meum carni meæ.* Quodnam enim eſt anguſtiæ & miſeriæ ſignum, oſſa habere carni ſuæ adhærentia? Nónne & hoc in rectè ſe habentibus conſpicitur? Et nihilominus hæc David memorat, infelicem alicujus ſtatum deſcripturus. Ergo dicendum, carnem hìc pro cute hominis accipiendam eſſe; cutis enim eſt pars quaſi homogenea carnis. Oſſa autem cuti adhæſiſſe dicuntur, ut macies hominis extrema ſignificetur; quâ dicendi formulâ & ipſum vulgus nunc utitur, & Comicus olim dixit: *Oſſa atque cutis ſunt, miſer.* Accedit etiam locus Jobi XIX. 20. *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum.* Seu, ut habent Hæbraici Codices: *Pelli meæ, & carni meæ, adhæſit os meum.*

Tandem loca Scripturarum quamplurima occurrunt de rebus ad ſalutem non neceſſariis, quæ dubium ſenſum, dubiam ſignificationem præſeferunt, variáſque facilè admittunt, eáſque veriſimiles, interpretationes. In his, non immoderata quidem, ſed magna tamen ingeniis licentia conceditur interpretandi, & diſputandi; modò omnis ingeniorum linea illò tendat, ut inter cæteras, quæ veriſimillima ſententia videtur, Scripturis ſacris tribuatur. Experimenta rerum, linguarum peritia, Hiſtoria profana, omnéſque artes, & humanæ Scientiæ hìc in conſilium adhibentur; & quò graviores rationes & probabiliora argumenta unam potiùs quàm alteram ſententiam commendant, eò tutiùs & laudabiliùs in eam ingenia concedunt. Hinc tot in ſacris Scripturis exponendis quæſtiones. Hinc tot unius loci interpretationes, tótque novi eruditorum conatus, ut dilucidiùs, veriſimiliùs, & aptiùs quàm anteà explicentur Scripturarum loca. Neque hujuſmodi interpretationes, quia novæ, unquam improbari poſſunt, ſed quia inſulſæ, ineptæ, & à ratione abſonæ, & ab aliis Scripturæ locis fortaſſe diſcordes. Nam in iis quidem, quæ ad præcepta vitæ, & ad fidei dogmata pertinent, jure interdicta eſt illa opinionum novitas, quæ SS. Patrum conſenſui repugnet. At in iſtis indifferentibus rebus opinari, & nova

pro-

Digitized by Google

proferre, nequaquam prohibemur; ſive enim hìc uno potiùs quàm altero modo ſentias, nihil hoc fidei, nihil hoc dogmatibus,& ſcientiæ morum officit,ubi à ſingulis interpretibus in tanta interpretationum varietate ſatis conſulatur dignitati & veritati ſacrorum Codicum Sic eruditis hucuſque licuit diſputare, num Quirinus, memoratus, ut vidimus, in Evangelio Lucæ, ordinarius Syriæ Præſes fuerit, an extra ordinem censûs causâ illuc miſſus; aut an deſcriptio univerſi orbis Romani,antè indicta &completa fuerit,quàm idem Quirinus Syriæ præeſſet.Id ex innumeris aliis exemplis liquere poteſt. Neque verò urgere quemquam poſſumus diſputantem de his rebus ſcitu non neceſſariis, ut opinionem ſuam mutet, multóque minùs ipſum tanquam Hæreſis, & perverſæ doctrinæ reum inſectari, dum tamen hic ritè & commodè interpretari,ſuæque opinioni minimè contraria Scripturarum loca, ſi qua opponuntur, oſtendere valeat. Ille tantùm Hæreticus eſt, qui pertinaci animo dogma aliquod ab Eccleſia receptum à Scripturis ſacris, aut à Traditione commendatum, contemnit, rejicit, negat; aut Scripturæ loca ad fidei & morum doctrinam ſpectantia contra mentem Eccleſiæ,&conſenſum Patrum pervicaciter interpretatur. In reliquis ipſos Patres quidem venerari, aut religiosè & κατάποδα ſequi non cogimur: alioqui tot haberemus Hæreticos,aut ſaltem temerarios, quot habemus Scripturarum Interpretes.

CAPUT XXII.

An Scripturis ſanctis repugnet Aſtronomorum ſententia de Telluris motu diurno. Sacræ Literæ phraſibus vulgi ac figuris uſæ, ut verum quodpiam ſignificarent. Exempla in eam rem. Quid totus orbis in Scripturis, extremitates cœlorum, Solem incaleſceſcere, aliáque ad cœlos, ſtellas, ac ſolem ſpectantia. Quando proprium literalem ſenſum in Scripturis ſacris retinere cogamur; & quando ſit locus aliis interpretationibus.

EXigere itaque juvat, cùm res poſcit, ad hóſce Canones inventa nonnulla, opinionéſque varias Philoſophorum, Phyſicorum, Hiſtoricorum, & quidquid in Mathematicis, Aſtronomicis, & Geographicis ſtudiis aut

Digitized by Google

novi aut antiqui traditur. Fac autem, exempli gratiâ, in Aſtronomia nobis occurrat quorumdam ſyſtema de diurno circa ſolem immobilem Telluris motu, cui complura loca è divinis Scripturis petita opponi videntur. Tum prudentis Theologi erit inveſtigare, an ità perſpicua ſint atq; evidentia ſacrarum Literarum loca, ut omnino peccetur contra melioris Criticæ, ipſiúſque rationis leges, & contra germanæ Interpretationis regulas, ſi illa trahere velimus ad opinionem eorum Aſtronomorum. Multa autem ab ejus ſententiæ tutoribus pro ſe adferri poſſunt. Quanquam enim neque in Phyſica, neque in Aſtronomia quidquam certi habeamus de Telluris motu, attamen eam ſententiam nondum Eccleſia, aut Apoſtolica Sedes damnavit, neque pro hæreticis reapſe habet tot eruditos viros aut clam, aut apertè eam amplexos, ſive olim, ſive duobus proximè præteritis ſæculis. Copernicana quippe Hypotheſis, ut obiter id dicam, non planè nova eſt, utì ex Ariſtotele, Cicerone, & Plutarcho apparet, eámque octoginta annis ante Copernicum aſſeruerat celeberrimus vir Nicolaus Cuſanus Cardinalis in Libro de docta ignorantia; ſed illam Copernicus in multis perfecit, ejúſque veſtigia ſecuti videntur Calendarii Juliani in Correctione Gregoriana emendatores. Contrà verò his Scripturæ ſanctæ locis immobilitas Telluris, & Solis mobilitas ſuadentur. Gen. XIX. *Sol egreſſus eſt ſuper terram.* Et Cap. XXXII. *Ortúſque eſt ei ſtatim Sol.* Eccleſiaſtis verba ſunt Cap. 1. *Generatio præterit, & generatio advenit; terra autem in æternum ſtat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Ad imperium autem Joſue præcipientis, ne Sol ac Luna moverentur, *ſteterunt Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei.* Ità Joſue X. 12. 13. Alia loca prætermitto jam nota, jam uſu doctorum hominum trita, quibus terræ quies, & motus Solis apertè memorari videntur in ſacris Codicibus. At quod eſt ad ea Scripturæ verba, quæ Tellurem immobilem ſignificare videntur, fatendum eſt, parvo negotio conciliari poſſe cum Aſtronomorum ſententia; etenim ibi potiùs affirmatur, Tellurem permanere, ſempérque eſſe, neque à ſuis cardinibus unquam dimoveri: quæ ſanè conſiſtentia, perduratio, ac firmitas localem motum in ea excogitatum nequaquam excludit. Ità quoque firmamentum cœli appellantur; Æthera etiam ſeu Cœlos divina Sapientia firmavit ſurſum,

ſum, ut habetur Proverb. VIII. 28. Et tamen à cœlorum firmitate motus nequaquam abhorret, ut in Ptolemæi Syſtemate traditur.

Longè clariora ſunt pro Solis mobilitate ſacrorum Librorum documenta. Verùm animadverti debet, ſolere divinas Scripturas ad opinionem vulgi ſeſe interdum accommodare, & retinere communem loquendi conſuetudinem, ut ad rudis populi ſenſum & captum ſeſe attemperent. Faciliùs enim ignarum vulgus ea concipit & percipit, quæ uſitatis dicendi formulis proponuntur, quam quæ inuſitatis, licèt accuratioribus. Quod potiſſimum elucet in iis tradendis, quæ ad ſalutarem fidei & morum veritatem non pertinent; nam, uti diximus, Deo per ſuas Scripturas loquenti non is ſcopus fuit, ut inanem erga res, ſcitu non neceſſarias, erga mundi elementa & corpora, hominum curioſitatem paſceret, ſed ut verè utilia ad æternam beatitatem conſequendam traderet. Neque in doctis humanæ ſapientiæ verbis ipſe loquitur, ſed ſeſe demittit ad earum locutionum uſum, quæ quanquam minùs accuratæ, & ad humanæ ſapientiæ trutinam impropriæ dignoſcuntur, rudi tamen populo veritatem quampiam utilem ac ſalutarem commodiùs exponunt. Quòd ſi Deo corpus & membra, & animi perturbationes, & operationes humanas tribuere non dubitârunt divinitùs inſpirati viri, quò ſignificarent veros divinæ operationis effectus: quantò æquius hujuſmodi minus accurrato loquendi genere uti potuerunt, dum de phyſicis & humanis rebus quidpiam enarrabant? Eſt hoc figuratè loqui, eſt hoc in uſu apud omnes populos, imò & apud ipſos doctos, & præcipuè Poetas, atque Orientales; neque enim veritas inde læditur, ſed per eas etiam figuras eleganter traditur, quod verè tradere in animo fuit. Eruditorum autem hominum eſt in his non neceſſariis rebus, Eccleſiaſticorum verò judicum in rebus ad fidem & eruditionem chriſtianam ſpectantibus, decernere, quid propriè, & quid figuratè ſit accipiendum.

Fuiſſe divinis Scriptoribus eum morem, ut ſecundùm vulgi ſententiam interdum loquerentur, luculentiſſimis exemplis demonſtrari poteſt. Cùm dicimus *Terrarum Orbem*, multóque magis cùm *Univerſi* titulum addimus, nemo eſt qui neſciat, ſignificari populos omnes, & univerſas provincias ac terras, quæ terraquei globi ſpatio quaqueverſum continentur. Sed alia interdum fuit, & adhuc eſt vulgi opinio, dicendíque conſuetudo. Nimirum totius

 orbis

orbis vocabulo ſignificantur provinciæ & populi anteà cogniti, & magna terræ pars, aut vaſtiſſimum quoddam Imperium, quale olim Aſſiriis, & Alexandro Magno, & Romanæ Reipublicæ contigit. Inquit autem S. Lucas II. 1. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis,* ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. En ut vulgari opinione dicendíque formâ utitur S. Evangeliſta. Magnifice de ſuo Imperio ſentiebant Romani. Nihil minùs, quàm totum terrarum orbem ſuâ ditione ſe tenere aut arbitrabantur, aut dictitabant. In hanc rem celeberrima præſertim ſunt Petronii verba in ſpecimine Belli Civilis.

Orbem jam totum victor Romanus habebat.
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque.

Et Hegeſippus Lib 2. Antiqu. Cap. 9. *Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur ac definitur.* Attamen nemo in Hiſtoria aliquantulum verſatus eſt, qui neſciat, longè abfuiſſe Romanos ab imperio totius orbis, cujus amplam quidem partem armis victricibus occuparant, ſed reverâ opinione minorem, ſi cùm tot aliis provinciis adhuc indomitis conferebatur. Cùm igitur in quibuſdam Scripturæ locis mentio fit de terra, de toto orbe, περὶ τῆς οἰκουμένης, non continuò accipienda ſunt ea vocabula de omnibus telluris gentibus atque provinciis, Interdum per illa ſignificatur Judæa tota cum Judæorum tribubus latè diffuſis, interdum Romanum Imperium, interdum etiam ea terræ pars quæ antiquis iis temporibus cognita erat, hominúmque Judæorum commercio patebat. Quam interpretationem admittit locus ille Pauli ad Rom X. 18. ubi ad Evangelii prædicationem accommodat Pſal. XVIII. verſiculum quintum: *Sed dico, numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Non enim veriſimile eſt, tum temporis in extremas uſque Scythiæ ſeu Tartariæ inhoſpitæ provincias, & in vaſtiſſimas Americæ regiones, atque in tot alias barbaras gentes ſub utroque Polo ſitas, Evangelium & Apoſtolos penetrâſſe; cùm noviſſime tantùm, hoc eſt tribus proximè præteritis ſæculis, magna earum regionum pars innotuerit, & ampliſſima adhuc regna tum circa Arcticum, tum circa Antarcticum Polum, diligentiam & navigationem hucuſque fugerint recentium Europæorum, qui tamen ſine comparatione anteferendi ſunt veteribus nautis, & antiquis luſtratoribus orbis. Et certum quidem videtur, ante ſeculorum conſummationem nullo termino conſtringendam eſſe Eccleſiæ Catholicæ fideíque veræ ditionem, omnéſ-

neſque prorſus gentes in hæreditatem Chriſti ceſſuras. Verùm Tertulliani. Hieronymi, Auguſtini, aliorúmque Patrum ævo id nondum contigerat, quanquanquam ex ipſorum ſententia Eccleſia Catholica *mundum repleret*; *totum terrarum orbem incenderet*; *in toto orbe divideretur*; *impleret univerſam terram*; *toto orbe diffuſa eſſet*. Maximam totius orbis portionem ea nomina ſonabant, illámque præcipuè, in quam aditus erat Judæis, Romanis, & Græcis. Hæc vulgò erat terra nota, hæc Patribus erat totus terrarum orbis. Divinæ verò Scripturæ illam vulgi opinionem, & loquendi conſuetudinem uſurpârunt, reverà ſignificaturæ eam terræ partem quam vulgus noverat; non enim divinum conſilium eo etiam pertinebat, ut fideles hinc diſcerent, alias eáſque ampliſſimas terræ partes haberi ultra cognitum orbem. Id quoque animadvertas, ubi Daniel prædicit, Alexandrum univerſæ terræ imperaturum. Lege etiam Cap. II. 5. Act. Apoſt. *Erant*, inquit Sanctus Lucas, *in Hieruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt*.

Ad hunc eumdem morem facit alius Auctorum locus XXVII. 27. *Circa medium noctis ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem*. Græci Codices, non *apparere*, ſed *appropinquare* habent, cùm utantur verbo προσάγειν. Ubi videmus cum vulgò loqui Sanctum Lucam, ipſúmque externam ſpeciem oculorum ſecutum; nam navigantibus littora moveri, & loca remotiora accedere aut recedere videntur.

Provehimur portu, terræque, urbéſque recedunt.

Eſt verſus perquam notus Virgilii 3. Æn. cui ſimiles benè multos facilè attexas. Cùm autem Apoſtolus in I. ad Cor. Cap. I. 21. ait: *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: cur eo vocabulo prædicationem veritatis & Evangelii deſignat, niſi quia ſapientibus hujus mundi, & humanæ rationi ſtultitia videbatur Chriſtiana Fides atque doctrina? Idem Apoſtolus in 2 ad Cor. Cap. IV. 4. *Deum hujus ſeculi* diabolum appellat, non quia talis ille ſit, ſed quia pro Deo ab Idololatris habetur, & colitur & ipſe Deum ſeſe venditat, uti innuitur Matth. IV. 9. & Luc. IV. 6. 7. Ab aliis eiuſmodi exemplis abſtineo, iis libentiùs uſurus, quæ ad propoſitum argumentum propiùs accedunt.

Nuſquam certè manifeſtiùs oculorum judicia, & vulgi opiniones conſectatur divina Scriptura, quàm cùm de cœlis, corporibúſque cœleſtibus loquitur. Iſaias XIII. 4. 5.

Digitized by Google

orbis vocabulo ſignificantur provinciæ & populi anteà cogniti, & magna terræ pars, aut vaſtiſſimum quoddam Imperium, quale olim Aſſiriis, & Alexandro Magno, & Romanæ Reipublicæ contigit. Inquit autem S. Lucas II. 1. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis;* ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὸν οἰκουμένην. En ut vulgari opinione dicendíque formâ utitur S. Evangeliſta. Magnifice de ſuo Imperio ſentiebant Romani. Nihil minùs, quàm totum terrarum orbem ſuâ ditione ſe tenere aut arbitrabantur, aut dictitabant. In hanc rem celeberrima præſertim ſunt Petronii verba in ſpecimine Belli Civilis.

Orbem jam totum victor Romanus habebat.
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque.

Et Hegeſippus Lib 2. Antiqu. Cap. 9. *Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur ac definitur.* Attamen nemo in Hiſtoria aliquantulum verſatus eſt, qui neſciat, longè abfuiſſe Romanos ab imperio totius orbis, cujus amplam quidem partem armis victricibus occuparant, ſed reverâ opinione minorem, ſi cùm tot aliis provinciis adhuc indomitis conferebatur. Cùm igitur in quibuſdam Scripturæ locis mentio fit de terra, de toto orbe, περὶ τῆς οἰκουμένης, non continuò accipienda ſunt ea vocabula de omnibus telluris gentibus atque provinciis, Interdum per illa ſignificatur Judæa tota cum Judæorum tribubus latè diffuſis, interdum Romanum Imperium, interdum etiam ea terræ pars quæ antiquis iis temporibus cognita erat, hominúmque Judæorum commercio patebat. Quam interpretationem admittit locus ille Pauli ad Rom X. 18. ubi ad Evangelii prædicationem accommodat Pſal. XVIII. verſiculum quintum: *Sed dico, numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Non enim veriſimile eſt, tum temporis in extremas uſque Scythiæ ſeu Tartariæ inhoſpitæ provincias, & in vaſtiſſimas Americæ regiones, atque in tot alias barbaras gentes ſub utroque Polo ſitas, Evangelium & Apoſtolos penetrâſſe; cùm noviſſime tantùm, hoc eſt tribus proximè præteritis ſæculis, magna earum regionum pars innotuerit, & ampliſſima adhuc regna tum circa Arcticum, tum circa Antarcticum Polum, diligentiam & navigationem hucuſque fugerint recentium Europæorum, qui tamen ſine comparatione anteferendi ſunt veteribus nautis, & antiquis luſtratoribus orbis. Et certum quidem videtur, ante ſeculorum conſummationem nullo termino conſtringendam eſſe Eccleſiæ Catholicæ fideique veræ ditionem, om-

néſ-

neſque prorſus gentes in hæreditatem Chriſti ceſſuras. Verùm Tertulliani, Hieronymi, Auguſtini, aliorúmque Patrum ævo id nondum contigerat, quanquanquam ex ipſorum ſententia Eccleſia Catholica *mundum repleret*; *totum terrarum orbem incenderet*; *in toto orbe divideretur*; *impleret univerſam terram*; *toto orbe diffuſa eſſet*. Maximam totius orbis portionem ea nomina ſonabant, illámque præcipuè, in quam aditus erat Judæis, Romanis, & Græcis. Hæc vulgò erat terra nota, hæc Patribus erat totus terrarum orbis. Divinæ verò Scripturæ illam vulgi opinionem, & loquendi conſuetudinem uſurpârunt, reverà ſignificaturæ eam terræ partem quam vulgus noverat; non enim divinum conſilium eo etiam pertinebat, ut fideles hinc diſcerent, alias eáſque ampliſſimas terræ partes haberi ultra cognitum orbem. Id quoque animadvertas, ubi Daniel prædicit, Alexandrum univerſæ terræ imperaturum. Lege etiam Cap. II. 5. Act. Apoſt. *Erant*, inquit Sanctus Lucas, *in Hieruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.*

Ad hunc eumdem morem facit alius Auctorum locus XXVII. 27. *Circa medium noctis ſuſpicabantur nautæ apparere ſibi aliquam regionem.* Græci Codices, non *apparere*, ſed *appropinquare* habent, cùm utantur verbo προσάγειν. Ubi videmus eum vulgò loqui Sanctum Lucam, ipſúmque externam ſpeciem oculorum ſecutum; nam navigantibus littora moveri, & loca remotiora accedere aut recedere videntur.

Provehimur portu, terræque, urbéſque recedunt.

Eſt verſus perquam notus Virgilii 3. Æn. cui ſimiles benè multos facilè attexas. Cùm autem Apoſtolus in I. ad Cor. Cap. I. 21. ait: *Placuit* Deo *per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: cur eo vocabulo prædicationem veritatis & Evangelii deſignat, niſi quia ſapientibus hujus mundi, & humanæ rationi ſtultitia videbatur Chriſtiana Fides atque doctrina? Idem Apoſtolus in 2 ad Cor. Cap. IV. 4. *Deum hujus ſeculi* diabolum appellat, non quia talis ille ſit, ſed quia pro Deo ab Idololatris habetur, & colitur & ipſe Deum ſeſe venditat, uti innuitur Matth. IV. 9. & Luc. IV. 6. 7. Ab aliis eiuſmodi exemplis abſtineo, iis lubentiùs uſurus, quæ ad propoſitum argumentum propiùs accedunt.

Nuſquam certè manifeſtiùs oculorum judicia, & vulgi opiniones conſectatur divina Scriptura, quàm cùm de cœlis, corporibúſque cœleſtibus loquitur. Iſaias XIII.

4. 5.

4.5. *Dominus exercituum,* inquit, *praecepit militiæ belli, venientibus de terra procul, à ſummitate cœli.* Hebræi codices habent: *Venientes de terra procul, ab extremo Cœli.* Gentes de longinqua terra. & *ab extremitatibus Cœlorum* venturæ, nihil aliud ſignificant, quàm populos ab extremis terræ partibus ac finibus in Babyloniorum imperium ruituros. Deſumptâ autem ex opinione populari ea phraſis fuit. Vulgo enim videtur cœlum eſſe, non ſphæricum, ſed hemiſphæricum, & in extremis terræ deficere, atque illic terminari. Eadem phraſis occurrit Deuter. IV. 32. & XXX. 4. & lib. 1. Eſdræ I. 9. & Matth. XXIV 31. Eo pertinet, quod in iiſdem ſacris Libris *Montes* appellantur *fundamenta Cœlorum.* Ità 2. Reg. XXII. 8. de Deo canit ſanctus Rex David: *Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata. Pro fundamento montium* legitur in Hebræis Codicibus *fundamenta Cœlorum contremuerunt Moſedoth haſciamaim irgazu.* Nimirum, ſi fidem oſculorum & judicium vulgi conſulamus, cœlum è longinquo videtur in montes deſinere, eos contingere, ipſiſque quaſi fundamentis initi. Columnæ itidem cœli appellantur Montes, Job. XXVI 11. Quia montes tanquam columnæ, ut oculo apparet, cœlum innixum ſuſtinere videntur. Familiaris fuit omnium populorum Poëtis hæc eadem dicendi forma; & inde Atlas, Olympus, aliique montes cœlum ſuſtinere dicti, quaſi ipſis incumberet cœlum. Neque aliunde *finitoris* ſeu *horizontis* nomen venit, niſi quia cœlum ſuo hemiſphærio contingere illam regionem videtur, quam terminat.

Non minus apertam in eo figuratæ dictionis genere phraſim invenio Exod. XVI. 21. *Colligebant autem manè ſinguli* (manna) *quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cùmque incaluiſſet Sol, liqueſiebat.* Quid eſt quod Sol incaleſcere dicatur? Num identidem frigeſcit, num de ſuo ardore atque calore Sol interdum quidquam remittit, ut ſubinde recuperet? Nequaquam profectò. Cùm vulgò loquuntur ſacræ Litteræ. Matutino tempore, cùm adhuc nocturnum frigus aërem occupet. Soliſque radii nondum ſuam vim repetitis ictibus in oppoſitum atmoſphæræ craſſiorem aërem exercuerint, Solis calor remiſſus, debiliſque omninò videtur. Ipſum itaque Planetam ſenſim incaleſcere arbitrantur mortales, quo altiùs ab horizonte procedit, quaſi in ipſo, & non potius in aëre, ſeu in hominibus ad Solem expoſitis creſceret aut decreſceret calor. Occurrit eadem phraſis 1. Reg. XI. 9. ac utrobique in Hebraicis Libris adhi-

Digitized by Google

adhibetur verbum *chamam*, quod propriè ſignificat *calere, incaleſcere*, & paſſivè accipitur. His adde Iſaiam dicentem Cap. XIII. 10. *Obtenebratum fuiſſe Solem in ortu ſuo.* En res tantummodo apparens in divinis Litteris delineata. Cùm nubibus obducitur cælum, aut inter Solem ac Terram Luna interponitur, Sol ipſe obtenebrari videtur. Videtur, inquam, oculis mortalium; non enim ipſius globum reverà tenebræ capiunt, neque ejus lumen deliquium patitur. Hinc Ezechiel XXXIII. 7. ſenſum Iſaiæ aliter expreſſit, inquiens: *Solem nube tegam.* Quandò verò in ſacris Scripturis ſtellæ de cœlo aut caſuræ, aut decidiſſe dicuntur, tunc ad ea, quæ apparent, alludere videntur Prophetæ; quippe non in terram cadere plures Stellæ poſſunt, cùm earum ſingulæ terram ſuâ magnitudine ſuperent. Fortaſſis etiam in Epiſtola S. Judæ Cap. I. 13. Quæ ibi *Stellæ erratica* appellantur, reverà Stellæ non ſunt, ſed meteora, & aëreis inflammationes in longum ductæ, cadentibus Stellis perſimiles, quæ vulgo ſtellæ creduntur.

Quid? quod in iiſdem etiam Scripturarum locis quæ pro Solis diurno motu contra opinionem Aſtronomorum proferuntur, ſacri Auctores popularibus locutionibus uti maluêre, quàm exquiſitis, & ad veræ Aſtronomiæ Phyſicæque amuſſim exactis. In Pſ. XVIII. 6. de Dei gloria, quæ in Sole præſertim apparet, loquens Propheta: *In Sole,* inquit, *poſuit tabernaculum ſuum. Et ipſe*(hoc eſt Sol) *tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam A ſummo cælo egreſſio ejus. Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus. Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Hîc Sol exoriens comparatur Sponſo procedenti de thalamo ſuo, quibus verbis ad populi opinionem alluditur, putantis, Solem quieſcere atque dormire: quandiu à noſtro hemiſphærio abeſt, & cum aurora è cubiculo quaſi poſt ſomnum egredi, atque interruptum curſum reſumere. Sequentia verba parùm aptè exponit celebris quidam inter Aſtronomos Almageſti novi Scriptor; ait enim, illic *Aſtronomico more initium finémque diei à ſummo, & in ſumme cæli, id eſt, à Meridiani culmine, ac ſumma altitudine Solis peti. Summum cæli,* quod hîc memoratur, unde Sol egreditur, & aliud *ſummum*, quò pervenit, nihil aliud ſunt, quàm extremæ cœli partes, quæ ſupra horizontem noſtris oculis ſeſe offerunt, ſcilicet Oriens & Occidens. Suprà vidimus, in Iſaiæ Cap. XIII. à vulgata memorari *ſummitatem cæli.* Itidem *à ſummo cælo uſque ad ſummum ejus,* legitur Deuter. IV. 32. & XXX. 4. ejuſdem libri. *Pro ſummo Cæli*

Vulga-

Vulgata legit hìc *Cardines Cæli*. Hæc autem omnia idem ſignificant, videlicet *extrema Cæli* (quæ etiam vox occurrit 2, Eſdræ I 9. Apud vulgatum Interpretem), & in Hebraicis ubique exprimuntur per vocabulum *Katſeh* , ſignificans *finem*, *extremum*, *extremitatem*, alicujus rei. Itaque in ſuprà laudatis verbis Pſalmi XVIII quæ Hebraicè ità ſonant: *Ab extremo cælorum egreſſio ejus, & revolutio ejus ſuper extrema eorum*, divina Scriptura loquitur ſecundùm opinionem vulgi. Rotunditatem cœli minimè aſpiciens, neque concipiens vulgus , duas ipſius *extremitates* ſibi fingit , oculis etiam hanc opinionem confirmantibus: alteram nempe , unde Sol oritur, alteram, quò ſe quaſi feſſum à curſu veſpere adveniente recipit. In eadem quoque opinione vulgi fuiſſe traduntur nonnulli è Patribus , cœlum arbitrari hemiſphæricum. Reliqua verba, ubi dicitur, *nihil ſeſe abſcondere à calore Solis*, hoc eſt, ejus fervorem omnia contingere, & in omnia penetrare: ad aliquam etiam vulgi opinionem forſaſſe reſpiciunt; ſed iis immorari nolumus,

Potiùs afferam, quæ in ſuprà laudato Eccleſiaſtis loco de Sole narrantur in Hebraicis Codicibus. Ibi enim ſcriptum eſt *veel mekomo ſcioeph*, hoc eſt, *& ad locum ſuum anhelus it*, ſeu *anhelat*. Ubi videmus , Scripturam ſacram figuratè loqui, non propriè, quaſi Sol vivat, moveatur, & è curſu anhelans ad locum quempiam properet ſibi conſtitutum, tanquam ad metam. Eâdem de cauſa ad illa verba *oritur Sol & occidit*, Lyranus adnotat: *ut apparet ad ſenſum*. Celeberrimum autem ad preces Joſue factum in Sole prodigium aliqua pariter nobis exhibet , quæ Spiritus Sanctus , non qualia revera ſunt, ſed qualia oculis noſtris apparent , in ea narratione uſurpavit. Cap. X. 12. Joſue referuntur ejuſdem ducis verba; *Sol contra Gabaon ne movearis , & Luna contra vallem Ajalon*. Seu, ut alii vertunt, *ſuper Gabaon*, *& ſuper vallem Ajalon*; ſeu ſecundùm Hebræos, *in Gabaon*, *& in valle Ajalon*. Cùm Tellus in comparatione Solis ſit exigua moles, & Gabaon , ac vallis Ajalon in eodem terreo globo ſint minutiſſimum punctum ; quomodo Soli præcipitur , ne moveatur , ſivè ut ſileat (ità Codices Hebræi) ac ſtet ſuprà Gabaon , & ſuprà vallem Ajalon ? Numquid huic puncto reſpondere poteſt ingens Solis globus? Ad vulgare igitur oculorum judicium alludere videtur Joſue; noſtris enim oculis Sol apparet tanquam diſcus duobus palmis dimetiendus, & ſuper exiguum unum cœli ſpatium moveri. Infrà additur : *Stetit itaque Sol in medio cæli*. At cœleſtes orbes , ſi exactè loqui velimus,

mus, carent medio, atque extremitatibus; nam in corpore ſphærico, in ſemita aut linea circulari, quæ extremitas, quod medium reverà excogitari poteſt? Ergo iſtud etiam interpretari juvat ad ſenſum vulgi. Nempe oculis ille medius eſſe videtur cœlorum locus, qui ab Oriente atque Occidente æqualiter diſtat. Concluditur tandem narratio his verbis: *Non fuit antea, nec poſtea, tam longa dies.* Ridendum ſe præberet, qui ad litteram hæc verba accipiens, contenderet, nullam in toto terrarum Orbe longiorem illâ diem fuiſſe, Peragrantibus regiones ſub utroque Polo ſitas exploratum eſt, Solem diutiùs lucere, ibíque longiores ſine comparatione contingere dies. Verùm ſcriptura ad intellectum & ſcientiam Judaici populi ſeſe accommodabat. Rudi illi populo Solis effectus ſub regionibus Polaribus ignoti erant, neque porrò divinus Spiritus revelare volebat, & ad utilia nimirum intentus, & à paſcenda inani hominum curioſitate alienus.

Quæ cùm ità ſint, & tot exemplis jam pateat, non rarò Scripturam ſacram. & præſertim dum de corporibus cœleſtibus agit, humano more, & ex vulgi uſu ſolere loqui: uti etiam Sanctus Auguſtinus Lib. I. Cap. 39. Quæſt. ſuper Gen, & cæteri Patres animadverterunt: illud conſequitur, neque temerè, neque imperitè agere, qui loca ejuſdem Scripturæ, mobilitatem Solis præ ſe ferentia, figuratè accipiunt, explicántque per Metonymiam, ut Scripturæ, non quæ ſint, ſed quæ appareant, illic enuntiet, & vera facta referat per improprias vulgi phraſes. Et non violentam, neque inſolitam, neque abſurdam interpretationem illic adhiberi, tot rationes ſuadent, quot exempla produximus. Quòd ſi per ejuſmodi æquam interpretationem error omnis, & mendacii ſuſpicio à ſacris Litteris excluditur atque arcetur divinæque Hiſtoriæ dignitas & fides in tuto poſita eſt: equidem non video, cur iis incertis & commodè exponendis documentis urgere velimus Aſtronomorum opinionem, eóque minùs, queis ipſam impietatis arceſſere. Non enim illa quidem certa, non demonſtrativis rationibus probata, & per Tychonicum Syſtema ſuppleri forſitan poteſt; ſed veriſimilis tantùm eſt, motibúſque cœleſtibus explicandis, & ſuperfluis compluribus removendis omnium conſenſu perquamidonea. At ne certiſſima quidem neq; evidentia eſſe videntur Scripturarum interpretamenta, quæ adversùs ipſam pugnare debentur, ut illorum patentiſſima veritas nutantem iſtius veriſimilitudinem ſuo

pon-

pondere apertè proſternat. Nam quòd in hanc rem aliqui ajunt, *omnem ſacræ Scripturæ propoſitionem accipiendam eſſe in ſenſu litterali & proprio, quotieſcumque in tali ſenſu non eſt repugnantia cum aliis propoſitionibus ejuſdem Scripturæ æquè aut magis certis aut cum definitione ſummi Pontificis, aut cum propoſitione aliqua naturali lumine certa & evidenti*; hoc, inquam, tam latum ac generale axioma neſcio quàm opportunè inculcetur. Certè quantùm fieri poteſt, retinere & conſectari debemus litteralem proprium Scripturæ ſenſum. Verùm propè innumera ibi ſunt de rebus ad ſalutem non neceſſariis ſeu dicta, ſeu phraſes, ſeu verba, quibus neque fidei, neque Eccleſiæ placita, neque naturalis luminis lux palam repugnat, & tamen in ſenſu litterali ac proprio à Sanctis Patribus, aliiſque Catholicis interpretibus non accipiuntur. Ut aliter iſta explicentur, atque accipiantur, quàm primâ facie accipienda videantur, ſufficit, ut id probabilior aliqua ac veriſimilior ratio ſuadeat, petita è liberalibus diſciplinis, è profanis Hiſtoriis è populorum moribus, aliiſque etiam minus certis fontibus, & ſit non violenta, ſed naturalis, atque in aliis ſimilibus locis uſitata & probata interpretandi ratio.

Sed ut clariùs loquamur, meminiſſe debent viri Theologi litteralem Scripturæ ſenſum quatenus à myſtico diſtinguitur, vel proprium eſſe vel figuratum. Eſt autem Auguſtini & complurium ſententia, interdum plures litterales ſenſus uni Scripturæ loco ſeu teſtimonio congruere, cùm contrà alii arbitrentur, unum ſolùm convenire poſſe. Utriq; rectè ſentire, eorúmque opiniones facilè conciliari poſſe videntur Unicum tantummodo ſenſum litteralem (non excluſo myſtico) aut propriis aut figuratis verbis expreſſum in quolibet ſacrarum Litterarum teſtimonio divinus Spiritus reverà voluiſſe concludere cenſendus eſt. At cùm Scripturæ verba, quod eſt ad ſenſum litteralem, ſint obſcura interdum, variiſq; interpretationibus obnoxia, incertúmque non raró ſit, utrum propriè an figuratè ſint accipienda: diverſas propterea litterales interpretationes ad eundem locum adhibere licet. Harum quælibet, modò contorta non ſit ac violenta; modò non aliis Scripturæ, Traditionis, & rationis luminibus adverſetur, convenire, & laudari, ac tolerari poteſt. Quandiu non conſtet, quæ ſit eo loco mens divini Spiritûs, neque evidenter appareat unicus ille ſenſus, quem Deus ſignificare voluit: quid vetat pluribus modis eandem explicare locutionem, dum id religioſè fiat? Loca autem illa Scripturarum, quæ

ad

Digitized by Google

ad fidei ac morum doctrinam ſpectant, uno duntaxat modo eſſe explicanda, neque plures pati poſſe literales ſenſus, dicimus; quia germanum eorum ſenſum à Deo unicè expetitum jam Eccleſia ab ipſo Deo didicit, & per Traditionem, atque unanimem Patrum conſenſum ad nos uſque tranſmiſit. Quare in iis locis interpretandis ab Eccleſia, à Traditione, à Patribus recedere nefas eſt. Verùm in aliis Scripturæ locis, quibus doctrina ſalutis minimè continetur, ubi ſenſus non aliunde jam certus ſit, immo ubi iſte ſit obſcurus,& diverſam literalem interpretationem comodè patiatur: locum utique habet Auguſtini aliorúmq; ſententia, plures videlicet ſenſus literales convenire uni loco poſſe, ac tolerari debere. Hìc valent ſanioris Criticæ leges. Quamvis obvius ſenſus minimè tum incurrat in fidei & caritatis dogmata, neque rectam rationem pulſet: ſi tamen non benè conſentire deprehendatur cum Experientiæ, Phyſicæ, Geographiæ, Aſtronomiæ, Hiſtoriæ, Logicæ, aliarúmq; diſciplinarū veriſimilibus ſententiis,& contrà conciliari cum iſtis non abſurdè, non violenter poſſit, vel figuram aliquam illic oſtendendo, vel prætermiſſa ſupplendo, vel obſcura explicando: probabiles fiunt, veriſimiles, atque tolerabiles alii etiam ſenſus literales.

Retinere igitur proprium literalem ſenſum Scripturæ non cogimur, eiq; licet præferre figuratum literalem, ſive cùm veriſimilis ratio hunc potiùs quàm illum eligendum ſuadet, ſimúlque in aliis ejuſdem generis locis ità explicari Scriptura amat, ſive cùm hujuſmodi explicatio à Patribus non impugnatur, non diſſentit ab aliis Scripturæ clarioribus locis, non ab Articulis fidei, non à recta ratione. Hoc enim eſt, non in Allegorias hiſtoricum literalem ſenſum deflectere, ſed eum hiſtoricum ac literalem ſenſum Scripturis tribuere, qui rei,& narrationi,& conſuetudini Prophetarum aptiùs conveniat. Unicum exemplum dabo. De Hieroſolymæ excidio hæc prædicebat divinus Magiſter, Lucæ XIX. 44. *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Utì nemo non intelligit, obvius literalis, ac proprius horum verborum ſenſus eſt, ità minutatim urbis illius mœnia, ac domos disjicienda ac ſubvertenda fore, ut unus lapis relinquendus non ſit cum altero coagmentatus. Nihil prohibet, quin ità reapſe eveniſſe dicamus in celebri expeditione & victoria Titi. Adversùs alia Scripturæ loca, adversùs Traditionem Patrum, aut Romanorum Pontificum, Conciliorúmve decreta non pugnat hic ſenſus. Neque naturali lumini adverſatur; poterant enim Romani id

O nullo

Digitized by Google

nullo negotio præſtare,ſi animus fuiſſet. Hiſtoria etiam & Patres ità vaſtatam Hieroſolymam ajunt,& ſolo æquatam, ut ne ullum quidem ſignum habitatæ urbis relictum fuerit. Prædixerat etiam Chriſtus nullum Hieroſolymitani Templi *lapidem ſuper lapidem relinquendum, qui non deſtruatur,* Matth. XXIV. 2. & Marci XIII. 2. Plenè Prophetiam hanc impletam fuiſſe, Hiſtoria fidem facit. Ingentes immenſæ illius molis lapides victor exercitus omnino contrivit, atque diſſolvit, ferrum ac plumbum, quo connexi fuerant, rapturus. Et ne veſtigia quidem celeberrimi Templi reliqua fuêre; ipſius enim fundamenta Turnus Rufus aratro evertit, adeò ut nihil integrum remanſerit, nullúſque lapis lapidi impoſitus. Parem igitur everſionem toti quoque civitati contigiſſe, non ſolum non abhorret à vero, ſed veri omnino ſimile videtur; & ſi audire velimus, legem à quibuſdam, utì ſuprà diximus, nobis præſcriptam, neceſſe erit id ſinè dubitatione credere factum.

Ex alia tamen parte veriſimile nequaquam videtur, tantum otii fuiſſe Romanis, ut tam minutè ampliſſimam urbem, ejúſque omnia fundamenta conſcinderent. Ad hæc Auctor Joſephus eſt Lib. 7. Cap. 18. de Bell Jud. à vaſtitate urbis immunes fuiſſe Turres, quæ præter alias eminebant, partémq; muri ad Occidentem non fuiſſe dejectam. Quocirca, relicto obvio proprióque ſenſu, alter ſenſus æquè literalis & hiſtoricus, ſed priore veriſimilior tribui poteſt iis Servatoris noſtri verbis. Is nempe vulgarem conſuetudinem loquendi imitatus, *nullum lapidem ſuper lapidem relinquendum* hyperbolicè prædixit, quò ſignificaret, urbem funditùs diruendam,ejúſque everſionem ingentem,inſuetam,& horrendam ſupra modum eſſe futuram: quam ſanè prædictionem nemo dubitat, quin plenè eventus complêrit. Igitur videndum eſt, quare non & Aſtronomis liceat diverſum ab obvio ſenſum quibuſdam Scripturæ locis tribuere, cùm præcipuè ſimilis interpretatio in aliis Scripturæ locis ſimillimis non ſolùm non vituperetur, ſed etiã laudetur & veriſimiliores rationes, ut vulgò Aſtronomi fatentur, Copernicanæ, quàm vulgari ſententiæ, faveant, & hæ rationes veriſimiliores præferendam etiam, aut ſaltem ferendam eſſe ſuadeant adhibitam ab ipſis interpretationem Scripturæ. Hoc, inquam, videndum; cùm cæteroqui pateat, literalem ſenſum in iis Scripturæ locis intactum cuſtodiri, & æquè per eam explicationem ſtatui miraculum, quod Joſue contigit. Sed quomodocumque tandem iſta quæſtio verſe-

Digitized by Google

verſetur, illud certum eſt, in his ad doctrinam fidei nequaquam ſpectantibus rebus, nihil aliud Eccleſiam ab Interprete exigere, niſi ut à ſacris Scripturis omnis ſuſpicio falſitatis ac erroris avertatur, idque præſtetur per commodas ac veriſimiles Interpretationes, & veriſimilior Interpretatio minus veriſimili anteponatur, quanquam ne ipſæ quidem minus veriſimiles idcirco ſint repudiandæ. Hæc autem omnia præſtitiſſe Copernicani ſibi videntur. Quod an verè contigerit, prudentum eruditorum erit judicare, donec Eccleſia hanc ritè controverſiam decernat, ſi tamen id facere, aut utile ſit, aut neceſſarium ſanctiſſimæ Religioni.

Neque eſt, cur aliquis dicat: Diurnus Telluris motus minimè demonſtrativè oſtenditur verus. Ergo rejiciendus. Ergo vetus & comunis ſententia de Solis motu retinenda. Nam non ideo omnes Scripturæ interpretationes rejiciendæ, quia demonſtratione caret ratio ità interpretandi. Alioqui de commentariis SS. Patrum, aliorùmque Interpretum actum eſſet, eamdem interdum ſententiam variè atq; oppoſitè in hujuſmodi locis exponentium. Deinde prudenter quidem, & religiosè Ptolemei, ſeu Tyconis ſententia retineatur, ſed ità ut ad fidem pertinere nondum dicatur, neque hæreſis poſtuletur contraria ſententia. Copernicani enim Syſtematis rationes, etſi nequaquam demonſtrativæ ſint, eæ tamen ſunt, quæ dubium faciunt Scripturæ ſenſum in locis ſuprà laudatis, ipsúmque veriſimili ac probabili interpretatione à ſe non diſſentire oſtendunt. Quid ſi aliquando hæc demonſtratio à ſolertibus Aſtronomis & Philoſophis adinveniretur? Nónne tum certum foret, interpretationem propoſitam non ſolùm tolerabilem & æquam, ſed etiam neceſſariam eſſe? At quis non videat, periculoſiſſimum, atque à Religionis Eccleſiæque inſtitutione alienum eſſe, velle id nunc pertinere ad fidem, quod cras pertinere non poſſit? Fides atque ſtabilitas credendorum in Eccleſia Chriſti, abſit, ut ab humanis experimentis pendeat. Alibi autem vidimus, Concilia ipſa Generalia ex Auguſtini ſententia certiſſimè definiri non poſſe, quæ è novis experimentis aliter ſe habere deprehendi poſſunt. At inquias: nulla unquam opinioni Copernicanæ demonſtratio invenietur. Conſentiam, ſi vis, & ego; verùm præ difficultate rei ſemper fortaſſe deſiderabitur hujuſmodi demõſtratio, non quòd aperta revelatio divina jam ſpem omnem illius inveniendæ ſuſtulerit. Ne Ptolemaïci quidem, aut Tychonici Syſtematis demonſtratio hucuſque inven-

Digitized by Google

ta; imò hæc majoribus quàm Copernicanum difficultatibus laborare videntur. Interim ergo prudentis eſt ſuſpendere judicium, neque tam acriter urgere divinas Literas, ut oppoſitam ſententiam hæreſis & impietatis inſimules. Id enim eſt contra Eccleſiæ ipſius mentem, cujus in hiſce quæſtionibus moderationem omnia monumenta antiquitatis teſtantur, & nos dilucidius expoſituri ſumus.

CAPUT XXIII.

Traditio, & evidentia exiguntur, ut in his ad ſalutem minimè ſpectantibus documentis ſtatuatur, aliquid certò eſſe credendum. Concilii Tridentini laudandum de ratione interpretandi præceptum. Evidentia in his non rarò deſiderata. Quid de Antipodum exiſtentia olim creditum, & quàm prudenter ab ea quæſtione dirimenda abſtinuerit Eccleſia. Scriptura non detorquenda ad profanorum dogmatum tutelam. Petavii & ſancti Thomæ ſententia de ſtilo Moſis.

UTì ſatìs ſignificâſſe mihi videor, ab Eccleſiæ foro atque cenſurâ eximere ſeſe non poſſunt quæſtiones opinionéſque eruditorum hominum hac una de cauſa, quod nihil in fidei & caritatis doctrinam directè & ſuaptè naturâ influant, ſive uno, ſive altero potiùs modo definiantur, quotieſcumq; per eas Chriſtianæ doctrinæ divinitùs certæ pars aliqua læditur, aut per latus confoditur, & erroris ſive mendacii ſuſpicione, nedum notâ patenti, aſpergitur divina Scriptura: tunc in eas gladium æquiſſimè & ſanctiſſimè arripit Eccleſia, eáſque proſternit, atque è fidelium ſcholis & cordibus eliminat. Duplici autem modo ſuum hoc jus Eccleſia exercere poteſt, aut ipſas opiniones reverà damnando, tanquam fidei & ſacrarum Literarum doctrinæ contrarias, aut ſolùm vetando, ne publicè tradantur, néve per Libros diſſeminentur in vulgus, prudentiſſimè proſpiciens incautis, ignaris, & novitatum amatoribus, quorum ſaluti æternæ aut jam cœpit, aut in poſterum poteſt nocere ejuſmodi quæſtionum atque opinionum agitatio. Verùm iſtâ medicinâ rarò, illâ etiam rariùs Eccleſia utitur; & neutrâ ſanè, niſi præceſſerit accuratiſſima cauſæ rerúmque cognitio. Et primò ſententias quaſdam ad ſalutis fidei-

fideique eruditionem per ſe non pertinentes damnatura, rem tantam peragere ſe non poſſe , neque debere, probè intelligit, niſi explorata Traditio, & evidentia rei prius moneant, ejuſmodi ſententias ſacrarum Literarum , fideique firmiſſimis documentis opponi. Nam ſi in judicandis rebus fidei, quæ propriè ſui ſunt juris, & quas Theologorum eſt ſcire, hæc eadem fundamenta exiguntur in Eccleſiaſticis Præſulibus : quantò magis eadem exigenda ſunt, cùm de aliis rebus judicandum eſt , quas ad Religionem non tam propriè pertinere diximus, imò nos ignorare ſinè crimine poſſumus?

Sæpè autem Traditio deſideretur, ſæpè etiam evidentia. Nam rarò contingat, ut de inanibus ſæcularis eruditionis quæſtionibus Traditio vera attribui poſſit Eccleſiæ Dei. Hujuſmodi quæſtiones vel tanquam inutiles neglexerunt, vel tanquam pernicioſas, humanæ curioſitatis nutritias fugerunt ſancti Patres. Quòd ſi eas pertractârunt, aut obiter, aut etiam ex profeſſo, nihilominus tanti eorum dicta valere noluit Eccleſia, ut ipſorum auctoritati faſces neceſſariò ſubmitterent omnia poſterorum ingenia, & legitima inde Traditionis Eccleſiaſticæ forma petenda foret. Hanc Patribus venerationem profectò debemus, cùm de Chriſti, & Eccleſiæ, & morum doctrina loquuntur, eámque doctrinam in ſacris Literis unanimi conſenſu exponunt. In reliquis profanæ literaturæ partibus, immo in ipſis Scripturis interpretandis , ubicumque non agitur de ſalutari illa fidei & caritatis doctrina, nunquam ità premimur auctoritate, aut ſanctitate , aut eruditione Majorum , ut ſi quid melius, verius, aut ſaltem veriſimilius ac probabilius nobis occurrat, proferre, atque etiam adoptare non liceat, dum Scripturæ ſanctæ veracitas , dignitáſque ubique intacta ſervetur. Hac libertate hucuſque ſunt uſi, atque adhuc utuntur recentiores Scripturarum Interpretes , omnéſque eruditi Catholicæ communionis, quoties in id genus controverſias incidunt , neque religioni ſibi ducunt diſſentire à Patribus in iis, quæ quocumque modo explicentur ac dirimantur, nullam divinis Literis, nullam fidei doctrinæ, nullam Eccleſiæ ſanctæ injuriam inferunt, & veritatem, quàm proximè poſſunt, accuratè conſectantur. Eſſet igitur inquirendum, num venerandum Traditionis nomen rectè ac legitimè in Copernicanam aliáſque ejuſmodi cauſas à nonnullis proferatur: ſcil. num ſancti Patres Telluris motum reverà damnârint, ſacríſq; Literis contrarium appellârint, cùm certè non à Copernico originem duxerit

ea opinio, ſed quibuſdam ex antiquis Philoſophis, uti diximus, in mentem venerit. & literis mandata, fortaſſe ab ipſis Patribus ignorata non fuerit.

Interim nobis planè commemorandum eſt, & ſummè commendandum Tridentini Concilii decretum Seſſ IV. evulgatum, quò nihil in hanc rem opportuniùs reperias: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit ſancta Synodus, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.* Mirari tamen, neque injuriâ, liceat, quî hanc regulam ſapientiſſimè conceptam intorquere nonnulli velint adversùs Copernicani Syſtematis patronos, quaſi in omnibus quæſtionibus unanimem ſanctorum Patrum conſenſum neceſſariò ſequendum Eccleſia pronuntiet. Non inquit ſancta Synodus, piaculum eſſe à Patribus diſcedere in Quæſtionibus Hiſtoricis, Philoſophicis, Mathematicis, Phyſicis, Aſtronomicis, Geographicis, aliiſque hujuſmodi rebus, quibus ſacræ Literæ materiam vaſtam ſuppeditant. Conceptis verbis petit illa, ut ſenſum Eccleſiæ, ac eoſdem Patres humiliter audiamus, fideliter ſectemur, cùm agitur *de rebus fidei & morum ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium.* Quibus ſanè verbis non tam apertè coërcet petulantium ingeniorum temeritatem in pertractandis rebus utilibus, ſive neceſſariis ad fidem, ac mores, quàm tacitè monet quorumdam aliorum exuberantem zelum, ne ſententiam & auctoritatem Patrum importunè objiciant, & neceſſariò præferendam putent in reliquis etiam aut minimè neceſſariis, aut inutilibus quæſtionibus, & in exponendis iis Scripturæ locis, quæ ad fidem, & mores, atque ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ non pertinent. Si & hoc poſcere Tridentinis Patribus animus fuiſſet, nihil erat, quod ſua verba ad ſalutares tantummodo quæſtiones è Scripturis emanantes ſpectare affirmarent; & ſaltem aliis dicendi formulis latiùs patere mentem ſuam indicâſſent. Sed iis perſpectum erat, fruſtra ad fidem trahi de his rebus ſcitu non neceſſariis imò ad æternam vitam inutilibus qualemcumque ſententiam.

Itaque ſapientiſſimè in eam illi ivêre ſententiam, quæ & unitati fidei conſulit, & ingeniorum libertatem non minuit, optimè intelligentes, quando Scripturæ veracitas, fideique veræ doctrina ſinè vi collocentur in tuto, non

eſſe

eſſe litem intendendam diverſis Interpretum ſententiis de rebus ad Fidem, & Mores, & Chriſtianæ Doctrinæ ædificationem nequaquam pertinentibus. Præ oculis autem Tridentinorum Patrum, ut arbitror, tunc erant Apoſtoli verba in Ep. 2. ad Tim. III. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Ad quid utilis ſit divina Scriptura, en quàm apertè Apoſtolus ſignificat. Nimirum juſtitiam tradere illius eſt ſcopus, quo nomine virtutes omnes complecti Scriptura ſolet, & ad caritatem, & ad omne opus bonum Fideles incitare atque inſtruere. Non, inquit, ad Mathematicas, Aſtronomicas, Phyſicas, atque alias id genus controverſias dirimendas, doctrináſque ſæculares explicandas, non ad erudiendum in hiſtoria naturali, quæ verba neſcio, quibus Codicibus fretus Almageſtri novi architectus Apoſtolo affingit, ut Copernicanis invidiam creet. Iſta quoque (non inficiamur) innuuntur, & obiter memorantur ſacris in Literis; ſed ut eadem aliquo pacto & pro conditione ſua nos ad fidem, pietatem, & caritatem erudiant, & à nobis in eum finem conſiderentur, non ut reapſe diſputationibus noſtris, & noſtræ curioſitati finem faciant. In hanc rem præcipuè conſulendus S. Auguſtinus lib. 1. Cap. 35 & 36. de Doctr. Chriſt. ubi Scripturæ totius ſummam & ſcopum ſtatuit in commendanda nobis dilectione Dei, & proximi.

Cæterùm ex his etiam intelligere poſſumus, evidentiam non raro deeſſe, neceſſariam prorſus, ut ab ipſis Eccleſiaſticis Judicibus certa feratur de his quæſtionibus ad ſalutem non pertinentibus ſententia. Partim id contingere ex rerum difficultate, atque obſcuritate, partim ex ambiguo Scripturarum ſenſu poteſt. Aut turgidus, nimiúſque ſui æſtimator, aut cœcus aliorum venerator ſit, neceſſe eſt, qui tot Ariſtotelis, Epicuri, Carteſii; Galeni ſententias, in Phyſicis potiſſimùm, ſinè ullo diſcrimine certas eſſe contendat. Pleræque (ut noverunt, & diſſimulare nequeunt ſinceri Philoſophi) intra unius veriſimilitudinis pomœria continentur. Quo quæque deprehenditur, aut apparet veriſimilior, eò dignior fit plauſu & conſenſu eruditorum. Hinc tot ſonoræ lites, & verborum rationúmque pugnæ, non priùs modum ſinémque habituræ, quàm in terris habitare & literas colere deſinat mortalium genus. Has autem, ut ità dicam, ingenitas rerum tenebras ne ipſe quidem divinus Spiritus in Libris ſuis diſcutere vo-

luiſſe putandus eſt. Imò ipſe teſtatur, ſe in hujuſmodi rebus tradidiſſe mundum diſputationi hominum, ſéque Deum eſſe docentem utilia, & tradentem unam ſcientiam reverà lucidam, & facilem; qualis (poſtquam locutus eſt ipſe, & poſtquam quid ipſe locutus ſit, ab Eccleſia Catholica illius Interprete edocti ſumus) eſt fidei Catholicæ, & caritatis doctrina, non autem Phyſicæ, Aſtronomiæ, & horum ſimilium. Id autem in ſacris Codicibus evidenter traditum non dicitur, quod plures commodas & germanas patitur interpretationes, è quibus nulla certiſſimis aliis Traditionis, & Rationis, & Scripturæ documentis opponitur. Multóque minùs illæ Scripturæ ſenſus evidens appellandus, cui veriſimiliores rationes, & experimenta ſive jam facta, ſive peractu non impoſſibilia, diverſum alium ſenſum; immo oppoſitum, eſſe præferendum monent; in iis nempe rebus, quarum, uti ex generali regula ſtatutum eſt, certam nobis cognitionem Deus relinquere voluiſſe nequaquam videtur, & quas contineri Traditione Patrum difficile demonſtretur; & quæ nihil Religionis interſit, quod uno potiùs quàm altera modo ab hominibus credantur.

En ergo cauſæ, cur ab hiſce quæſtionibus dirimendis Eccleſia Catholica, & Patres, & Romani Pontifices plerumque abſtinent. Tum ſolùm in hoc etiam ſtadio currunt; ſuáque non fallaci auctoritate utuntur, cùm neceſſitas cogit. Tum verò cogit neceſſitas; cùm evidenter adeò de hujuſmodi quoque indifferentibus rebus Scriptura loquitur, ut unum tantummodo ſenſum ejus verba admittant, & reliqui ſenſus, reliquæ interpretationes ab uſu Scripturæ ipſius, aut ab aliis manifeſtiſſimis ejuſdem locis; aut à Fide, Traditione, ratione rectâ apertè abhorrent. Sublatis hujuſmodi periculis & incommodis; & Scripturæ ſanctæ veracitate ac dignitate ſervatâ, placidè has controverſias Eccleſia intuetur, ac tolerat, aut certè eorum deciſionem ſuſpendit. Et cur in hiſce minutis, & ſuapte natura non utilibus, neque neceſſariis quæſtionibus dirimendis ſeſe Eccleſia occupet, quæ tot alias controverſias inter Theologos & ſacrarum Literarum Interpretes regnare ſinit, ipsáſque dijudicare ſuperſedet? Majoris momenti ſunt iſtæ, quàm illæ, & propiùs ſinè dubio ad Chriſtianam Doctrinam accedunt, immo de ipſa Chriſti doctrina, de fide, ac moribus plerumque agunt. Pro iſtis etiam, & contra iſtas, afferunt divinæ Scripturæ verba; quibus unuſquiſque ſenſum tribuit veriſimilem; interpretatione

præpo-

præpoſita, quæ ſuis cum opinionibus conveniat. Attamen Eccleſia ſuſtinet pacificè tantam quæſtionum ſegetem, & interpretationum varietatem; & niſi abſurda tradantur, & contraria receptis dogmatibus; à judicando temperat. Ipſis etiam diſceptatoribus ſeſe invicem hæreſis & impietatis poſtulantibus, ſapientiſſimè mandat interdum, ut his contumeliis parcant, neque ſibi judicium uſurpent Apoſtolicæ Sedi, & Conciliis reſervatum. Ergo multò cautiùs & prudentius Romani Pontifices, & Concilia, aut deſpiciunt, aut ferunt iſta de rebus indifferentibus, & à Scripturæ ſcopo alienis, litigia, dum ſine Scripturæ ipſius injuria ac dedecore exerceantur.

Non ſolùm autem à judicio, quantum fieri poteſt, in his Eccleſia abſtinet, ſed ægro nonnunquam fert animo, ſacras Litteras in patrocinium Phyſicarum, aliarúmque ejuſmodi ſententiarum, ità advocari; ut quiſquis ſecùs ſenſerit, ſtatim venditetur violatæ fidei reus. Neque ſolùm ſinit, ut arma è divinis Libris petita per veriſimilem aliquam explicationem declinentur; ſed ne impedit quidem, quominus apertas his de rebus ſententias Patrum deſeramus, ubi veriſimiliora argumenta, robuſtiores rationes, multóque magis experimenta manifeſta pro aliis iiſque contrariis ſententiis pugnant. Vulgata eſt veterum quorundam opinio quæ Antipodas ab orbe terrarum excludebat, eámque hîc memoraſſe non abs re erit. Poſt aliquot profanos Auctores ità ſenſiſſe videntur Lactantius, Auguſtinus, Iſidorus Hiſpalenſis. Nazianzeno ea quoque ſententia placuiſſe fertur, neque ab ea abfuiſſe cenſendi Chryſoſtomus, Procopius, Diodorus Tarſenſis, Acacius, Theodoretus, Theophylactus, Severianus, Euthymius, Joannes Damaſcenus, & alii, quibus Cœlum non Sphæricum, ſed Hemiſphæricum putabatur. Utramque iſtorum opinionem, ne dicam puerilem, certè abſurdam, uti nunc omnes fatentur, Aſtronomicæ, Phyſicæ, & Mathematicæ rationes dejicere olim poterant, & demum experientia profligavit. Antequam tamen Columbus felici auſu ignotum orbem pervium nobis feciſſet, fingere nobis liceat, Antipodas à quoquam aſſertos fuiſſe; & hujus opinionem ſibi exagitandam delicatulos quoſdam ſuſcipere voluiſſe. Philoſophia ſimul & experientia nonnullas veriſimiles rationes ſuffeciſſent, quibus Antipodes negandi, Tellus non rotunda, Cœlum verò hemiſphæricum eſſe probarentur. Tum auctoritas Scriptorum, ac præcipuè Patrum in aciem educta fuiſſet. Demum divina Scriptura prælium abſolve-

re poterat. Uti ſuprà vidimus cœli ac terræ extremitates illic memorantur; totus terrarum orbis ſub Auguſto deſcriptus, ab Apoſtolis aliíſque Diſcipulis Chriſti peragratus, & per omnes gentes atque per univerſum terrarum orbem Eccleſia jam diffuſa temporibus Patrum occurrebant. Ergo nulli Antipodes ſtatuendi erant, quos Populi & Patres tunc ignorabant, imò negabant.

Quid hîc feciſſent, qui Scripturam ſacram de his etiam indifferentibus rebus loquentem in ſenſu litterali proprio, neque figurato, ubique & ſemper accipiendam eſſe contendunt, quoties hic ſenſus *non repugnat cum aliis Scripturæ locis, æquè, aut magis certis, aut cum Eccleſiæ definitionibus, aut cum propoſitione aliqua naturali lumine certa & evidenti?* Non erant Scripturæ loca, quibus adverſaretur opinio Antipodas terræque rotunditatem negans. Imò Severianus Iſaiæ verbis XL. 22. ſecundùm verſionem Septuaginta opinionem ſuam tuebatur; ibi quippe legitur: *Qui ſtatuit cœlum tanquam fornicem, χαμάραν* Chryſoſtomus proferebat Epiſtolam ad Hebr. VIII. 2. Procopius illis verbis Pſ. 18. utebatur, *à ſummo cœlo egreſſio ejus.* Ad hæc erat dogma, quocum conciliari non poſſe contraria ſententia putabatur. Nullus hominum non ab Adamo propaginem ducit. Si homines excogitabantur immenſo interjecti Oceani ſpatio à nobis disſiti, nullâ ad eas terras navigatione cognitâ, & ne poſſibili quidem, uti olim arbitrabantur: ægrè perſuaderi, & credi, & ſuſtineri poſſe videbatur certa de unius hominis propagatione ſententia. Neque cum ulla Eccleſiæ definitione proprius ille Scripturæ ſenſus pugnabat, Imò proferri contrà poterant verba Zachariæ Romani Pontificis ex Epiſt. 10. ad Bonifacium Moguntinum. Virgilium quemdam affirmantem, *quòd alius mundus & alii homines ſub terra ſint*, damnat ibi Pontifex, & Sacerdotii honore privandum ait, ejúſque *doctrinam perverſam*, pugnantémque *contra Dominum & animam ſuam*, apertè vocat. Num denique in proprio ſenſu ea Scripturæ verba accipientibus *aliquâ naturali lumine certa & evidens propoſitio* opponi poterat? Imò qui Antipodas ſtatuebant, naturali lumini renuntiare credebantur: Nam qui excogitare gentem, quæ adverſa nobis veſtigia figat, neque in cœlum irruat? Id monſtri ſimile videbatur; id eruditi ipſi, nedum rude vulgus, concoquere minimè poterant. Tam parum, inquam, apparebat à recta ratione abſona Antipodum negatio, ut illam cùm Philoſophi, tum Hiſtorici, & eruditorum ferè omnium chorus ſine comparatione magis, quàm alteram opinionem,

nem, conſentaneam rationi, & experientiæ cenſerent. Si iſtos ergo homines auſcultâſſet Eccleſia, certè conclamatum fuiſſet in Antipodas, in cœli terræque rotunditatem. Et quid ſi eam ſententiam Eccleſia tuliſſet, quam falſam & irridendam experimenta ſubinde monſtrâſſent? Quantum quidem arbitror, eò tandem confugere neceſſe erat, ut diceretur, nihil mirum, quod in illo judicio Eccleſia defeciſſet, quæ ſe quæſtionibus immiſcere voluerit, ad ſalutis ſcientiam minimè pertinentibus. Id autem nihil officere promiſſæ ipſi ab erroribus immunitati, quæ dogmata duntaxat reſpicit, hoc eſt fidei & morum ſalutarem doctrinam. Nos nequaquam negare, quin falli & ipſa poſſit in factis & rebus à fidei & caritatis ſcientia alienis.

Verùm & à noſtræ defenſionis neceſſitate, & ab errandi periculo ſolicitè ſibi cavit Eccleſia. Nunquam ipſa damnavit Antipodum vindices; nunquam iis Scripturas ſacras oppoſuit; nunquam ut opponerentur amavit. Neque verò arbitror, Zachariam Pontificem in Virgilium ideò tantùm anathema dixiſſe quòd is Antipodas poneret. Adiaphoram hanc opinionem inficiebat ille erroribus aliis. Nam & Solem alium à noſtro, aliámque Lunam incolis iis tribuebat, & pejora fortaſſe delirabat. Cæterum quò reverà collinearet Virgilii opinio, & Zachariæ cenſura, vix dicas. Totum illud negotium multâ caligine obvolutum eſt, ſicuti eruditi viri negare non poſſunt. Ab hujuſmodi autem cenſura non aliâ profectò ratione Eccleſia abſtinuit, quàm quòd videret commodam probabilémq; interpretationem divinæ Scripturæ ab iis etiam adhiberi, quibus Antipodes, & Cœli ac Telluris rotunditas affirmabantur. Quando cœleſtibus Libris & fidei morúmque doctrinæ conſultum erat, quid Eccleſiæ intererat quòd hanc unus, illam alter opinionem, quanquam inſulſam, ſectaretur? quæ auferendæ litis neceſſitas? Non jam ampliùs de tuenda Scriptura agebatur, ſed de Aſtronomicis, ſive Phyſicis rebus ac diſſidiis quæ ad Eccleſiam non pertinent. Quare auctoritas Scripturæ, niſi cum evidentia loca ſeſe offerebant, nemini contorquenda erat in ſuæ cauſæ præſidium, ne riſui exponeretur, ſi falſa tandem deprehenderetur opinio, quam ipſæ Litteræ ſacræ antea tueri videbâtur. Origenes tutatus ſententiam Platonis Ariſtotelis, Ciceronis, aliorúmque Philoſophi de anima Cœlorum, Solis, Lunæ, ac Siderum omniũ, Eccleſiæ fulmina in ſe pertraxit, tum quòd aliis commentis onerâſſet hanc ipſam opinionẽ, tum quòd è Scripturæ verbis

bis in litterali ſenſu acceptis ſibi patrocinium quæreret. Contra laudandus Theologorum Scholaſticorum princeps Thomas non tam divino ingenio, quàm prudentia & modeſtia ubique ſpectabilis. Is opuſculo 10, ſeu XXXI Art. 16. quærens, an Angelus circulari motu movere tellurem poſſit, ait, ordini certè rerum id minimè repugnare, ſed tamen ſibi videri *quòd naturaliter terra quieſcat.* Id autem probaturus, non Scripturarum loca, non Patrum verba promit, ſed Lectores ad unius Ariſtotelis argumenta dimittit.

Proinde erit hominis parum acuti, ac verum Scripturæ inſtitutum, & Eccleſiæ mentem minimè aſſecuti, incerta inculcare ſacrarum Litterarum verba, quo certam eſſe perſuadeat Philoſophicam aliquam opinionem ſuam aut falſitatis ac hæreſis contrariam convincat. Incerta autem, ſivè non evidentia eſſe diximus Scripturæ loca de indifferentibus hiſce rebus, cùm plures loco eidem convenire poſſunt veriſimiles Interpretationes, eæque litterales. Quæ duo tela ex elephanti ore prominent, & deorſum retorquentur, idémque ſunt ac ebur, dentes appellantur ex omnium ferè Scriptorum, ipſiúſque vulgi ſententiâ. Sunt qui contendant, cornua potiùs eſſe appellanda, quàm dentes. Varro de Lingua Latina de his agens; *Quos dentes*, ait, *multi dicunt, cornua ſunt. Ex temporibus enim enaſcuntur, & ex ſuperiori mandibulâ per os reſupinata ſeſe efferunt; & decimo quoque anno ea elephanti abjiciunt & defodiunt, ſicut cervi quotannis, quoties & amiſerint, reponunt.* Præter Varronem Juba, Plinius, Ælianus, Oppianus, Pauſanias ità ſenſêre. Experientia quoque teſtis adducitur, cùm ebur igne emolliatur ad quaſlibet recipiendas formas, quod dentibus animalium non contingit. Et hæc quidem mihi videtur quæſtio de nomine. Attamen argutulus quiſquam accedat, & in poſtremam hanc opinionem exerat arma è Litteris ſacris. Ibi dentes elephantorum commemorantur 3. Reg. X. 22. & dentes eburnei. Ezech. XXVII. 15. Alibi etiam in Hebræis Codicibus ebur *ſcen* hoc eſt *dens*, appellatur. Nunc ergo rem definitam clamet ille ſciolus, & pertinaciter amantem appellare cornua potiùs quàm dentes, tanquam erroris & impietatis reum, ad Eccleſiæ tribunal deferat. Iſte profectò delirabit; riſum vix ſuſtinebunt graviſſimi Eccleſiæ proceres. Cùm toties à vulgo loquendi formas divina Scriptura mutetur, & ad populi opinionem ſeſe accommodet: cur non idem hîc quoque contigerit? Incerta igitur ſunt iſta loca, & ad hujuſmodi litem inepta; certúmque potiùs eſt, hominem

iſtum

Digitized by Google

iſtum, ſi quis eſt, ſacris Litteris abuti, eáſque invitas in diſputationem philoſophicam trahi.

Illi eadem nomina convenirent, qui *Lucem* eſſe *Ignem*, & *Lucem* propriè *calefacere* contendens, Græca verba Marci XIV 54. proferret, ubi Petrus dicitur θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς, *& calefaciebat ſe ad lumen*, ſivè *ad lucem* At nihil neceſſe eſt, proprium litteralem ac obvium ſenſum hujus loci retinere. Vulgarem dicendi conſuetudinem ſecutus eſt Evangeliſta. Uſurpabatur autem vulgò φῶς, ſeu *lux* pro igne, quòd nempe ignis cum calore lucem præbeat. Ità Euripides in Rheſo: ὄυπω πρὶν ἧψαν πολέμιοι τόσονδε φῶς; *Nondum anteà hoſtes ſuccenderunt tantam lucem*, hoc eſt tantùm ignem Neque minùs ineptè in Peripateticos velitaretur, qui ignem ipſum inter elementa computari non ferret, perinde quaſi ipſum ab elementis S. Petrus excludat, dum ait Epiſt. 2. Cap. III, 12. *Et elementa ignis ardore tabeſcent.* Idem plauſus iis deberetur, qui ad adverſùs Carteſianam Scholam qualitates rerum ſenſibiles non in corporibus, ſed in hominum ſenſibus locantem, ea Scripturæ loca afferret, quibus corpus aliquod amarum, dulce, candidum, nigrum, frigidum, calidum appellatur, Quod ſi valere, & commendari debet talis divinæ Scripturæ abuſus, argutari etiam poſſet Copernicanus quiſpiam, verba afferens Lib. 1. Reg. Cap. II. 8. uti apud Latinum Interpretem habentur: *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos Orbem.* Commemorantur etiam Prov. VIII. 26. *cardines orbis terræ.* At *cardines*, quos πόλους Græci appellant, ſunt nomen relativum, & rem verſatilem ac mobilem, ſibi impoſitam, ſimul ſignificant Quandoquidem ergo in ſenſu obvio, proprio, ac litterali omnia Scripturæ verba non repugnantia fidei, ac rationi accipienda ſunt, uti à quibuſdam contenditur adverſus Copernicum: Tellus verſatilis, ac mobilis ex origine ſua dicenda eſſet. Verùm faceſſant iſta ludibria. Non illa eſt Scripturarum indoles, ut ſecreta Phyſices atque Aſtronomiæ aperire mortalibus velint. Sancti Prophetæ atque Apoſtoli ad ſublimiora intenti, & ad captum uſúmque vulgi ſeſe componentes, familiares uſurpabant loquendi formulas. Hoc totis inculcavimus; ſed hîc adjungere juvat Cl. V. Dionyſii Petavii verba, cujus quæ ſit inter eruditos auctoritas, ii tantùm ignorant, qui nullas, penè dixi, novere diſciplinas. In Præfat. ad Libros de Opifice ſex Dier. antequam aggrediatur explicandam rerum Creationem, ſibi duplicem cautionem ac regulam ille præſcribit. *Altera eſt*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *rerum olim reipſà veréque geſtarum Hiſtoriam in Moſis ea narratione contineri; non allegoriis adumbratos & involutos neſcio quos ſenſus ſpiritualium rerum corporéque carentium. Altera in illis ipſis naturalibus & corporeis exponendis rebus Moyſem rudis hebetiſque populi ad captum & ingenium temperâſſe ſtylum.* Infrà idem repetit *Hæc mea perpetuò ſententia fuit, omnia ferè quæ hic Moſes attigit, popularem ad uſum eſſe loquendi intelligendique demiſſa.* Lib. autem 1. Cap. 10. quædam iſtius conſuetudinis exempla affert. *Scriptura hoc ipſum, quod cœlum & firmamentum vocatur, aerem eſſe non rarò ſignificat Velut cùm ait Pſ.* 146. Qui operit cœlum nubibus. *Et Matth.* 16. Triſte & rubicundum cœlum. *Sunt & iſta vulgata* volucres cœli, & *alia ſimilia. Etenim Moſes, quod jam monui & non ſemel dicere eſt opus, communibus & popularibus cum verbis tum verborum notionibus eſt uſus. Vulgò autem cœlum ità ſumitur. Quare plebejo penè ſermonis uſu ſic etiam Moſes & cœli & firmamenti vocabula ſumpſit. Ut cùm* Volatile *dicit* volare ſuper faciem firmamenti; *ut Hebræa referunt, id eſt ſuper firmamenti partem illam, & in illa, quam aerem dicit. Nimirum quòd aves, dum altiùs ab oculis nimis volant, cœlo propinquare dicuntur ἰδιοτικῶς, adeóque juxta extimam cœleſtis orbis ſuperficiem, & ſub ea ferri.* Petavio præiverat S. Thomas in 1. parte Summæ quæſt. 70. Art 1. ad 3. de motu Luminarium atque Sphærarum agens: *Moyſes*, inquit, *rudi populo condeſcendens, ſecutus eſt, quod ſenſibiliter apparet.* Si igitur Moyſi viro divinitùs afflato ità res enarrare in more fuit, eíque cum vulgò potiùs, quàm cum ſæculi ſapientibus, loqui placuit, idémque procul dubio fecêre & alii Prophetæ atque Apoſtoli, cùm tamen ſuis hiſce vulgaribus loquendi formis ac notionibus è rudi populo petitis res veras, & ſenſum Hiſtoricum clauderent: quis tandem non intelligat, non eſſe per hujuſmodi ambigua Scripturæ Sacræ verba dirimendas quæſtiones Phyſicas, Aſtronomicas, & alias id genus, neque hiſce diſputationibus ſine magna rerum evidentia immiſcendas eſſe Prophetarum ſententias, multóque minùs hæreſis ac impietatis poſtulandos, qui aliter ſentiunt, quàm Scriptura in ſpeciem de his rebus indifferentibus ſentire videatur? Certè nemo non perſpiciat, his haudquaquam inſiſtendum, hæc minimè urgenda, ſi commoda ac veriſimili Interpretatione litteralis Scripturæ ſenſus aliter explicari poſſit; & ubi in hiſce conflictationibus ſine vi proſpectum fuerit veracitati ſacrarum Litterarum, non eſſe de reliquo tam anxiè ſolicitéque curandum. Deſinit enim eſſe cauſa fidei, quæ non ampliùs ad rerum divinarum ſcientiam, ſed ad liberales Artes, incertámque

que mundi eruditionem pertinet. Deſinit eſſe opinio ad fidem referenda, quæ non contra, ſed præter Scripturam deprehenditur eſſe.

CAPUT XXIV.

S. Auguſtini conſilia, cùm de interpretandis ſacris Scripturis agitur in rebus Phyſicis, Aſtronomicis, & aliis id genus. Quid S. Thomas hîc ſentiat. Quàm Litteris ſacris nonnulli abutantur ad ſuas privatas opiniones tuendas. Judicum Eccleſiaſticorum munus in hiſce controverſiis, & quæ eruditio in ipſis exigatur. Carteſii de natura corporis doctrina an fidei dogmatibus adverſetur.

NUuc adjungenda eſt ad animadverſiones noſtras S. Auguſtini doctrina, hactenus reſervata, cujus unius auctoritas pro multorum eſſe poteſt. Ejus autem verba hoc in argumento adeò dilucida eſſe videntur, ut mirari ſubeat, quî homines alioquin eruditi, & minimè infantes, quanquam ea probè noverint, in aliam tamen à noſtra ſententiam abierint Lib. 1. Cap. 18. de Gen. ad Litteram, *In rebus obſcuris*, inquit ille, *atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam divina legerimus, quæ poſſint ſalvâ fide, quâ imbuimur, aliis atque aliis parere ſententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ità projiciamus, ut ſi fortè diligentius diſcuſſa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus; non pro ſententia divinarum Scripturarum, ſed pro noſtra ità dimicantes, ut eam velimus Scripturarum eſſe, quæ noſtra eſt cùm potius eam quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.* Nomine *rerum obſcurarum, atque à noſtris oculis remotiſſimarum*, nihil aliud Auguſtinus ſignificat, quàm Phyſicas, Aſtronomicas, Geographicas, Chronologicas, atque hujuſmodi alias, quæ plerumque magna in nocte ſedent. Ipſemet Auguſtinus paulò infrà, quibus de rebus loquatur, ſatis ſignificat, nempe *de terra, de cœlo, de cæteris hujus mundi elementis, de motu, & converſione, vel etiam magnitudine & intervallis ſiderum, de certis defectibus Solis & Lunæ, de circuitibus annorum, & temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujuſmodi cæteris*, quæ videlicet ad fidei & pietatis eruditionem, & ad rerum divinarum ſcientiam minimè ſpectant. Dum hæc igitur diſquiruntur atque explicantur, occurrere *Scriptorum etiam divinorum* documenta poſſunt. Tum videndum, an iſta *ſalvâ fide, quâ imbuimur, aliis atque aliis*, hoc

Digitized by Google

eſt pluribuc ac diverſis, ſint obnoxia Interpretationibus, quarum nulla ſtabilitis Catholicæ fidei dogmatis adverſetur. Quotieſcumque id accidat, auctor eſt S. Doctor judicium & affirmationem eſſe ſuſpendenda, atque cohibenda, Cum enim fieri poſſit, ut re per humanas diligentias diligentiùs diſcuſſa, & experimentorum ope in primis adhibita, verior ſententia appareat, ſi quam nos jam elegerimus, eámque ſacris Litteris unicè tribuendam pervicaciter contenderimus, quæ falſa demum, aut à veriſimilitudine abhorrens dignoſcatur, tum & nos deridendos propinabimus, & divinæ Scripturæ veracitatem in diſcrimen exiſtimationis (quantùm quidem in nobis eſt) adducemus.

Libro ſequenti Cap. 9 hæc alia habet S. Auguſtin. *Quæri etiam ſolet, quæ forma & figura cœli eſſe credenda ſit ſecundùm Scripturas noſtras. Multi enim multùm diſputant de iis rebus, quas majore prudentiâ noſtri Auctores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes, quod pejus eſt, multùm pretioſa, & rebus ſalutaribus impendenda temporum ſpatia, Quid enim ad me pertinet, utrum cœlum ſicut ſphæra undique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex una parte deſuper velut diſcus operiat?* En illam ipſam quæſtionem quam ſuprà commemoravimus, de cœli ſphæricitate, Hanc ipſam nihil ad ſalutem, ad fidem, ad beatam vitam pertinere ait, quocumque modo ſolvatur; porrò prudentis eſſe Theologi ab his abſtinere, & in ſalubriora ſtudia conferre tempus & operam Attamen quia non de iſta ſolùm quæſtione, ſed de aliis etiam ejuſdem generis quædam occurrunt in divinis Codicibus, & propterea defendenda venit eodem tempore cauſa Scripturarum, hæc addit Auguſtinus: *Sed quia de fide agitur Scripturarum &c. ne quiſquam* (Chriſtianus) *eloquia divina non intelligens, cùm de his rebus tale aliquid vel invenerit in Libris noſtris, vel ex illis* (hoc eſt Gentilibus ac Philoſophis) *audierit, quod perceptis aſſertionibus* (ſivè ut in nova editione *à ſe rationibus*) *adverſari videatur, nullo modo eis* (eloquiis divinis) *cætera utilia monentibus vel narrantibus, vel prænuntiantibus, credat: breviter dicendum eſt de figura cœli hoc ſciſſe Auctores noſtros, quod veritas habet; ſed Spiritum Dei, qui per ipſos loquebatur, noluiſſe iſta docere homines nullius ſaluti profutura.* Appoſitè Auguſtin. ad ea, quæ de Scripturæ S. ſcopo atque inſtituto ſuprà diſſeruimus. Nihil igitur ignorârunt Prophetæ; ſed Spiritus Dei docere nos iſta noluit, quæ curioſitati ſolùm blandiuntur, & ad pietatem & caritatem nulla ex parte pertingunt. Quapropter, etiamſi ad iſtam controverſiam referantur aliqua Scripturæ di-

ræ divinæ verba, niſi hæc ità aperta & circumſcripta ſint, ut unum tantummodo literalem ſenſum admittant, omniſque alia interpretatio violenta ſit, ac inveriſimilis, aut etiam exemplis careat, aut fidei rationiq; repugnet, non eſt omnino contendendum, unum potiùs quàm alterum Scripturæ ſenſum ad fidem ſpectare. Juvat in his continere judicium, & neutram adoptare ſententiam, & ab aliena damnanda potiſſimùm temperare, dum hæc ea ſit, quæ Scripturam non invitam ſibi concordare, aut ſaltem à ſe non diſſonare oſtendat. Quòd ſi alicui ſententiæ de his rebus indifferentibus aut experimenta, aut potentes rationes adſtipulentur, tantùm abeſt, ut ea ſit damnanda, quòd Scripturis contraria videatur, ut contrà neceſſe ſit Scripturam ipſam per commodam aliquam interpretationem oſtendere ab eadem ſententia minimè diſcordem, dum tamen Scripturæ ſenſus ità evidens non deprehendatur, ut falſitatis arguenda ſit illa, quantumlibet veriſimilis, contraria tamen opinio.

Huc pertinent, quæ idem S. Auguſtinus adjicit. *Sed ait aliquis, quomodo non eſt contrarium iis, qui figuram ſphæræ cœlo tribuunt, quod ſcriptum eſt in literis noſtris: Qui extendit cœlum ſicut pellem? (Pſ. 103.) Sit ſanè contrarium, ſi falſum eſt, quod illi dicunt. Hoc enim verum eſt, quod divina dicit auctoritas, potiùs quàm illud, quod humana infirmitas conjicit. Sed ſi fortè illud talibus illi documentis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat: demonſtrandum eſt hoc, quod apud nos de pelle dictum eſt, verum illis rationibus non eſſe contrarium. Alioquin contrarium erit etiam ipſis in alio loco Scripturis noſtris, ubi cœlum dicitur velut camera eſſe ſuſpenſum.* Tum pergit oſtendere Vir doctiſſimus, veriſimiliter, & non inconcinnè poſſe iſta Scripturarum loca conciliari cum utraque illorum ſententia, qui aut cœlum minimè ſphæricum, aut ſphæricum reverà ſtatuunt. Quo facto, non ille ſollicitus eſt, quid potiùs hac de re Pphiloſophi atque Aſtronimi ſentiant. Fide Scripturarum in tuto poſitâ, placidè ſpectari poteſt eorum conflictus, atq; diſſenſio, & unius etiam partis victoria. Cap. X. ejuſdem Lib. 2. alia Auguſtinus habet, quæ à cauſa Copernici penitùs aliena eſſe nonnulli affirmant, de quorum judicio eruditi viri, nullo partium ſtudio capti, judicabunt. *De motu etiam Cœli*, ait ille, *nonnulli fratres quæſtionem movent, utrùm ſtet, an moveatur: quia ſi movetur, inquiunt, quomodo firmamentum eſt? Si autem ſtat, quomodo ſidera, quæ in illo fixa creduntur, ab Oriente uſque ad Occidentem circumeunt? &c.* Quid ad hæc Auguſtinus? Neutram ille Philoſophantium opinionem rejicit, neu-

tram affirmat temerariam; ſed potiùs contemnit, earúmq; rationes ne ullo quidem examine dignatur, tanquam controverſias ad Fidem & Eccleſiam inutiles, & minimè neceſſarias. At Scriptura de his loquitur Auguſtino ſat eſt oſtendere divina verba ejuſmodi eſſe, quæ neutri opinioni contradicant. *Reſpondeo*, ſubdit ipſe, *multum ſubtilibus & laborioſis rationibus iſta perquiri, ut verè percipiatur, utrùm ità, an non ità ſit: quibus ineundis atque tractandis, nec mihi jam tempus eſt, nec illis eſſe debet, quos ad ſalutem ſuam & ſanctæ Eccleſiæ neceſſariam utilitatem cupimus informari. Hoc ſanè noverint, nec nomen firmamenti cogere, ut ſtare cœlum putemus, &c.* Affinia ſunt Auguſtini verbis ea, quæ S. Thomas Opuſc. X. ſeu XXXI. habet. Interrogatus de quibuſdam articulis, priùs monet, *plures horum ad fidei doctrinam non pertinere, ſed magis ad Philoſophorum dogmata. Multum autem nocent talia, quæ ad pietatis doctrinam non ſpectant, vel aſſerere, vel negare, quaſi pertinentia ad ſacram doctrinam.* Tum ità ſuam præfationem concludit: *Unde mihi videtur tutiùs hæc, quæ Philoſophi communiter ſenſerunt, & noſtræ fidei non repugnant, neque ſic eſſe aſſerenda, ut dogmata fidei, neque ſic eſſe neganda, tanquam fidei contraria, ne ſapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occaſio præbeatur.* Quæ verba miratur quidam, à Copernicanis in ſuæ ſententiæ tutelam advocari, cùm iſti doceant, non quæ Philoſophi communiter ſenſerunt, ſed quæ contra communem Philoſophiam omnino conflictantur. Fruſtra hujus loci vim eruditus ille vir infringere conatur per illam vocem *communiter*. Et nos ejus reſponſionem eludere poſſemus legendo: non *Philoſophi communiter*, ſed, utì in aliis editionibus habetur, *Philoſophi communes*. Verùm, quando res tenetur, ſuperfluum eſt litigare de vocibus Non ideo aliquid verum & ab errore immune eſt, quod communiter à Philoſophis traditum fuerit; nam & eorum dicta non ſunt fidei dogmata, & novæ opiniones, antiquis contrariæ, invehi poſſunt, & communiter accipi; & ipſum Copernici Syſtema ſe tueri jam poſſet, cùm ab Aſtronomis ferè omnibus veriſimillimum præ cæteris cenſeatur, & Aſtronomis in arte ſua id juris concedendum videtur, quod Philoſophis in ſua. Ratio S. Thomæ, cur aliquid neque affirmare liceat, tanquam dogma fidei, neq; negare, tanquam fidei contrarium (ſive *communiter*, ſive non *communiter* à Philoſophis tradatur) illa eſt, quia *fidei non repugnat, & ad pietatis doctrinam non ſpectat.* Talia ſiquidem habere non ſecùs ac dogmata fidei, eſt humanis opinionibus pondus dare, quo carent; eſt incerta hominum cogitata certiſſimis fidei revelationibus teme-

temerè æquare; & cum doctrina pietatis confundere curioſitatis atque opinionis inventa ac ſomnia. Inter eas autem opiniones,quæ neque fidei ad verſantur,neque doctrinam pietatis contingunt, an S Thomas habiturus Copernicanam fuiſſet,non levi conjecturâ aſſequi poſſumus; in hoc enim eodem Opuſculo Art.16. utì ſuprà vidimus,Telluri mobilitatem negat, ſuámque tamen ſententiam non ſacrarum Literarum teſtimonio,ſed Ariſtotelicis duntaxat argumentis probat. Quod ſi ità eſt,videant, qui Syſtemata Aſtronomica ad fidei doctrinam pertrahere conantur, ne S.Thomæ graviſſimum conſilium conculcent,& importunè cauſam fidei eſſe velint,quæ poſt adhibitam interpretationem veriſimilem, Philoſophorum tantummodo atque Aſtronomorum eſſe videtur.

Atque hactenus oratio noſtra,& tanta verborum moles, non ut Copernici patrocinium ſuſcipiamus, cujus opinionem nunquam nobis animus fuit adoptare, aut pluſquam veriſimilem arbitrari,ſed ut quoſdam avertamus à pertrahenda nimis facilè, imò contorquenda in iſtud quæſtionum genus auctoritate Scripturæ Neſciunt ii,ſæpiùs hunc eſſe divinorum Librorum abuſum,quàm uſum,& hîc etiam ſuperſtitionem, temeritatem atque ſtultitiam habere poſſe locum, qua de re conqueritur Auguſtinus in Libris nuper laudatis. Deinde palam facere voluimus, cur tam cautè ac rarò ad confingendas opiniones à doctrina fidei ac pietatis ſuapte natura diſſitas,EccleſiaCatholica& Romani Pontifices procedant Si quando igitur Eccleſiaſtici Judices utile ſive neceſſarium putabunt ad ſeverius examen poſcere tot nuperas,in Phyſica præſertim,Medicina,& Aſtronomia,ſententias,quibus tempora noſtra adeò abundant:dubitandum non eſt, quin eorum judiciũ præceſſura ſit omnis cautio,diligentia,& cauſæ cognitio. Et ſolicitè ſanè cavere ſolent ſapientiſſimi judices, ne quis ſub ſpecie tuendæ fidei,ſervandæque ſalutaris doctrinæ curet,ut ſuæ peculiares opiniones conſecrentur,& ab Eccleſia recipiantur Sunt qui, non pravo certè conſilio,ſed incauto ſui, ſuarúmque anticipatarum opinionum amore in hanc fallaciam dilabantur. Quicquid animo priùs imbiberunt,& vetuſtatem olere ſentiunt,ſacrum ipſis eſt, & ſacrum reliquis etiam, quantum quidem in ipſis eſt, eſſe volunt. Si quis igitur contrà ſentit, & nova profert, vix fieri poteſt, quin continuò in eorum odium offenſionémque incurrat. Nam quis ferè tam ſui dominus, animóque tam probè compoſito eſſe ſolet, ut quæ non tam ſibi, quàm aliis, veluti cer-

tiſſima tamdiu perſuaſit, repudiare tam ſerò velit? Quis lubenter fateri ſenex, ſe primò deceptum, tum alios decepiſſe, & ſibi erranti ſe alios adjunxiſſe pariter errantes? Ambitioſiſſima animalia ſumus, nobíſque cordi magis eſt (quanquam aliter nobis ipſis videatur) exiſtimationis propriæ, quàm veritatis cauſa. Facillimè etiam nobis amor noſtri perſuadet, tunc nos pro una veritate confligere, cùm magis ipſam inſectamur; non enim pro illa, ſed pro opinionibus noſtris nobis eſt pugna, quas veriſſimas eſſe olim ſtatuimus, falſáſque deinde demonſtrari poſſe impoſſibile ducimus. Et quidem occinnere poſſis veteris ſcholæ amatoribus, nova hæc ad fidei doctrinam minimè pertinere. Nihil refert. Antiquæ ſententiæ & hìc obtinere debent, quanquam interdum veriſimiliores. Omnis porrò lapis movendus, quo ſuadeatur, Novatores iſtos aliqua ex parte in Religionis dogmata, atque in ſacras Literas aut imprudenter aut inconſultò peccâſſe.

Non pravus tamen ſæpè zelus, immo utilis plerumque diligentia illorum eſt, qui in has novitias opiniones primi aciem movent. Si non aliud commodum per eos præſtetur, ſaltem deterretur impietas, atque audacia à venditandis ſuis mercibus, quandoquidem ne ipſis quidem innoxiis opinionibus ſinè rigido examine conceſſus eſt aditus. Interdum etiam latentia quædam venena hac ratione deteguntur, ac removentur. Quæ verò ſana ſunt, vegetiora poſt exhauſtam pugnam exſurgunt. Accuſationes igitur, & conſilia iſtorum non contemnit, ſed amat Eccleſia. Ità tamen amat, ut ea interim accuratè expendere velit, ſaluberrimè cavens, ne plus aliquorum affectus valeant, quàm veritatis jura. Exploratum ſiquidem eſt, quod ſuprà ſanctus Auguſtinus ajebat, nos interdum *non pro ſententia divinarum Scripturarum ſed pro noſtra ità dimicare, ut eam velimus Scripturarum eſſe*, quæ noſtra eſſe. Neque minus certum eſt, novitatem ac vetuſtatem ſententiarum in hujuſmodi incertis diſciplinis inanes plerumque titulos eſſe, quippe quæ nullum per ſe certum aut veritatis aut falſitatis indicium ſecum trahant. Id tantummodo verum eſt, quod ſolidis veríſque rationibus nititur, neque à certa fidei doctrina diſcrepat. Illud falſum, quod cum ratione recta, & fidei dogmatis, aliíſque certis monumentis apertè confligit. In Chriſti ſolùm ſchola antiquitas doctrinæ quò major eſt, eò fortius veritatis argumentum præſtat adversùs novitatem. Extra iſtam ſcholam veriora novitas, quàm antiquitas, tradere interdum, aut ſæpè poteſt.

Quo-

Quocirca inter accuſationes, defenſionéſque, medii ſtant oculo cautiſſimo Eccleſiaſtici Judices, & nunquam committunt, ut ſibi alterutra pars illudat, fucúmque faciat declamationibus vanis, nominibúſque falſis. Quod ut faciliùs accidat, ſinceriſſimos tantùm veritatis amatores ſinceriſſimi & ipſi in conſilium adhibent. Neque contenti cùm à ſe ipſis, tum à ſuis conſiliariis arcere ſtudia partium, congruam ſibi vel per ſe, vel per eoſdem comparant cognitionem cauſæ. Quam in rem animadvertendum eſt, eſſe quoſdam, qui in Judicibus Eccleſiaſticis, cùm de Phyſicis, Aſtronomicis, & hujuſmodi rebus judicandum eſt, abſolutam iſtarum diſciplinarum ſcientiam poſtulant. Nam quid ſolidi exſpectes, ajunt, immo quid non exſpectes infirmi ab iis, qui de incognitis, ſive non ſat perſpectis negotiis judicium ferunt? Contrà ſunt, qui Præſules Eccleſiæ, atque Theologos ab hujuſmodi labore ampliſſimè liberant, ſat eſſe arbitrati, ſi nudam ſententiam ſive Phyſicam, ſive Aſtronomicam ſibi oblatam conferant cum Scripturæ ſacræ, Catholicæque Theologiæ documentis, & deinde ſtatuant, num his veritatibus ea opinio repugnet, an cum ipſis amicè conſentiat.

Verùm illi fortaſſe nimia, iſti certè nimis pauca à Theologis, & Eccleſiaſticis Judicibus exigunt. Epiſcoporum non eſt, ut verum fatear, conſiderare atque decernere, ſintne veræ an falſæ in Philoſophia, Aſtronomia, cæteríſque artibus profanis propoſitæ opiniones. Pertinet ea cura ad Philoſophos, earúmque artium peritos, non autem ad Theologos. Atque adeò háſce opiniones Eccleſiaſticus Judex contemplari ſolùm? & tanquam conſonas ſcientiæ divinarum rerum, atque revelationi, aut ab ea diſſonas. Ad quod opus ſufficit, ut illam ſibi earum ſententiarum notitiam paret, qualis à viro prudente exigitur, adeò ut ſibi conſcius ſit, ſe quæſtionis ſtatum, rémque ipſam ſinè errore intelligere. Hoc præſtare etiam poteſt, qui non ſit numeris omnibus perfectus Aſtronomus, & Phyſicam omnium ſcholarum exquiſitiſſimè priùs dedicerit. Notitia, inquam, & cognitio congrua opinionum profanarum neceſſaria quoque eſt Eccleſiaſtico Judici, quanquam quouſque ſe protendere debeat, quantáque futura ſit, ne imprudenter Theologica trutina de iis judicet, vereor, ut unquam definiri aptè poſſit. Sunt enim, quæ communem tantùm hominum intelligentiam expoſcunt; ſunt, quæ ab exquiſitis atque abditis ſcientiarum ac artium principiis arctiſſimè pendent, víxque teneri poſſunt, niſi priùs ipſa

Digitized by Google

principia intellectu probè complexus fueris. Quid hîc faciat Judex prudens? A præcipiti judicio abſtinebit, arbitror, donec in rei penetralia tuto pede ſeſe ingeſſerit. Illud porrò certiſſimum eſt, oportere ſemper, ut anteà quàm pronuntietur, an ſacrorum Codicum, & Orthodoxæ Theologiæ documentis opinio quæpiam conſonet, ſive repugnet, perſpectiſſimæ ſint Eccleſiaſticis Judicibus tum negantium tum affirmantium rationes, non ſolùm quatenus Theologiam reſpiciunt, ſed quatenus etiam ad ſingularem aliquam diſciplinam ſpectant. Quæ res neceſſariò expoſcit, ut ea ſaltem diſciplinæ pars cognoſcatur, unde rationum cognitio pendet. Si, exempli gratiâ, quæratur, an fidei doctrinæ adverſetur Carteſius, cùm eſſentiam Corporis Phyſici ſtatuit in extenſione quantitatis, neque ſubſtantiam ab ipſa quantitate ſecernit: erunt profectò complures, quibus conciliari non poſſe videbitur hujuſmodi placitum cum Eccleſiæ ſententia de auguſtiſſimo Altaris Sacramento. Hìc profectò neceſſe eſt, ut de iſta controverſia judicaturus Peripateticam Scholam aliquantiſper terat, donec ſubſtantiæ, ſpecierum, atque accidentium nomina ac hiſtoriam probè nôrit; ad ejus quippe ſcholæ ſententiam reſpexiſſe videntur Tridentini Patres de Tranſubſtantiatione loquentes Tum delatam ad Eccleſiaſticum tribunal Carteſii opinionem ſi seriò, ſi natura corporis perſcrutetur oportet, rationéſque perpendat, quibus ille ſuam ſententiam ingenioſè munivit.

Id plurimùm intereſt. Nam, ut alibi diximus, verum vero adverſari nequit; atque uti cum veritatibus Theologicis Philoſophicæ, ità cum Philoſophicis Theologicæ reverà pugnare non poſſint Quamobrem tam ex his illæ, quàm ex illis iſtæ lucem mutuò accipiunt, & certa incertis dant legem, ut ſi exempli causâ aliquid in Phyſica certum ſit, inde incerta ſacrarum Scripturarum verba ſint explicanda, & contrà certis divinorum Librorum ſententiis incerta Phyſicæ documenta ſe conformare debeant. In hac autem controverſia ſtatim occurrit, jam ſpectare ad fidem, certiſſimúmque eſſe debere inter Catholicos, ſubſtantiam panis, & vini in Sacramento Altaris converti in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti, permanentibus tamen ac perdurantibus in Sacramento priſtinis ſpeciebus panis ac vini, ità ut externis ſenſibus nullà illic appareat facta ſubſtantiæ mutatio, atque non ampliùs ſit, neque appellari propriè poſſit panis & vinum, quod ante conſecratio-

crationem panis & vinum propriè fuerat Cùm ergo veriſſimum, certiſſimúmque hoc ſit in fidei Theologia, id quoque in Philoſophia verum certúmque ſit, neceſſe eſt; & fallaciâ laborabunt quæcumque veriſimiles, ingenioſæq; rationes à Philoſopho excogitentur contra firmiſſimum hoc fidei documentum. Propterea ſe rem non inficiari, ſe rem credere, Carteſiani Catholici ubique ajunt. Modum tantummodo, quo hujuſmodi prodigium fiat, & quomodo pereat, intactis ſpeciebus, panis ac vini ſubſtantia, ab Eccleſia minimè fuiſſe conſtitutum, affirmare ſe poſſe arbitrantur ſinè injuria Theologiæ. Tum nervis omnibus contendunt, ut oſtendant, nihil dogmati fidei repugnare naturam, ac eſſentiam corporum, quam tradunt, ſuámque opinionem conciliari poſſe cum Eccleſiæ decretis. Utrùm iſti vera, an ſomnia nobis narrent, qui judicare prudenter cupiat, neceſſe eſt in primis, ut ſolicitè veſtiget, intelligat, & expendat Carteſianæ ſententiæ rationes, tum perſpiciat, an utì rem, ità modum Eccleſia quoque ſtatuerit. Si enim vera & certa deprehenditur Carteſii de natura corporum opinio, neque modum phyſicum Sacramenti definivit Eccleſia, neque reipſa Ariſtotelicum placitum conſecrare illi animus fuit: jam non eſt, cur Carteſianam ſententiam explodamus; cùm præcipuè in ea fuiſſe ſanctus Auguſtinus videatur, immo tunc non aliud, quàm quod Carteſius, ſenſiſſe Eccleſiam, excogitare licebit A Carteſianis autem putatur, minimè Tridentinis Patribus fuiſſe conſilium conſecrandæ Peripateticæ de natura corporum ſententiæ (ab his enim quæſtionibus dirimendis Eccleſia abſtinere ſolet) & conſultò ipſos Patres vocabulo ſpecierum fuiſſe uſos, cùm accidentia nominare potuerint, ut eâ voce ſolùm ſignificarent ſenſationes illas, quæ ſublatâ panis ac vini in Sacramento ſubſtantiâ adhuc in ſenſibus noſtris fiunt, & fieri non negant cùm Peripatetici, tum Carteſiani. Contendunt inſuper, Eccleſiam nequaquam ſtatuiſſe, quì ſpecies in Sacramento ſinè ſubſtantia panis ac vini permaneant. Quibus diligenter ab Eccleſiaſtico Judice examinatis tum conſtare poterit, num abſurda, num falſa ſit, illa Carteſii opinio (qualis certè erit, ubi cum certo & vero dogmate Eccleſiæ conſentire non poſſe dignoſcatur,) an potiùs toleranda ſit, ſive etiam laudanda.

Hoc ergo exemplo patere poteſt, eas eſſe interdum quæſtiones, quæ à mero Theologo prudenter abſolvi nequeant, niſi in diſciplinas illas excurratur, unde pendent

 argu-

argumenta quæſtionum. Conſtat etiam, prudentis judicii leges expoſcere, ut non accuratè minus in his controverſiis inveſtigentur, intelligantur, & expendantur accuſatorum, quàm reorum rationes. Cavere autem præ omnibus Eccleſiaſticos Proceres debere, ne quis eorum auctoritate & gratiâ abutatur, profanas nimirum & Philoſophicas opiniones ad ſacri Juris tribunalia deferens, & impietatis poſtulans, & damnationem ſuadens, & urgens, quaſi de Chriſtianæ Fidei magno negotio agatur, cùm tamen anticipata aliqua opinio, & Ariſtotelis, exempli gratiâ, amor, & odium alienæ ſententiæ potiùs, quàm ſanæ fidei tutela, tantos conatus exciverit. Facilè appareat, quid Judici Eccleſiaſtico accidere poſſit, ſi hujuſmodi accuſatoribus Religionis cauſam præſeferentibus facilè credat, & præcipuè ſi ipſoſmet in conſilium adhibeat, & unico eorum filo ſe in judicandis controverſiis regat. Quod & dictum velim, dum de meris Theologicis, imò de quocumque alio negotio lis excitatur. Maximi ponderis res agitur, cùm de fidei doctrina, cùm de opinione probanda, ſive improbanda, & de aliena fama configenda, hominibúſque damnandis agitur. Jacta alea revocari ampliùs non poteſt. Si poſt accuratum examen tenebris adhuc oblita manet controverſia, præſtat judicio parcere, quàm errandi diſcrimen ſubire. Interdum etiam Eccleſia re in medio relicta, accuſatoribus ſilentium indicit, donec accuratiori trutinâ iterum cauſa penſitetur, prohibétque ne pendente judicio nota hæreſeos aut impietatis impingatur opinionibus exagitatis. Interdum denique ſententias aliquas, licèt nondum poſtremo calculo damnatas, tradi tanquam certas & veras, Eccleſiaſtici Judices prudentiſſimè vetant. Etſi enim eas falſas & fidei doctrinæ oppoſitas non judicârunt, periculi tamen plenas, & errori proximas intelligunt. At de his in ſequenti Libro fuſiùs nobis agendum eſt, ubi inveſtigabimus, quandonam, & ubi, & quibus liceat, ſive non liceat, Veritatem prodere, literiſque conſignare. & quæ ſint jura Eccleſiæ, ut nos aliquando ab opinionibus, quas nos putamus veras, ſcriptis aut ore prædicandis avertat.

DE

DE INGENIORUM MODERATIONE IN RELIGIONIS NEGOTIO.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Amplum Jus Ingeniis in prodenda, ac annuntianda veritate: ſed ità ut juſtitia, caritas, & prudentia nunquam ab iſto jure lædantur. Hæretici in ſuæ Religionis doctrina annuntianda, quippe de illius veritate non ſatis certi, & ſine miſſione legitima Evangelium prædicantes, juſtitiæ deſunt.

SUmmo ac præſtanti ingenio viri, quos deſidia nunquam invadere, nunquam turbulenti rerum terrenarum affectus occupare diu poſſunt, ſolent, abjectis omnibus curis, ſe totos ad inquiſitionem veritatis conferre, atque in ejus contemplatione tanquam in beatiſſimis Elyſiis conſiſtere, ac ſeſe abdere. Quod minimè mirum; nam cùm humana felicitas, vel ipſis Ethnicis Philoſophis teſtibus, ſita ſit in ſapientia, virtutibúſque animi: quænam vera virtus, quænam vera

Digitized by Google

ſapientia homini contingere poteſt, niſi in ſacratiſſimum aditum veritatis prius fuerit penetratum? Inter tot autem veritates quibus ſi recte utamur, ad benè beatéque vivendum quaſi manu perducimur, illa certè omnium princeps, & ſola propemodum neceſſaria, veritas Chriſtianæ Religionis, unde tot ſanctorum dogmatum eruditio fluit. Qui verò hìc profecêre, vix imperare ſibi deinde potuerunt, quominus alios quoque homines continuò adſciſcerent in ſuæ felicitatis communionem. Itaque aut in libris aut in diſputationibus, aut etiam in publicis ſcholis, & roſtris, veritates à ſe compertas, magnâ contentione animi atque ingenii, vulgârunt, illuſtrârunt, ſuaſerunt Quod alterum ſtudium ſi priore etiam longè laudabilius, neque tamen minùs utile dixerimus, luculentiſſimæ rationes facilè occurrent, quibus ſententia noſtra firmetur. Cùm itaque verſata ſit hactenus oratio noſtra in iis perſequendis, quæ ſpectant ad inveſtigandas, & conſequendas ſine errore ſaluberrimas Chriſtianæ Fidei, Catholicæque Eccleſiæ veritates: reſtat ut in poſterum explicemus, quemadmodum etiam, & quatenus, annuntianda ſit atque aliis communicanda hujuſmodi eruditio. Et hìc enim, non ſecùs ac in ſuperiore navigatione, ſcopuli, & ſirtes, & pericula varia offenduntur, à quibus niſi maturè opportunéque caveamus, verendum eſt, ne jactura fiat non ſolùm exiſtimationis & nominis ſed etiam terrenæ quietis, & cœleſtis demum beatitatis.

Illud ergo ex omnium ſapientium conſenſu exploratum in primis eſt, uti in quærenda ac diſcenda veritate, ità & in proferenda atque prodenda, ampliſſimum jus patere ingeniis humanis Inter honeſtiſſima ſimul, utilia, & delectabilia bona proximum à Deo locum veritas, imò, ut melius dicamus, eumdem cum ipſo locum obtinet; Deus enim ſumma, & ipſa veritas eſt, cujus particulæ variæ ac innumeræ ſe in hominum mentes infundunt, & per omnia creata excurrunt. Quamobrem cui contigit veritatem, hoc eſt eximium iſtud bonum, conſequi, nullum dubium eſt, quin & liceat, & laudi ſingulari vertendum ſit, reliquis etiam partiri tam nobilè divinúmque patrimonium. Chriſtiani hominis eſt alios efficere meliores, & ſapientiores, cùm poſſit. & lucem, quam ſibi comparavit, communem aliis velle. Neque verò ut in terrenis opibus diſtribuendis atque elargiendis uſu venit, quiſquam ſit minùs quàm antea dives, communicatâ reliquis hominibus veritate. Nihil propterea decreſcit privato hominis ærario, & ani-

& animus ditior inde potiùs evadit, cùm ad priora ornamenta accedat liberalitatis laus, & caritatis fructus. Interdum verò non licet ſolùm, ſed etiam neceſſe eſt veritatem annuntiare, & prodere, atque tueri; quod onus Epiſcopis, & univerſis Paſtoribus Catholici gregis incumbit, cùm ad populos doctrinâ ſanâ informandos, tum ad errores ſubinde naſcentes eliminandos. Interdum non neceſſitate quidem, ſed optimo, ſumméque pio conſilio veritas diſſeminatur, cùm nempè ad populos barbaros atque infideles Evangelii lumen defertur, quod ſanctiſſimum opus per tot ſecula una Eccleſia Catholica ſibi vindicare & peragere conſuevit, ad adhuc peragit, Apoſtolicæ fidei non minùs quàm zeli Apoſtolici hæres.

Verùm hæc non ſunt hujus loci, neque ampliorem ſermonem poſtulant; adeò apertum eſt, atque homini à natura inſitum, honeſtiſſimam, ſanctiſſimam, & eximiis laudibus dignam eſſe veritatis propagationem, & illius præcipuè, quæ ad æternam vitam perducere poteſt. Satiùs ergo eſt ſtatim aggredi limites, quibus conſtringitur vaſtum jus ingeniorum veritate annuntianda. Quod ut paucis complectamur, illud maturè ſtatuimus, recta eſſe pon poſſe hominum opera, niſi à juſtitia vera procedant, & caritatem chriſtianam ducem, prudentiam verò comitem habeant. Has ergo virtutes præ oculis habeat neceſſe eſt, qui rectè proferre, aliósque docere velit veritates ad orthodoxam religionem & eruditionem chriſtianam ſpectantes. Primum autẽ juſtitiæ munus eſt interdicere, ne quis in negotio Religionis veritatem evulget ac tradat, quam ipſe certò priùs non noverit reverà talem eſſe. Non inquam, homini licet, tanquam vera fidei dogmata proferre incertas opiniones ſuas, aut certi erroris inſimulare atque damnare, quæ ſibi falſa & damnanda eſſe prius non conſtet. Quis enim non intelligat, quantùm ab æquo & ratione abhorreat, tanquam medicinas propinare, quæ venena eſſe dubitare poſſis? Et id quidem temerè fiat in curandis humanis corporibus. Quantò autem minùs tolerandum eſt in animarum curatione, cùm de hominum æterna aut ſalute, aut damnatione agitur, non de temporaria corporum vita? Nefas ergo eſt, & juſtitiæ legibus adverſatur, in tanti mali diſcrimen populos adducere, & tanquam veritates Theologicas venditare, quæ fortè pernicioſiſſimi errores eſſe deprehendantur.

Equidem fateor, non tam facilè invenias homines in hanc juſtitiæ partem oculis apertis animóque ſui criminis

aut

aut periculi conſcio incurrentes. At innumeros profectò offendas ex ignorantia, & cæcitate mentis, & ambitione peccantes. Rari, inquam, ſunt, qui dum populum erudiunt, dubitent de veritate ſuæ legis. Se recta certáque tradere conſtanter arbitrantur, vel dum apertè errant atque delirant; ipſique omnium peſtilentiſſimi Hæreſiarchæ non aliter (quantum quidem conjicere juvat) de ſua doctrina plerumque judicabant. Verùm neque ipſi Hæreſum conditores, neque Hæreticorum gregarii idcircò ab eorum numero eximi poſſunt, qui veritatem & juſtitiam ex temeritate ſaltem & cœcitate lædunt, dum pro veritate errores incautè diſſeminant, & Chriſti gregem quanquam nolentes, inficiunt. Si minùs occupati forent opinionibus anticipatis, ſi plus humilitatis ac ſinceritatis eis eſſet, tum intelligere poſſent, tum fateri fortaſſe vellent crimen ſuum atque infortunium. Ipſos toties Catholici provocârunt ad rationem reddendam, quare fidem veram & juſtitiam non conculcarint, cùm ab Eccleſia Catholica diſceſſerunt, & ſchiſma adhuc conflent, & diverſas à Catholicis ſententias tradant, & aliqua Catholicorum dogmata erroris ac impietatis accuſent. Oblata eſt ipſis germana & unica methodus, quâ ſe ritè purgarent, & in tanto negotio ſe minimè hallucinari oſtenderent. Legitimas cauſas nondum attulit gens illa, propoſiti tamen ſui tenaciſſima & nunquam allaturam eſſe, certum eſt nobis. Nam quî à ſe veritatem ſtare illi oſtendant, cùm certam methodum fugiant, ut rem tantam pro dignitate fidei, & ſui ſalutis neceſſitate, convenienter aſſequantur? Quî ſe in ſuo ſchiſmate atque doctrina nullo crimine, aut errore teneri evidenter oſtendant, poſtquam Traditionis vim, Eccleſiæ veræ & Conciliorum auctoritatem, ſanctorúmque Patrum conſenſum flocci faciunt, & Eccleſiam ipſam non ſolùm turpiſſimis in dogmate erroribus obnoxiam, ſed etiam in ipſos errores jam fœdè prolapſam; & per tot ſecula Babylonem, & Meretricem egiſſe, affirmare non dubitant? His fundamentis everſis, quæ tamen tantopere à divinis Scripturis commendantur, & excogitato admiſſóque tam horrendo Eccleſiæ Catholicæ adulterio, à quo tamen abfuturam ſemper Eccleſiam veram Scripturæ ipſæ pollicentur: quid jam certi ſupereſt, ut quis ſibi aliiſque ſine hæſitatione perſuadeat, ſe in Chriſtiano dogmate nunquam erràſſe aut errare, ſuámque Eccleſiam legitimam eſſe Chriſti ſponſam? Videndum igitur, an oculorum mentiſque uſum iis eripuerit, aut eripiat ambitio. Expendendum eſt, viréſne majores apud illos
ſuum

ſuum, an totius Eccleſiæ Catholicæ judicium ſit habiturum, & an totius antiquitatis conſenſio ſit diſſonantibus Novatorum conſiliis in tanto negotio præferenda. Fortaſſe mentibus tam malè affectis certiſſima ſtatim non appareant quædam Catholicorum dogmata; ſed profectò neque certa Novatorum videbuntur documenta, ſi accuratè aliquantulum res penſitare, & cautè judicium ferre velint. Quòd ſi dubia ac incerta ſint, in quibus Novatores à Catholicis diſſentiunt: quo jure nutantes ſententias populo ii venditant, ingentíque errandi periculo credulam gentem exponunt?

Altera juſtitiæ lex eſt, ut Evangelii veritas nonniſi ab iis annuntietur, qui aut apertè, aut tacitè ab Eccleſia, legitimíſque Eccleſiæ Paſtoribus ad annuntiandum mittantur. Hanc legem Apoſtolus ſtatuit, & ratio ipſa confirmat. Erroribus obnoxii ſunt ſinguli homines; ſub ovina pelle deliteſcere poſſunt lupi, & fallere gregem; Hæretici identidem prodeunt, morboſam doctrinam diſſeminantes; & innumeræ ſectæ veritatem, & verum Dei cultum longè latéque ſonant. Hinc inficí corrumpíque facilè poteſt ovile Chriſti; non enim indoctæ plebis eſt, ſophiſmata omnia ac delіramenta ad falſi originem revocare, ſibíque à tam benè comtis mendaciis cavere. Ipſi acuti ac eruditi homines non rarò inter iſta fluctuant, & ducuntur contrariis opinionibus. Ergo poſcit ratio, ut iis tantùm liceat erudire populos, qui legitimam docendi auctoritatem ab Eccleſia vera acceperint. Neque itidem populis licet alios audire, ac habere Doctores, quàm quos Eccleſia vera ad id muneris ritè elegerit, aut in eo munere verſari ipſa apertis oculis patitur. Cùm in una Eccleſia Dei veritas Religionis, & ſana doctrina habitet, quicumq; iſtâ Eccleſiâ probante, aut ſaltē, cùm conſcia ſit, non improbante, doctorem agit, jure agit, & jure cenſendus eſt ab errore abeſſe, & vera tradere. Contrà ille juſtitiam lædit, qui non vocatus, non miſſus, non ſaltem tacitè probatus, ſumit ſibi honorem, & docendi miniſterium uſurpat.

Mirum eſt, quàm anxios efficiat, & verbis rationibúſque exarmet hic locus ſinceros veritatis amantes, quorum non pauci adhuc ſunt inter noſtri temporis Novatores. Et ipſi intelligunt hujus legis æquitatem; nôrunt hac de re Apoſtoli præcepta; ſtatuerunt & ipſi, nemini licere ſine præviâ legitimâ vocatione, atque miſſione, verbi Dei præconem fieri. Primi autem prætenſæ, quemadmodum vocant, Reformationis Auctores, Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Socinus

cinus, & alii, quo titulo, quæſo, quo nomine Chriſtianorum orbem docendum ſibi ſumpsêre, & antiquiſſimas Catholicæ Religionis cùm ſententias tum conſuetudines immutandas, ridendáſve ſuſcepêre? Nulla ipſis extraordinaria, ut ajunt, & immediata à Deo vocatio fuit. Si fuiſſet, ſignis & prodigiis, quæ veraces ac veros Dei Prophetas perpetuo comitantur, divinitùs acceptam docendi auctoritatem confirmâſſent. Defuit & ordinaria vocatio. Non ipſis ſacrum docendæ plebis munus, & Scripturas interpretandi, & ritus veteres proſcribendi facultatem demandârant aut Romani Pontifices, aut Epiſcopi legitimi, aut Concilia Orthodoxa. Imò Epiſcoporum omnium, & Eccleſiæ totius voce atque conſenſu id munus ipſis interdictum fuit ac ereptum, eorúmque audacia damnata. Ipſi præterea ſeſe vel tacentibus Epiſcopis, jam reos prodiderant; atque damnârant. Etenim nonnulli ne Sacerdotum quidem albo adſcripti fuerant, & tamen Sacramenta miniſtrare ſunt auſi. Rerum divinarum imperiti quidam fuêre; & tamen Scripturas ſacras ſuo marte explicare, & eo in ſtudio à ſanctis Patribus diſcedere non dubitârunt Deinde quandonam Dei Eccleſia lubenti animo ferat, & probet, & auctoritate donet homines qui ſe ipſam evertant, & Altare contra Altare erigant, & ſchiſmata faciant? Dubium ergo nullum eſſe poteſt, quin primi iſti Hæreſum Auctores Juſtitiæ inflixerint magnum vulnus, dum veritatem, quam deperditam aut vitiatam ſibi confingebant, reſtituere conabantur. Nemo autem ex iis juſtum ſe putet, qui tam injuſtos potiùs duces, quàm ipſam Chriſti Eceleſiam, pertinaciſſimè ſequuntur. Nam quod ajunt, annuntiandæ veritatis, & refellendi erroris, chriſtianam omnibus eſſe libertatem, eámque ità ſingulis ineſſe, ut eripi nobis à nemine poſſit, ac debeat: ſplendidè profectò falluntur. Cur *quoſdam poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti?* Cur Hierarchicum Ordinem inſtituit? Non igitur omnium eſt Sacerdotem Doctorémque legis agere, ſed eorum tantummodo, quos Eccleſia publicè decernit, aut non invita patitur. Accedit, quòd tum certè vim habitura non eſt hujuſmodi libertas, cùm annuntianda eſt veritas incerta, dubiíque ſunt errores quos exagitandos ſuſcipimus; multóque minùs, cùm nuntianda ſunt pro veris falſa, prava pro rectis, & cùm ab errore longiſſimè illa abſunt, quæ judicantur damnanda. Porrò ſana eſſe, quæ ab Hæreticis in Eccleſia Catholica repudiantur; corrupta quæ ab Hæreti-

cis in

cis in ſuis conventibus ac Libris proponuntur: potior Chriſtianorum pars hucuſque contendit. Quare ſi petas ab eruditis viris, num jure non adimi poſſit ingeniis hiſce novaturientibus docendi in Eccleſia libertas: nemo negabit. At inquiant Hæretici: Certi nos ſumus, nos nihil tradere, quàm quòd Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt, nos nihil damnare, niſi quod Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ adverſatur, Ità porrò arbitrentur, ſed quidnam aliud occinerunt antiqui Hæreſiarchæ, eorúmque filii, quos tamen & ipſi Novatores, non ſecùs atque Catholici impietatis arguunt? Num idcirco iis peſtibus graſſari liberè licuit, & veneno populos afflare, reclamante nequidquam Eccleſia. Quod ſi quis è Novatorum gremio exurgat (quod identidem fieri conſuevit) & falſi poſtulare dominantem Religionem, aliámque invehere unà cum aliis doctrinis velit, Evangelii nuntiandi, ac erroris confodiendi jure ampliſſimo ſeſe tuens: nemo inter ipſos Novatores hominem, ejúſque audaciam non abhorreat, non damnet, & ad ſilentium compellat. Nemo ab eo audiendo ſuum non avertat gregem. Nolint ergo ſuos partes alio à nobis dimetire pede, quàm quo ſuos ipſi filios dimetirentur, in parentem Eccleſiam armatos. Et diſcant, læſam ab eorum patribus juſtitiam, & ab unaquaque in poſterum quoque lædendam, quoties ſine aperto aut tacito Eccleſiæ veræ conſenſu, docendi munus arripiant, licèt nonniſi vera & recta ſe prædicare arbitrentur.

CAPUT II.

Caritas quando obſtet, ne veritas evulgetur. Ejus leges. An, & quando & quomodo evulgandi errores Procerum Eccleſiaſticorum. An aliorum errores, & vitia, & quando id liceat aut neceſſe ſit. Abuſus, & exceſſus in hiſce. An mordacitas ſtyli ferenda.

VEritatis præconibus non ſola juſtitia præcipit, ut cautiſſimè prius & ſolicitè caveant, ne falſa pro veris venditent, ne pro recta perverſam doctrinam obtrudant. Id etiam caritas & prudentia arctiſſimè præſcribunt & imperant. Quale enim amoris genus illud eſt, quo proximum noſtrum proſequimur; quale prudentiæ facinus, cùm ipſum vitioſis aut agendi, aut credendi documentis imbuentes,

entes, à veræ fidei ac pietatis ſemita ſtolidè avocamus? Dubitatio ipſa, ne venenum propinemus à medicina exhibenda abſterrere nos debet. Hoſtis enim potiùs, quàm amantis eſt, in æternæ mortis diſcrimen illos adducere, quos certus non ſis te ad æternæ vitæ ſpem erudire poſſe. Verùm non hîc ſolùm ſtat caritatis & prudentiæ diſciplina. Etiamſi vera ac certa ſint, quæ tradere animus eſt, quædam tamen ſunt, quæ ſilere ac tegere, interdum prudentia, interdum caritas nos jubet. Juſtitiam fortaſſe læſuri non ſumus vera narrantes; ac certè caritatem, certè prudentiam quandoque vulnerabimus, quæ non omnia vera ac certa, neque ſemper, in publicum efferri patiuntur. Quid igitur caritas & prudentia hîc velint, & quænam ſint earum conſilia & leges, diſſerendum reſtat.

Prima lex iſta à nobis ponitur: *Ità dicendum, aut ſilendum eſt verum, ità errores aut refellendi, aut diſſimulandi ſunt, ut caritatis ordo ſervetur.* Id ni fiat, ipſa caritas deſiderabitur. Videlicet præponendus eſt ex inſtitutione charitatis amor Dei, & Fidei, & Eccleſiæ cæteris amoribus. Poſt hūc amorē valere plus debet Reipublicæ, Regis, & Patriæ, quàm privatorū dilectio. Primam iſtam legem Religio & Philoſophia ſummopere commendant. Ex iis enim virtutibus eſt caritas, quæ ordinem exigunt, & ſine ordine pereunt. Recta autem ratio docet, majorem iis rebus amorem deberi, quibus eſt majus pretium ac dignitas, & quibus nos majora debemus. Proinde oblatis duobus, quorum alterutri, prodendo, ſivè occultando verum, diſplicere, ac placere oporteat, nullum eſſe dubium, quin illi ſit inſerviendum, quod apud nos amore ſit dignus, atque præſtantius, præferendúmque ſit privato publicum, temporario æternum, corporeo ſpiritale bonum. Altera caritatis lex eſt: *In profligandis erroribus, & in prædicatione utilis aut neceſſariæ veritatis, ità ſe gerere homo debet, ut moderationis quantum fieri poteſt recordetur, atque ut id ſolùm curet, quod ſanare alios, melioréſque efficere, non autem vulnerare pejoréſque facere poſſit.* Proinde inde nullam caritatis rationem habere dicamur, ſi unà cum erroribus homines perſequimur, ſi eorum mores atque exiſtimationem peſſumdare nitimur, ſi nomen potiùs nobis, quàm proximo noſtro ſalutem conquirimus, proditâ inhoneſtè illius imbecillitate, atque ignominia. Duas itidem leges prudentia nobis ob oculos ponit. Earum prima eſt: *Circumſpiciendum eſſe veritatem prædicaturis, ne dum unum bonum ex una parte quærunt, gravius ex ea malum incautè excitent, qualia ſunt ſchiſmata, ſcandala, funeſta diſſidia, atque horum ſimilia.* Altera

eſt

eſt: *In prædicando vero, & alienis erroribus inſectandis, perpendendum eſſe tempus, locum, & perſonam cùm corrigentis, tum corrigendi, & qualitates cùm dicentis, tum dicendorum.* Non enim cuicumque licet quemcumque corripere, & omnia prodere, aut ibique, aut quovis tempore.

His legibus poſitis, atque altè animo infixis, tam difficile non erit agnoſcere, quando neceſſe ſit, aut expediat, aut deceat, veritatem prodere, & litteris conſignare, quâve ratione præſtandum id ſit, aut ipſam occultare, atque ſilentio tegere. Fingamus ergo, Auctorem aliquem, aut Epiſcopum, aut etiam Primatem Eccleſiæ virum, in doctrina Chriſti reverà falli, erroréſque ſuos aut ſcriptis, aut voce in vulgus ſpargere. Ejus vulnera diſſimulare piaculum fuerit. Nam quamvis ipſius accuſatio, & inde emanans ignominia, à caritate, quam ipſi debemus, recedere videatur, caritatis tamen ordo poſcit, ut Eccleſiam & Rempublicam magis amemus; neque committendum eſt, ut univerſitas periclitetur, dum unius exiſtimationi ſervandæ ſtudemus. Veritatem itaque revelare, ac ſuper tecta prædicare, falſáque dogmata quantis poterit viribus impugnare, hìc non ſolùm unicuique Chriſtiano licebit, ſed neceſſe erit ſacris Eccleſiæ cuſtodibus. Imò, iſtis præ timore, negligentia, ignorantiâ, aut conſpiratione tacentibus, privato cuicumque homini id oneris incumbet, ut in lupum exurgat, dormientéſque Paſtores ſuis clamoribus excitet. Ne ipſos quidem ſanctiſſimos Patres, nobis alioqui ſummâ veneratione ſpectandos, habere aliter in hac parte decet. Homines & ipſi fuerũt. Incautè interdum locuti, peſſimè ſenſiſſe videntur. Nonnulla etiam Eccleſiæ decreto nondum ſtabilita tradidêre, quæ qui nunc pervicaciter tueretur, Hæretici notam nequaquam effugeret. Hujuſmodi ergo nævos arguêre, ac prodêre liberum eſt nobis; non quod malè doctiſſimis iis & venerandis capitibus velimus, ſed quod Eccleſiæ toti, ac fidei ſanctiſſimæ velle melius debeamus, quàm ſingulis ipſis Patribus. Juvat autem, & Reipublicæ plurimùm intereſt, noſſe quibus in locis non ſatis recta tradiderint Majores noſtri, ne quis tantorum nominum auctoritate, ubi non debet, fretus, in tranſverſum agatur, ipſámq; Eccleſiæ univerſæ fidem inde oppugnet. Eſt & hoc aliquod caritatis genus in ipſos ſanctiſſimos Patres, atque in alios errantes. Illi, ſi viverent, Libros ſuos lubentiſſimè emendarent. Cùm id ampliùs ipſi non poſſint, amant tamen ſibi à poſteris eam medicinam adhiberi, quæ ſi purgare penitùs Libros ſuos, ac certè à ſuis Lectoribus arcere morbum

Digitized by Google

qualemcumque valeat. Reliqui verò, dum divunt, erroris moniti, ſicuti honeſtatis & veritatis amantes putandi ſunt, ità gaudere credendi, quòd tum ſe, tum Lectores Auditoréſque ſuos ope noſtrâ ab errore ſentiant revocatos. Atque hæc de erroribus, qui in Fidei Chriſtianæ & Eccleſiæ Catholicæ perniciem recta contendunt.

Alii ſunt errores extra fidei doctrinam, ſed tamen non extra Religionis pomœria. Ejuſmodi ſunt ſingulorum hominum abuſus in miniſtrandis Sacramentis, in ſacris Ordinibus conferendis, in veneratione tum Sanctorum, ſacrarúmque Imaginum, tum etiam Reliquiarum, & in ipſo externo Dei cultu, atque Myſteriis, aliiſque ſimilibus rebus, Paſtorum profectò proprium eſt munus, hanc ab Eccleſia Dei peſtem avertere tum prædicatione, tum ſcriptis, atq; decretis. Sed ipſis nihil proficientibus, glorioſum ſemper fuerit, Deóque gratiſſimum, ſi noſtras jungamus copias, ſique privatorum etiam telis hujuſmodi monſtra conficiantur. Quòd ſi eò uſque malum creverit, ut diutiùs remedia differre periculoſum ſit, neque Eccleſiæ Præſules gliſcenti malo, quod eorum munus poſcit occurrant: fruſtrà audaciæ accuſabitur privati hominis conſilium, qui hoſce petulantes abuſus ad Tribunal Eccleſiæ deferat, ac in eos exerat vocem & calamum. Dummodo veram iſte doctrinam adferat, publicóſque errores, & crimina non ſomniata exagitet (quod acuratiſſimè priùs curandum) nihil in caritatem peccabit, imò ſecundùm ipſam faciet, atque adeò nos omnes in hiſce caſibus zelari zelum domûs Dei jubemur, & veritatis ac religionis jura publicè tueri, in quæ perverſi hujuſmodi Chriſtiani ſuis vitiis conſpiràſſe videntur. Idem dicendum de alio errorum genere, quo Eccleſiaſtica Hiſtoria deturpari, & rudium populorum traditio infici poteſt. Confictæ Martyrum, & Confeſſorum, ſeu vitæ ſeu Reliquiæ, ſeu opera miranda; ſuppoſiti Sanctis Patribus & præclaris Eccleſiæ viris Libri; origines Eccleſiarum, & Monaſticorum Ordinum, aliæque innumeræ ad Epiſcopos, ad Concilia, ad Eccleſiam pertinentes res geſtæ, mendacio infuſcato aut è leviſſima tantùm popelli narratione depromptæ, & confidenter ad memoriam poſterorum litteris traditæ: hæc omnia procul dubio veritatis inimica ſunt, & Eccleſiæ. Uti ea confingere, aut adoptare, aut diſſimulare turpiſſimum eſt, ità revelare, & palam exſibilare, juſtiſſimum, atque honeſtiſſimum. De vindicanda veritate agitur, de liberanda Eccleſia ab hiſce inquinamentis & fucis non modica ex parte pernicioſis. Quis hîc læ-

ſam

ſam caritatem clamet: Primum locum obtinere debet veritatis, & Eccleſiæ, & Reipublicæ amor. Et quando reſtitui tam utilis veritas, aut ab Eccleſia & populo error eliminari non poteſt ſine alicujus offenſione: utique præſtat, unum aut paucos dolere, quàm multos Quanquam & illi injuriâ dolebunt, cùm beneficium non tam Eccleſiæ matri conferatur, quàm ipſis.

Quod in his tamen caſibus homini caritas enixè commendat, illud eſt, ut quantùm fieri poteſt, parcatur perſonis, dum errori ac vitio non parcitur Si ſimul ſtare queunt Reipublicæ utilitas & neceſſaria medicina, ac privatæ quietis atque exiſtimationis conſervatio, ambo utique ſunt procuranda. Tum ſolùm ſinit caritas, nos privatorum commodis & honore nocere, cùm aliter publica res reſtitui ſanaríq; non poteſt. Cùm igitur in doctrina fidei quiſquam incautè delirat, neque in vulgus ſua commenta diſpergit, ſibi tantùm canens, huic adhibere decet ſalutarem Chriſtianæ correctionis helleborum, ubi legibus Eccleſiaſticis aliter cautum non ſit; hoc eſt clam & amicè ità monendus, atque docendus, ut ſi animo ſit docili, vulnera ſua ſe cognoviſſe gaudeat, neque erubeſcat. Sin iſte deliria ſua pertinaciter tueri pergat, & benevolum monitorem ſemel iterúmque contemnat, & mutandæ ſententiæ ſpem nullam relinquat: nihil, caritate etiam ſuadente, tunc utilius præſtari poteſt, quàm ſi ejus contumacia (uti Chriſtus ipſe mandavit) ad Eccleſiam deferatur cujus auctoritate tum ipſe in officio contineatur ac ſanetur, tum ab ejus afflatu liberetur Reſpublica. Hujuſmodi autem homines non palam errantes, non erroris ſui præcones, cur ego palam & nominatim, aut ſcriptis, aut voce perſequar, ac in triviis ridendos propinem, & exoſos omnibus puniendóſque faciam? Clam peccavêre, corripi clam poſſunt, & corrigi clam amabunt. Quid punis in errante nomen, & famam, quæ errore adhuc latente, & emendationem fortaſſis non refugiente, nullam adhuc pœnam commeritæ ſunt?

Illud verò conſtat, licere atque dicere publicis ſcriptis ac tubis in illos ferri, qui errori conjunxere proterviam, & inſaniam ſuam erumpere in publicũ ſinunt. Non eſt, quòd ego eorum morbum ac nomen occultare debeam, cùm ipſimet evulgare non dubitârint. Publicum Eccleſiæ hoſtem publicè oppugnabo; publicè, ſi vires ſuppetent, evertam; ut ſi non ipſum ab errore revocem, reliquos ſaltem pugnæ ſpectatores, atque adeò Rempublicam ipſam veritatis acie confirmem. Sed in hoc hominum genere inſectando

Digitized by Google

ſuus quoque caritati locus eſſe poteſt. Inter quos Sanctos Patres ſunt, qui Hæreticos, & eorum aſſeclas, atque patronos aculeatis exagitant Libris, multúmque etiam Plautino ſale perfricant. Primas inter ipſos Hieronymus tenet. Sunt & Scriptores qui ſibi temperare neſciunt, quin adversùs Eccleſiæ hoſtes quicquid ad manum venit, intorqueant. Contumeliis nullis parcunt, quarum etiam non paucæ veritatis fundamento carent. Mille vituperiorum plauſtra in ipſos congerunt; uno verbo, nihil non movent, quo communem proſternant Religionis veræ adverſarium. Quod eſt ad nonnullos è Sanctis Patribus, non iis vitio vertimus, quòd acribus interdum pro veritate ſcriptis pugnaverint. Chriſtianum zelum ne hîc quidem ſtylus dedecet; hos ignes ipſa bona cauſa, ac defenſio cognitæ veritatis, ultrò ſuggerit, non facilè ſanè culpandos, niſi cùm ad calumnias concitata oratio dilabitur. Sibi ergo imputent, ſi tam aſperè accipiantur, quicumque à recta Chriſti doctrina defeciſſe minimè contenti, poſitos quoque à Deo Judices, hoc eſt, Eccleſiam ipſam, non ſpernere ſolùm, ſed etiam dilaniare, atque infamare minimè verentur. Habeant illi & hanc ſuæ contumaciæ pœnam, & populus eoſdem abominari atqui abhorrere eò facilius diſcat, quo libentius fertur ad legendam in piperatis diſputationibus illorum damnationem. Attamen, ſi nobis optio detur, placidam, quàm iracundam in refellendo errore facundiam ſequi mallemus. Placuit hæc aliis Patribus, & Auguſtino præſertim, qui cum aliis nominibus maximè ſit commendandus, hoc ipſo in primis apud poſteros ſpectabilem ſe fecit, quòd certando cùm Hæreticis, vel procaciſſimis, nunquam manſuetudinem ſuam, atque verborum lenitatem, quamvìs laceſſitus maledictis, abjecerit. Et certè vix eſt ut hominem animal omnium ambitioſiſſimum, conviciis & acerrimâ reprehenſione de ſententia atque errore deducas. Mordaciſſimâ oratione exaſperatus ille vindictam potius, quàm emendationem cogitabit. Contra gravis ſimúlque mitis confutatio, animum adverſarii ab auſcultanda veritate nequaquam avertens, plus quàm altera poteſt, cùm & ejus errorem vincere, & ipſum errantem ſanitati reſtituere poſſit. Quæ cura Chriſtiano Scriptore, quàm altera, profectò dignior. Noſtrum enim eſſe debet non ignominia onerare, ſed ad meliorem frugem, quantùm in nobis eſt, fratrem noſtrum convertere, fratrem lucrari. Mirum autem eſt, quantùm & peccantes ad pœnitentiam, & errantes ad palinodiam alliciat

gra-

Digitized by Google

gravis illa manſuetudo corripientis, ſivè refutantis.

CAPUT III.

Calumnia nunquam adhibenda. Conviciis temperandum. Non imputandi errores niſi benè perſpecti. Placidè quantùm fieri poteſt pugnandum; & quando ſecùs deceat. In confutandis erroribus ad Religionem minimè ſpectantibus quæ libertas ingeniis. Caritati ac Moderationi & hîc ſuus eſſe debet locus. Quando vitia morum adverſariis objicere liceat.

POrrò ſi adhuc ſtat animo tua ſcripta contra Catholicæ veritatis & Eccleſiæ inimicos aculeato, iratóque etiam, ſtylo armare: non impedio ſcribentem. Sed ira modum habeat; honeſtatem non obliviſcatur oratio; pro Eccleſiæ & Fidei Apologia non inveniant Lectores virulentiſſimam ſatyram. Alioqui non æquitas ſolùm, & caritas, ſed & juſtitia ac prudentia illic deſiderabitur. Neſcio enim, quo pacto juſti ac prudentis nomen retinere poſſit, quia ità in hoſtem irruit, ut ſe quoque incautè lædat; adverſarii culpas tam effusè perſequitur, ut ſe maledicum fieri minimè ſentiat; atque ità in aliis reparare vult veritatis jacturam, ut ipſe interim ad calumnias & convicia deſcendens, moderationem virilem atque chriſtianam in ſe ipſo perdat. Difficile eſt, fateor, ignitis ingeniis pacatè hîc agere, zelo potiſſimum ſacræ fidei flammas augente. Pugnæ ipſius ardor ità ictus omnes temperare non ſinit, ut errorem tantummodo alienum; non & perſonas aliquando feriamus. Vel cautiſſimis & manſuetiſſimis pugnatoribus jacula interdum elabuntur, quæ animum ferientis occultè fallunt. Verùm circumſpiciendum eſt nobis, quid in certamine ad tam facilè lubentérque mordendum ingenia noſtra ſtimulet atque impellat. Interdum unus amor noſtri tantùm pulverem excitat. Amamus famam religioſi zeli, quem quo plus in cenſura iraſcimur, etiamſi excedimus, eò commodius ſuaſuros nos eſſe ſperamus. Quærimus Lectorem plurimùm, eúmque novimus ad Plautinas menſas, & ſcommata lubentiùs confluentem; quare per Satyram noſtris libris curamus, ut accedat commendatio

 major.

major. Credimus etiam in hoc loquendi genere evidentius apparere bonæ cauſæ conſcientiam. Verùm hìc non rarò noſter nos fallit affectus; & præ omnibus ſpectanda eſt veritas, quæ certè ab erroribus liberari, defendi, ſuaderi poteſt, ſine tanto felle, tantâque petulantiâ orationis. Denique ab ingenioſè acuto quàm maximè differt amarus atque maledicus ſtylus. Illo ſapiens quoque libentiſſimè utatur; ab iſto temperet. Nam dum rationibus & argumentis dimicetur, jam in tuto eſt veritatis cauſa; neque interim adverſario, quantùm in noſtra manu eſt, de nobis quærendi ulla relinquitur juſta ratio.

Jubet nos ergo caritas, placidè vel in pertinaces Hæreticos agere, ut non tantùm illorum errori proſternendo ſtudeamus, ſed & ſaluti proſpiciamus. Quantò autem magis ipſa nos moneat, ne ipſis errores & crimina imputemus, falſa, ſivè conficta? Ejuſmodi hominum inſaniam, atque impudentiam, ſuprà modum exaggerare plerumque ſolet mendax fama, aut adverſariorum ira. Proinde æquum eſt, & caritatis lege ſancitum, ut in hoc etiam communium hoſpitium genere, eorúmque libris nihil vituperemus; nihil fidenter damnemus, quod priùs non conſtet ipſorum ſententiâ affirmari atque probari. Qua in re nullus dubito, quin Catholici quidam minùs cauti, & cœco zelo abrepti, interdum ſe quoque præbuerint arguendos. Per nonnullos è primis Lutheri & Calvini oppugnatoribus non ſtetit, quominus in longam ſeriem excreſcerent iſtorum errores. Supra centum Calvini blaſphemias numerabat Fevardentius, Scriptor ſtylo quoque parùm in ipſos Hæreticos moderato uſus Tam multa, ac tam graviter, non deliráſſe Calvinum ejúſque ſectarios, cùm ipſi poſtea palam fecêre, tum noſtri ſenſim deprehenderunt, ſimul ac remiſſus eſt primus ille certaminis impetus. Minus, inquam Lutherani, & Calviniani, quàm videbatur, olim à veritate Catholica aberant; minus etiam noſtrâ tempeſtate abſunt, cùm à ſuis parentibus jam in aliquibus diſceſſerint nimis apertè impiis falſiſve ſententiis; diſceſſuri, uti ſperandum eſt, à reliquis etiam, ubi Catholicorum doctrinam, vitiatam à declamatoribus ſuis, audire deſinens, puram verò à Conciliis & Catechiſmis noſtris publicè probatis haurire incipient. Et reverà iſtud non dicam familiare eſt, ſed in conſuetudinem & quamdam quaſi legem apud ipſos tranſiit, ut Catholicorum doctrina atque Eccleſia in eorum ſcriptis atque concionibus ità diſcerpatur, ac deformetur, ut nativam ſuam faciem ac puritatem prorſus amittat.

Quoti-

Quotidiani ſui muneris eſſe quilibet Miniſtellus putat, in mores opinionéſque noſtras quà maledictis, quà declamationibus invehi; fictitiis criminibus ac erroribus dogmata noſtra onerare? ipſas noſtrorum virtutes, ritúſque pios, fuſcis exprimere coloribus; omnia denique diſſimulare, quæ nobis militant, quæque aut prodere confeſtim poſſent incautam obtrectationem eorum, aut noſtram tueri optimam cauſam. Sic alitur in populis jam annoſus error, & deplorandum ſchiſma. Plebs autem à teneris, ut ajunt, unguiculis educata atque infercita hujuſmodi næniis & calumnioſis concionibus, nihil vehementius horret, quàm Catholicorum Fidem & Sacramenta. Quid? quod non auribus tantùm, ſed & oculis imperitorum ſua ſpectacula miniſtrantur. Conclavia & Libri maledicis picturis abundant, quibus ſomniata Babylon lepidiſſimè, ut ſibi perſuadent, ſed inſulsè omninò, deſcripta exhibetur, & innumera Antichriſti jam in eorum phantaſia nati, ſive Monachorum, ſive Epiſcoporum, geſta ſubſannantur atque deturpantur. Hac autem in parte ii præſertim excellere ſolent, quibus & craſſiorem aërem, & frigidiorem patriam, & minus elegans ingenium natura dedit.

Equidem ſi qui ſunt inter Catholicos, quibus adhuc hújuſmodi genus pugnandi placeat, non ſolùm nullas à me laudes expectent, ſed multam potius vituperationem. Viros liberaliter eruditos, nedum Chriſtianos, iſta non decent. Et noſtros moneo, potiſſimum verò monendos reor alienæ communionis Scriptores atque Oratores; utpote ſæpius & fœdius in hujuſmodi ſtudio peccantes, ut dum Religionis veritatem ſermone libríſve pertractant, atque tuentur, à conviciis & maledicentia abſtineant, & quantùm fieri poteſt caritatis conſilia auſcultent. Prius adverſariorum ſententiæ atque argumenta probè teneantur, neque à privato quopiam ineptóve Scriptore dogmata Eccleſiæ Catholicæ, aut diverſarum Sectarum hauriantur, ſed à publicis fidei profeſſionibus, publicéque receptis Libris Longè alia ſunt in Proteſtantium ore, ac in Catholicorum Conciliis benè multa, quæ profectò ignorare confutaturis non licet, ac ignorata damnare temeritatis eſt, ne dicam dementiæ. Id non diffitentur, qui inter Proteſtantes temporibus noſtris ſinceritate præſtant & diligentia, & perperam culpata fuiſſe, atque culpari multa Catholicorum ſentiunt. Tum adverſus benè perſpectas ſententias exercendæ, ſi quæ ſunt, ſolidæ rationes, certis innixæ principiis, ac inde ritè deductæ. Quid his, non jam clanculum,

ſed apertè ſeſe immiſcet impudens & vilis contumeliarum atque ſannarum familia? Cur calumniis cautè non occluditur aditus? Quid barbarico more ictus vibrantur? Eſt hoc vulnerare atque exaſperare, non autem ſanare adverſarium: quod tamen poſtremum caritas à nobis unicè poſtularet. Vincat ergo veritas pondere argumentorum non opprimat ira mordacitate & furore dictorum.

Huic autem ſuavi caritatis edicto contraire ille dicendus non eſt, qui furioſos, calumnioſos, & maledicos Scriptores non aliter refellere poteſt, quàm eorū vitiis excuſſis, & palam confoſſis. Quid agat iſte cenſor, quanquam placidus atque modeſtus? Si veritatem vindicare vult ab alienis telis, non poteſt quin malam adverſarii fidem manſuetè quidem accuſet, & prodat, ſed tamen accuſet. Adulteratos ab ipſo codices, truncatas ſententias, diſſimulata conſultò argumenta, & conſectaria, captioſas & ſophiſticas rationes, declamatorias phaleras atque hyperboles, conficta exempla, & alia hujuſmodi, ſatyricus & immitis non eſt, qui arguit, & ſpectanda omnibus præbet; ſed ille temerarius, & indoctus, & parum pius, & parum mentis compos, aut ſuæ exiſtimationis prodigus; qui talia in veritatis ludibrium palam eſt auſus. Hic, ut dici ſolet, cauſa cauſæ reſpondet. Attamen hic etiam habere poteſt, quo ſe prudentem & humanum, & vitiorum, non hominum, inſectatorem ſe probet Scriptor. Scilicet, quantùm materia ſinit, non exaggeret, ſed minuat culpas; & errata inimici aut nudè tantùm deſcribat, atque ità demum deſcribat, ut benevolum adhuc ſe illius objurgatorem & correctorem oſtendat. Hæc, fateor, faciliùs ſuadere aliis, & in aliis obſervata laudare, quàm à nobis impetrare poſſumus; nam & qui prius animo ſtatuunt, ſe non ſecùs cum Hæretico atque inimico agere velle, quàm cum fratre atque amico, vix fidem ſibi præſtare poſſunt factis. Sed optima nobis proponenda, ut eò ſi non pervenire datur, accedere ſaltem quiſque contendat. Vix enim excogitari poteſt, quantùm conduceret ad ineundam pacem atque concordiam inter tot Eccleſiæ Chriſtianæ aut veros aut perduelles filios, tantâ opinionum diverſitate ſejunctos, adeóque miſerabili ſchiſmate tandiu diſtractos, ſi pacifico ſtylo, placidíſq; diſputationibus utrinq; ageretur, oculis in unam veritatem ſemper intentis. Atq; ad hoc in primis utinam ii ſedulò mētem converterent, qui refutant errores ab uno quidem Scriptore ſparſos in vulgus, ſed alicui ſectæ communes. Tum in uno multi feriuntur, mitiúſque propterea dimicandum, ut non

unum

unum tantummodo, ſed plures amicâ confutatione lucreris, & Eccleſiæ reſtituas.

De rebus ad Religionem & Eccleſiam nihil ſpectantibus interdum lis erit. Multas Phyſica ſuppeditat, multas Juriſprudentia ac Hiſtoria, multas Rethorica, & Poëtica; atque ipſa etiam Grammatica. In his excogitandis, referendis, atque explicandis humanum ingenium, atque eruditio ſæpè deficiunt. Hinc viris criticis, nunquam non in ſimiles errores intentis, negotium grande, neque minus Typographis. Si quoſdam audire volumus, ab omni Librorum cenſura temperandum. Aut enim vera & recta docent: & in cenſoris caput recidet cenſura, ſi fiat; aut falſa & inepta continent: & inani idcircò refelluntur labore, quàm ſuapte naturâ ſint caſuri, & ad blattas tineáſque damnandi. Petitur etiam, quo jure in Auctorem tibi non injurium, immo tui neſcium, cenſoriam auctoritatem exercere velis. Sed qui iſta petunt ac monent, adhuc ignorare videntur, quàm facilè error in homines irrepat, atque ab iis adoptetur, quantúmque humanæ Reipublicæ interſit, verum ac bonum à falſo & malo diſtinguere atque tueri. Ut de veritate potiſſimùm loquar, publicum illa & univerſale bonum eſt, divino munere adhuc in terris relictum. Ità totum eſt omnium, ut totum ſit etiam ſingulorum, nullíque licet me decipere, atque in errorem trahere, & cogere ut falſa pro veris, vera pro falſis amplectar. Cùm tantum ac tam nobile patrimonium aliqua ex parte quiſquam lædit, mendacio indulgens, aut falſa incautè venditans: res mea læditur, & pro bono malum, hoc eſt, error mihi obſtruditur. Meum ergo eſt mea tueri, mihiſque ab errore cavere, & contra veritatis inimicum, qualiſcumque ſit dimicare; quòd ſi palàm veritati bellum indicitur, (id quod in Libris falſa ferentibus, & publicâ luce donatis, uſu venit) jam fas mihi eſt, bonum non jam ampliùs tantummodo meum, ſed publicum, ab injuria publicè vindicare, & à Republica errorem removere, Reipublicæ ipſi pernicioſum. Quis me jure accuſet, immo quis jure non laudet, quòd non ſinam decipi gentem meam. & regnare veritatem velim? At error eſt in Hiſtoria, in Phyſica, in Poëtica, in Grammatica, & in aliis, ut ità dicam, ludicris, aut inanibus ſtudiis, non in gravi Religionis, aut legum, & morum ſcientia. Eſto. Anne propterea ferendus, neque eliminandus eſt error? Et iſta mihi & Reipublicæ nocent, quantùm poſſunt; malum quippe eſt falli tam in magnis, quàm in parvis; & omnium intereſt, ne in

Digitized by Google

Poëtica quidem, & Grammatica, nedum in Phyſica, & Hiſtorica eruditione, falſa aut prava diſſeminari & credi. Uti verò nulla ratio hominem excuſat, quòd in Libros optimos, & optima tradentes, cenſoriam virgam adhibeat; ità rationes multæ cum eo faciunt, qui Libros malos, & falſi aut vitii magiſtros, refellendos corrigendóſve ſuſcipit. Magnam partem ex indoctis conſtat hominum genus. Inter ipſos literarum cultores rarum judicium eſt, & crebra hallucinatio. Ità verò interdum conditur & celatur, & colore veritatis, error ac falſitas incruſtantur, ut vel peritis imponant. Non eſt ergo illius vituperandum conſilium, qui ab errandi periculo atque ab imitatione pravorum, Rempublicam aut ſtatim, aut tandem eripiat. Sed potiùs ille laudandus, quòd cenſurâ ſuâ cautam faciat reliquam gentem, & labore ſuo cæteros à labore exquiſiti examinis liberet. Ineptiſſimos tantùm Libros & nemini officere valentes, anxiè in trutina ſuſpendere & refutare velle, eſt hominis cum inepto ineptire cupientis. Cæterùm qui & hoc ſibi negotii ſumat, quo ſaltem ab imitatione ſimilium arceat alios literis operam dantes, non ut ſuo adversùs auctorem odio obtemperet, in prudentiam fortaſſe peccabit, nequaquam verò in juſtitiam.

Tractantibus autem & hujuſmodi, quanquam interdum levis momenti, quæſtiones, inculcanda eſt iterùm moderationis & humanitatis mentio. Quando aliter fieri non poteſt, ad ravim uſque contendatur pro quacumque veritate, in quemcumque errorem, ac malum Librum. Sed non lacerentur in contraria, licèt abſurdâ ſententiâ poſiti. Nimiâ dicacitate non corrumpatur, non infametur bonâ causâ. Rationibus tantùm, non conviciis & maledictis, ſervata eſt palma. Præthereà quid, amabo, ferventi cenſuræ tuæ, aut Apologiæ, cujus argumentum eſt error intellectûs, mores quoque & perſonam adverſarii interſeris? Indignatur veritas, ſe talibus armis defendi, cùm ſe nihil reverà defendant, & in unius utentis probrum convertantur. Et tamen cenſori ſuo, quem naturâ monoculum, gibboſum, claudum fecit, aut ingenti naſo armavit, pauci tantâ animi moderatione olim reſpondebant, ut hæc illius vitia non memorarent atque riderent. Pauci ità ſibi imperare poterant, ut adverſarii luxuriam, ambitionem, artéſque pravas in literariam pugnam inferrent. Inventi ſunt; parum dixi; inveniuntur, qui paupertatem & ignobilem originem cenſori ſuarum opinionum objiciant, quaſi in iſtius ore veritas quoque & argumenta veritatis, obſcuram & miſeram dicentis

centis conditionem, ejúſque ſiniſtram fortunam combiberint. Statuunt alii potiorem ſuæ defenſionis vim in recriminando adverſario. Quod quidem cùm nihil utilitatis ſæpè inferat cauſæ, qua de agitur, id unum poteſt, ut ad inhoneſtam vilémque vindictam inſerviat, quando ad juſtam tutelam non poteſt. Parum certè videntur acuti, qui hac arte quicquam pro ſe profecturos ſe eſſe ſperant. Vulnera quidem inimico, ſed ſibi ſalutem non creabunt, ab eo non diſſimiles, qui ſe non avarum, & non dementem probaturus, id tantummodo oſtendendum ſumit, ſe inter avaros atque dementes ſolùm non eſſe.

Fieri tamen poteſt, ut non liceat ſolùm, ſed etiam quandoque expediat, in adverſariorum mores, & crimina inquirere, moderationis tamen ac veritatis curâ nunquam ſepoſitâ. Cùm nempe ad veritatis & innocentiæ præſidium facit eadem ipſa morum & criminum revelatio Hujuſmodi telo nonnunquam calumniatores feliciter repelluntur; & in forenſi palæſtra, ac in orationibus judiciariis multus eſſe poteſt illius uſus. Præterea æquum ſimul & laudabile fuit, moribus eorum, qui recentiores Hæreſes condidêre, litem intendere. Nempe ne hoc quidem poſtremum erat argumentum peſſimæ illorum cauſæ, neque parum conducebat ad veritatem Catholicæ Eccleſiæ firmandam. Ut Eccleſiam iſtam à vera fide jam prolapſam, & à multis ſæculis inviſibilem, Idolis & Antichriſto ſervientem, reſtituerent, divinitùs conſtitutos Lutherum, Zvvinglium, Calvinum, atq. alios id genus homines, dictitârunt eorum ſectatores. Hos extraordinarios viros, extraordinariâ & cœleſti vocatione ad Eccleſiam reformandam miſſos, appellabant. Verùm cùm novos hoſce Prophetas nos oſtendamus, non ſolùm omnibus Prophetarum donis caruiſſe, ſed etiam multis abundâſſe vitiis, neque meliores evaſiſſe, qui in eorum diſciplinam & dogmata conceſsêre, ſicuti præter multos alios locupletiſſimus teſtis Deſiderius Eraſmus affirmat: cuinam perſuadere in poſterum ſe poſſe putant nonnulli populi, nuperos iſtos Catones è cœlo cecidiſſe, cœlóque conſentiente, immo impellente, tot in Eccleſia Dei excitâſſe ſchiſmata atque tragœdias? Uti verò adverſùs ipſos legitimè ejuſmodi argumento utimur, ità ipſi ineptè adverſùs Catholicam Eccleſiam argumento à moribus ducto utuntur. Utcumque corrupti Catholicorum Sacerdotum, Monachorum, & populi mores tunc fuerint, cùm ſigna in matrem ſuam Lutherus movit: diſceſ-

diſceſſionem idcirco facere non licuit ab iſtorum ſocietate, & communione. In mores enim, non in dogmata vitium fluxerat; & iniquum planè eſt, ſanctitatem & rectitudinem Religionis dimetiri & damnare è perverſis hominum moribus, cùm contra damnandi ſint pravi hominum mores è ſanctitate & rectitudine legum, quas ipſa Religio proponit.

CAPUT IV.

Errores in ſanctorum Patrum ſcriptis non diſſimulandi; ſed modeſtè agendum, & excuſandi errantes. Prudentiæ in proferenda veritate, & erroribus inſectandis habenda ratio. Quot modis in hanc virtutem peccetur. Scandalis ac ſeditionibus non aperiendus aditus.

CUm de fidei doctrina agitur, diximus, veritatis cauſam poſcere, ut vel ipſis ſanctis Patribus non ignoſcatur. Id repeto: diſſimulandi non ſunt errores, qui in nonnullorum Patrum Libris interdum occurrunt, ne iis quiſquam abutatur in Eccleſiæ perniciem, quæ contra ſenſit, & ſentit. Verum quandoquidem Chriſtiana moderatio tanti facienda eſt, vel cùm in Hæreticos ſcribitur, quantò magis eadem ſervanda eſt virtus, cùm detegendi ſunt nævi ſanctorum Patrum? Hic itaque duo obſervanda in primis. Primum eſt, ut quantum fieri poteſt, non errorem ſolùm, ſed etiam erroris ſuſpicionem à magnis illis viris amoliamur. Quod contingit interdum, cùm ex plurium locorum collatione deprehenditur, aliam fuiſſe eorum ſententiam, quàm quæ in uno quopiam Libro, ſeu Libri loco, ſonare videatur. Tum ſi commodum aliquem ſenſum eorum verba patiuntur, hunc ipſis tribuere fas eſt; nihil enim veriſimilius eſt, quàm tales tantóſque viros, cum Eccleſia & cæteris Patribus omnia plerumque concordes, ne in ea quidem opinione ab iiſdem Patribus, atque ab Eccleſia diſſenſiſſe. Prolatis etiam quandoque Codicibus notæ melioris, parum ſanis Libris ſuccurritur, unde fluere videbatur parum ſana doctrina. Et multa quidem ſunt, in quibus cùm veteres tum recentiores Hæretici putant pro ſe habere ſanctorum Patrum conſenſum, & loca non pauca producunt, ſuis in ſpeciem opinionibus accom-

accommodata. Sed illud conſtat, nullum eſſe dogma, in quo oſtendere poſſint Hæretici, non dicam omnes, ſed ne magnam quidem partem ſanctorum Patrum ſecum facere. Ubique aut omnes, aut pleroſque Catholica pro ſe habet Eccleſia. Si qui favere Heterodoxis videntur: adhuc adhibitis explicationibus non violentis, & hi non rarò ab ejuſmodi notâ liberantur. Qua tamen in re, utì ſæpè diximus, tam cœca eſſe caritas recuſat, ut aliqua ex parte veritatem peſſundet. Ne ii quidem in noſtram cauſam ſunt inviti trahendi. Quanquam enim aliquis Patrum paria cum Hæreticis quapiam in re nonnunquam ſcribat, inde ſibi Catholica Eccleſia nihil timendum habet, quæ non ſingulorum Patrum auctoritate nititur, ſed conjunctorum; & præſtantiorem aut uberiorem iſtorum partem paucioribus opponere poteſt.

Ad hæc, ubi honeſta nulla & commoda ratio ſuccurrit, qua ab erroris ſpecie liberentur quorumdam Patrum dicta, ità veritatis amans hujuſmodi nævos prodit, ut caritas ſimul vindicet eorumdem auctores à crimine. Videlicet, culpam Hæreſis non omnis contrahit, qui hæreticam aut perverſam profert ſententiam. Oportet errori conjunxiſſe pertinaciam. Opus etiam eſt, ut prius ejuſmodi ſententiæ inter errores ab Eccleſia numeratæ fuerint, aut eæ ſint, quæ vel ſinè Eccleſiæ decreto cognoſci non difficilè poſſint, tanquam à vera Eccleſiæ doctrina alienæ. Nullum autem è Patribus indicare eſt in aliqua opinione tuenda pervicacem adversùs Catholicam Eccleſiam. Alioqui, non ſanctorum Patrum albo, ſed Hæreticorum ille jam fuiſſet inſcriptus. Prætereà ſi quis eorum in parum ſana ſententia conſtantem ſe prodidit, utique ea fuit ſententia, quæ ſinè crimine, atque intactâ Fide Catholicâ, animo indui defendíque adhuc poterat. quippe nondum ſatis explorata, & Eccleſiæ calculo nondum improbata, ſive damnata. His animadverſis, caritati ſimul & veritati factum erit ſatìs: neque religioni ſibi poſtea ducet eruditus Scriptor, ea in ſanctis Patribus modeſtè arguere, quæ fòrtè abſint à regula totius Eccleſiæ. Et quidem nonniſi laudandus, qui hujuſmodi caritatis Chriſtianæ artes exerceat pro vindicandis ab hæreſi & à crimine (dum fieri abſque veritatis jactura poſſit) reliquis hominibus, atque Scriptoribus. Sed hoc beneficium potiore jure à nobis exſpectant, quos vulgò Patres dicimus, viri nempe doctrinâ, ſanctitate, & ſacro miniſterio plerumque inſignes, & ab ipſa Eccleſia laudati. Quamobrem Chriſtianus pudor in iis deſideratur,

tur, qui acribus cenſuris tam veneranda capita interdum exagitant. Neutiquam verò tum ferendi Cenſores, cùm non ſolùm veros immodeſtè iis errores objiciunt, ſed falſos etiam affingunt, atque in eorum Libris reprehendunt germana Eccleſiæ Catholicæ dogmata. Verùm de his iterum erit agendi locus, ubi à cenſura Joannis Phereponi S. Auguſtinum vindicabimus.

Demum in veritate exerenda, erroribúſque palam inſectandis maxima prudentiæ habenda eſt ratio, ſinè cujus ductu vel ipſæ virtutes, ad actionem deductæ, in vitia degenerant. Ad iſtam nimirum pertinet, ſignificare, quando, & quomodo, & quibus in locis, & per quos aut diſſimulanda, aut prædicanda ſit veritas. Primum igitur Prudentiæ præceptum eſt: *Non expedire, immo nefas interdum eſſe, veritates quaſdam proferre, atque inculcare, è quibus peſſima enaſcantur ſcandala.* Hic certè cum prudentia juſtitia conſentit. Æquitas nobis jubet ea ſilere, ac diſſimulare, quæ nihil publicæ rei proſint, & multum privatæ noceant. Proptereáque privatis adverſariorum moribus in literario certamine cenſura parcere debet. Nihil enim aut utile, aut certè neceſſarium eſt populo reſcire, quibus vitiis adverſarii noſtri corpus natura ſignaverit, aut quibus perverſis affectibus animus illius abundet. Solus hominum livor ex hiſce ſpectaculis oblectationem capit. Contrà verò adverſariorum exiſtimationi & nomini officitur, eorum vitiis revelatis, publicèque irriſis; cùm tamen hujuſmodi cenſuræ genus neque ad literariam litem dirimendam, neque ad animum inimici meliorem efficiendum, adhibeatur. Iterum: *Æquitas præcipit, ne ità prodeſſe Reipublicæ velimus, ut ipſo tempore ipſóque beneficio gravius eidem noceamus.* Ità omnium vituperationem incurrat Medicus ille, qui ut ab ægroto morbum levem depellat, alium ipſi, atque priore graviorem, ſuo pharmaco creat.

Cùm itaque errores & vitia inter homines obtinent, in eorum caſtigationem caritas exardeſcet, juſtitia armabitur; unaquæque pro tuenda veritate, ac errore eliminando. Verùm ambas in aciem circumſpectè ducet prudentia, neque agere ſinet, niſi opportuno tempore, loco, & ardore. Interdum etiam ſilentium indicet, & à pugna retrahet, majoréſque aut minores animos pro rei qualitate inſpirabit. Nullum tam grande malum eſt inter Chriſtianos, quod Chriſtianæ doctrinæ corruptioni æquari poſſit. Nunquam ergo ſilendum, nunquam occultandam veritatem prudentia nobis auctor erit, cùm quis tanquam Chriſti doctrinam

ſtrinam venditare incipit errores, & ſententias verbo Dei ſive ſcripto, ſive non ſcripto, contrarias. Rurſus cùm iſtam fidem, divinámque doctrinam in me perdere quiſquam hoſtis Chriſti nititur, me vel minis, vel donis, vel aliis artibus ad eam ejurandam compellens, ſive alliciens: dum vox & vita ſuppetent, committendum mihi non erit, ut confeſſio veritatis, ejúſque firmiſſima perſuaſio, mihi eripiantur. Cæterùm in aliis caſibus, ità poſcente prudentiâ, non erit interdum erroribus eorum, qui ſunt extra Eccleſiam, (exempli gratiâ, Ethnicorum, aut Mahumetanorum ſuperſtitioni) apertiſſimum ac enorme indicendum bellum. Tria prima Eccleſiæ ſæcula, Terris fruſtra & Inferis contra pugnantibus, Religionem Chriſtianam ſtupuêre triumphantem. Crudeliſſimos Tyrannos in Chriſti nomen conjuratos fatigavit, & vicit innumerabilium Chriſtianorum fortiſſima patientia. Attamen diſſimulandum non eſt: inter ipſos Martyres fuêre nonnulli, quos in flagrantiſſimo veritatis & Religionis zelo prudentia defecit. Non contenti ſanctiſſimam Religionem rationum robore defendiſſe, & ſuperſtitionem Ethnicam ſcriptis & voce fugiendam denuntiâſſe (quod veritatis cultores reverà decebat,) Gentilium quoque Idola comminuere, fana, & cultum profanum palam irridere, ipſóſque Ethnicos Magiſtratus ultro irritare non dubitârunt. Hinc auctæ interdum perſecutiones, & multorum fides aut vita in diſcrimen adducta. Theodoſii quoque junioris temporibus immanis procella excitata eſt adversùs Chriſtianos in Perſide. Ex iſtis ſublata ſunt millia quàm plurima, ubíque penè funditùs exciſa Chriſti Eccleſia. Tot autem mortibus & incommodis cauſam dedit unius culpa. Audas nempe Epiſcopus, vir cæteris virtutibus illuſtris, ſed prudentiâ non ſatìs inſtructus, quòd Pyreum, ſive Templum Gentilium, evertiſſet, tum in ſe, tum in reliquos fratres, atque in cuncta Chriſtianorum Templa concitavit iram Perſici Regis. Utique Martyria feliciter ac fortiter dimicantibus utilitati ſunt & gloriæ. Sed accerſenda ſinè neceſſitate non ſunt, ne tentetur Deus, ne conſtantia noſtra mediis in cruciatibus periclitetur, aut ſaltem ne in fratres, atque in Eccleſiam, miſerandæ calamitates & poſtrema incommoda per imprudentiam noſtram deriventur. Vide Concilii Illiberitani Canonem LX. atque in eum Mendozæ & Aguirrii commentarios.

Ad hæc, veritatis prædicatores, & inſectatores errorum, prudentia circumſtare debet, atque indicare, quæ ſcandala,

Digitized by Google

dala, qui tumultus, quæve alia incommoda conſequi poſſint veritatem aut eo tempore, aut eo loco, aut ea ratione deprædicatam. Si errores in doctrinam Chriſti minimè pugnant, nonnunquam minus malum fuerit tolerare paulisper, & proderit differre cenſuram. Animi Regum, exempli cauſa, exaſperandi ità non ſunt propter hujuſmodi cauſas, ut eos ira atque ambitio ad ſchiſma trahat, atque ad Eccleſiam verámque Religionem ejurandam. Teterrimum malum ſchiſma eſt. Væ ſinè ratione conſlantibus. Sed væ iis etiam, qui imprudenter ſolicitant alios ad tam deteſtandum facinus. Sunt qui abuſus, & vitia, & errores publicè configere neſciunt, niſi etiam claſſico inflato juribus aliis incautè officiant. Nam ſicuti regnorum ærumnas nonnulli deplorant, earúmque auctores lacerant, populos imprudenti declamatione ad ſeditiones movent, atque ad auferendam legitimus rebus debitam obedientiam: ità Præſulum & Sacerdotum, & Monachorum non ſomniata vitia argumentum aliis invectivarum fiunt, qui tamen interim haudquaquam cernunt, ſe ità agere, ut plebs reverentiam exuat erga optimos etiam Epiſcopos, & univerſo Ordini Sacerdotali obſequium neget. Abuſus in Sacramentis miniſtrandis, in uſu pietatis, in Imaginum ſacrarum, Sanctorúmque veneratione, atque in Indulgentiis promulgandis deprehenſos, deſcripſerunt alii, damnarúntque acerrimè. Cauſam, conſilium, zelum laudo. Verùm ipſis cavendum accuratè fuerat, ne dum vituperanda vituperabant, & abuſus configebant, ipſas quoque res ſacras, & ſemper venerandas, aut hæreticorum ludibrio exponerent, aut etiam in contemptionem adducerent Catholicæ plebis. In miracula conficta invehuntur alii, aut nimis laxas nonnullorum Theologorum opiniones ferre non poſſunt; pro utriuſque conſcribunt alii Apologias. Qui veritatem iſto in certamine tuentur, rem juſtitiæ gratam præſtant, iiſque immeritò iraſcamur. Sed cùm illi ſuſpicione falſi vera etiam miracula à ſe aſpergi non animadvertant; aut integrum aliquem Ordinem ex paucorum culpa in invidiam incautè trahant; iſti verò miraculis etiam falſis, aut opinionibus parum probabilibus eodem tempore, quanquam præter ſuum propoſitum, auctoritatem & licentiam concilient: indignandum profectò eſt, quòd iſti prudentiam priùs non conſuluerint, eámque ſuorum ſcriptorum non præfecerint ductricem atque magiſtram.

Quid itaq; curæ futurum ſit hujus virtutis amant, dum

præ-

prædicanda veritas, erroréſque ſunt palam increpandi, facilè hinc intelligere poſſumus. Interdum vir prudens errores populi, aut vitia, atque ſcandala Sacerdotum, Ordiniſque Monaſtici, deferenda potiùs cenſet ad Epiſcopos, & potiſſimùm ad Apoſtolicam Sedem, quàm publicis vexanda clamoribus. Certam ille mavult ab Eccleſiæ Principibus exſpectare medicinam, quàm dubiam & periculoſam à privata cenſura. Et ſanè quidquid à Romanis Pontificibus, & ab Epiſcopis, atque Conciliis in diſciplina corrigitur, atque interdicitur, quamvìs multa ſe antiquitate, & populorum uſu tueatur: turbas & ſeditiones movere non ſolet & nequit. Satis perſuaſum eſt Chriſtianæ plebi, nihil ab iis auferri, improbari, aut immutari, niſi quod à vera pietate abhorreat; faciléque auctoritati legitimæ ac venerandæ obedientes acquieſcunt. Non id æquè ſibi perſuadeat populus de privatorum cenſuris, & maximè tacentibus Paſtoribus, quorum ſilentium aut inertiam pro ſuffragio & conſenſu oves errantes interpretantur, vel quando agitur de non levibus ſuperſtitionum ſcintillis. Hinc aut nullus cenſuræ privatæ fructus, aut ſi quiſquam, is certè rarus, & periculoſus, & à Paſtoribus dormientibus interdum avertit animos gregis. Itaque prudentis eſt, Petri Succeſſores, & Eccleſiæ Antiſtites potiùs, quàm populum ipſum, ad horum emendationem concitare ſupplici voce, mitibúſque etiam querelis.

Sed pergunt altum ſtertere, aut connivere Epiſcopi. Nolo cauſam veritatis, & zelum domûs Dei, & errantium curam idcirco abjiciat Chriſtianus. Fas eſt ipſi publicis ſcriptis revelare cognita vulnera, fas eſt confodere pertinacem errorem. Ità tamen ſe gerat, ut eodem opere, atque inſtituto reverentiam ſuadeat atque confirmet erga ſupremos Eccleſiæ Magiſtratus. Abuſus, & ſcandala, & falſam pietatem, & populares errores, configat obelo; ſed ſimul Sacramenta, & germanum Religionis cultum, & ſolidam pietatem, & ſanas ſententias, & unitatem fidei maximè commendet. De virginitatis laudibus agens, conjugio ſuam non detrahat laudem: quod ſatis non caviſſe S. Hieronymum olim ſuſpicati ſunt quidam. Si divinæ gratiæ vim & neceſſitatem tuetur, arbitrii libertas in ejus ſcriptis æquè commendetur. Et viciſſim arbitrii virtus, atque libertas tantopere non extollatur, ut deprimatur dignitas & neceſſitas gratiæ. Dum verò corruptos vel ipſorum Præſulum mores, nullo tamen apertè deſignato, carpit, tantum abſit, ut aut contemptum Romanæ Sedis, & Epiſcoporum,

& Religioſorum Ordinum inducere poſſit ac velit, aut aliqua ex parte juvet ambitioſam & impiam reformationem, quam jactitant noſtri temporis Novatores. ut ipſorum Epiſcoporum, & præcipuè Maximorum Pontificum decretis atque Conciliis utatur ad hæc omnia confutanda atque proſcribenda, paritérque prodat, quantum in hujuſmodi emendatione excellerint Hæretici recentiores. Quænam enim emergere vitia, abuſus, & ſuperſtitionum deliria penè jam poſſunt, quæ Patres, Epiſcopi, & Romani præſertim, ſuis aut ſcriptis aut Synodis anteà non ejurâ-rint, monuerintque eſſe fugienda? Præterea prudenti viro nuſquam certè nimia opinionum laxitas probatur, ſed ne nimia quidem auſteritas. Quanquam ſi in alterutram partem peccandum ſit, ſeveritate malit, ne jam pronæ hominum naturæ ad ſeſe emancipandam in vitia ipſe calcaria addat exuberanti indulgentiâ. Non minus ergo anxiè cogitat, quantum ſcriptis atque oratione ſuâ prodeſſe Eccleſiæ & populo poſſit, quàm cautè circumſpicit, ne qua ex parte noceat. Atque hujuſmodi ratione veritatis jura intrepidus exercet, ſimúlque numeros omnes implet judicioſæ ſagacitatis, atque prudentiæ. Pertinet & ad iſtam virtutem inſpicere, liceátne, an non, aut ſaltem num expediat, an non, in Moralis Theologiæ Libris tot luxuriæ ſecreta prodere, quæ Sacerdotes quidem Confeſſionibus excipiendis deſtinatos ad bonum erudire, ſed ſimul etiam multos eorum criminum anteà ignaros inſtruere, ne dicam juvare, poſſunt ad malum. Quam quæſtionem nos in medio relinquimus, & ſolùm innuere neceſſarium putavimus.

CAPUT V.

Quando, & quibus de cauſis, damnare & configere Libros, Paſtoribus Eccleſiæ liceat, aut ſit opus. Et hîc à Cenſoribus Eccleſiaſticis in juſtitiam peccari poteſt, in caritatem, & in prudentiam. Qui abuſus & exceſſus in ſalutari iſta auctoritate exercenda fugiendi ſint.

POſtquam vidimus, in annuntianda veritate, erroribúſque, & vitiis palam corripiendis, convenire debere atque conjungi tres virtutes, juſtitiam nempe, caritatem, atque

atque prudentiam: ſtatim apparebit, quo jure, nè privatis Eccleſiæ Paſtores damnare poſſint ac debeant Libroſque illolim editos, vel quotidie erumpentes in lucem. Ex quo & tum eſt, nihil magìs futurum eſſe cordi paſcentibus gentem Chriſti, quàm removere & avertere ab ovili ſuo quæcumque venena, quoſcumque lupos. Quî ergo ferant, pernicioſos Libros paſſim graſſari, & ſuo gregi impunè nocere? Pernicioſi autem minimèque ferendi ſunt ii omnes Libri, in quibus aut corrumpitur doctrina veræ Religionis, aut juſtitia deſideratur, aut caritas, aut prudentia. Scilicet illic aut falſa pro veris produntur, aut vera pro falſis: quo læditur Religio atque Juſtitia. Aut maledicentia veritatis cauſæ ſeſe immiſcet: quo caritas vulneratur. Aut majora Eccleſiæ, ſive Reipublicæ incommoda, quàm commoda, afferuntur: quod prudentiæ adverſatur. In his autem omnibus locum habere debet Eccleſiaſticorum Judicum, & Apoſtolicæ præſertim Sedis, atque Conciliorum auctoritas, ut quantum fieri poteſt eorum curâ, nihil officiatur neque veritati, neque privatis officiis, neque publicæ tranquillitati. Non quòd veritatem prodi ægrè ferant, ſed quòd ferre non debeant, illam cum aliena injuria ſinè neceſſitate prodi, ejúſque prædicationem inopportunè imprudentérq; peractam in publicam perniciem verti; hujuſmodi enim benefacta æquiùs appellanda ſunt malefacta. Audiendi porrò non ſunt Hæretici, qui Eccleſiaſticis Paſtoribus iraſcuntur, & malè quotidie dicunt, propter uſum iſtiuſmodi juris. Parum ſanè æqui, dum Eccleſiæ ac Deo negant, quod ipſi in ſuis urbibus propter temporalia commoda faciendum putant, nullum videlicet ferentes Librum, quo Regum jura lædantur, & publicæ leges improbentur, & publica tranquillitas aliqua ex parte in diſcrimen adducatur. Quis verò Anglos exempli causâ commendet, quod Spinoſæ Libros ità hodie manibus omnium permittant, ut vel ipſa fæx infima plebis ſceleribus ſuis ibi quærat præſidium; cùm certè ne unum quidem publicè tolerare ſoleant Librum, à quo Regni, ſive Reipublicæ ſuæ jus & concordia convellatur?

Reſtaret, ut exemplis rem confirmarem, excurrerémque per aliquot Libros, à Catholicis & probis etiam viris conſcriptos, ſed à Romanis, aliiſve legitimis Magiſtratibus confixos, quò palam fieret, unum ex tribus iis defectibus juſtiſſimam damnationi cauſam præbuiſſe. Verùm & otio meo, & alienâ patientiâ facilè abuterer in re nimirum, quam nemo non poſſit ingenio ſuo experiri, certámque

R 2 ſæpiſſi-

diſçeſſionem idcirco facere non licuit ab iſtorum ſocietate, & communione. In mores enim, non in dogmata vitium fluxerat; & iniquum planè eſt, ſanctitatem & rectitudinem Religionis dimetiri & damnare è perverſis hominum moribus, cùm contra damnandi ſint pravi hominum mores è ſanctitate & rectitudine legum, quas ipſa Religio proponit.

CAPUT IV.

Errores in ſanctorum Patrum ſcriptis non diſſimulandi; ſed modeſtè agendum, & excuſandi errantes. Prudentiæ in proferenda veritate, & erroribus inſectandis habenda ratio. Quot modis in hanc virtutem peccetur. Scandalis ac ſeditionibus non aperiendus aditus.

CUm de fidei doctrina agitur, diximus, veritatis cauſam poſcere, ut vel ipſis ſanctis Patribus non ignoſcatur. Id repeto: diſſimulandi non ſunt errores, qui in nonnullorum Patrum Libris interdum occurrunt, ne iis quiſquam abutatur in Eccleſiæ perniciem, quæ contra ſenſit, & ſentit. Verum quandoquidem Chriſtiana moderatio tanti facienda eſt, vel cùm in Hæreticos ſcribitur, quantò magis eadem ſervanda eſt virtus, cùm detegendi ſunt nævi ſanctorum Patrum? Hìc itaque duo obſervanda in primis. Primum eſt, ut quantum fieri poteſt, non errorem ſolùm, ſed etiam erroris ſuſpicionem à magnis illis viris amoliamur. Quod contingit interdum, cùm ex plurium locorum collatione deprehenditur, aliam fuiſſe eorum ſententiam, quàm quæ in uno quopiam Libro, ſeu Libri loco, ſonare videatur. Tum ſi commodum aliquem ſenſum eorum verba patiuntur, hunc ipſis tribuere fas eſt; nihil enim veriſimilius eſt, quàm tales tantóſque viros, cum Eccleſia & cæteris Patribus omnia plerumque concordes, ne in ea quidem opinione ab iiſdem Patribus, atque ab Eccleſia diſſenſiſſe. Prolatis etiam quandoque Codicibus notæ melioris, parum ſanis Libris ſuccurritur, unde fluere videbatur parum ſana doctrina. Et multa quidem ſunt, in quibus cùm veteres tum recentiores Hæretici putant pro ſe habere ſanctorum Patrum conſenſum, & loca non pauca producunt, ſuis in ſpeciem opinionibus accom-

accommodata. Sed illud conſtat, nullum eſſe dogma, in quo oſtendere poſſint Hæretici, non dicam omnes, ſed ne magnam quidem partem ſanctorum Patrum ſecum facere. Ubique aut omnes, aut pleroſque Catholica pro ſe habet Eccleſia. Si qui favere Heterodoxis videntur: adhuc adhibitis explicationibus non violentis, & hi non rarò ab ejuſmodi notâ liberantur. Qua tamen in re, utì ſæpè diximus, tam cœca eſſe caritas recuſat, ut aliqua ex parte veritatem peſſundet. Ne ii quidem in noſtram cauſam ſunt inviti trahendi. Quanquam enim aliquis Patrum paria cum Hæreticis quapiam in re nonnunquam ſcribat, inde ſibi Catholica Eccleſia nihil timendum habet, quæ non ſingulorum Patrum auctoritate nititur, ſed conjunctorum; & præſtantiorem aut uberiorem iſtorum partem paucioribus opponere poteſt.

Ad hæc, ubi honeſta nulla & commoda ratio ſuccurrit, qua ab erroris ſpecie liberentur quorumdam Patrum dicta, ità veritatis amans hujuſmodi nævos prodit, ut caritas ſimul vindicet eorumdem auctores à crimine. Videlicet, culpam Hæreſis non omnis contrahit, qui hæreticam aut perverſam profert ſententiam. Oportet errori conjunxiſſe pertinaciam. Opus etiam eſt, ut prius ejuſmodi ſententiæ inter errores ab Eccleſia numeratæ fuerint, aut eæ ſint, quæ vel ſinè Eccleſiæ decreto cognoſci non difficilè poſſint, tanquam à vera Eccleſiæ doctrina alienæ. Nullum autem è Patribus indicare eſt in aliqua opinione tuenda pervicacem adversùs Catholicam Eccleſiam. Alioqui, non ſanctorum Patrum albo, ſed Hæreticorum ille jam fuiſſet inſcriptus. Præterea ſi quis eorum in parum ſana ſententia conſtantem ſe prodidit, utique ea fuit ſententia, quæ ſinè crimine, atque intactâ Fide Catholicâ, animo indui defendíque adhuc poterat: quippe nondum ſatis explorata, & Eccleſiæ calculo nondum improbata, ſive damnata. His animadverſis, caritati ſimul & veritati factum erit ſatìs: neque religioni ſibi poſtea ducet eruditus Scriptor, ea in ſanctis Patribus modeſtè arguere, quæ fortè abſint à regula totius Eccleſiæ. Et quidem nonniſi laudandus, qui hujuſmodi caritatis Chriſtianæ artes exerceat pro vindicandis ab hæreſi & à crimine (dum fieri abſque veritatis jactura poſſit) reliquis hominibus, atque Scriptoribus. Sed hoc beneficium potiore jure à nobis exſpectant, quos vulgò Patres dicimus, viri nempe doctrinâ, ſanctitate, & ſacro miniſterio plerumque inſignes, & ab ipſa Eccleſia laudati. Quamobrem Chriſtianus pudor in iis deſideratur,

Digitized by Google

tur, qui acribus cenſuris tam veneranda capita interdum exagitant. Neutiquam verò tum ferendi Cenſores, cùm non ſolùm veros immodeſtè iis errores objiciunt, ſed falſos etiam affingunt, atque in eorum Libris reprehendunt germana Eccleſiæ Catholicæ dogmata. Verùm de his iterum erit agendi locus, ubi à cenſura Joannis Phereponi S. Auguſtinum vindicabimus.

Demum in veritate exerenda, erroribúſque palam inſectandis maxima prudentiæ habenda eſt ratio, ſinè cujus ductu vel ipſæ virtutes, ad actionem deductæ, in vitia degenerant. Ad iſtam nimirum pertinet, ſignificare, quando, & quomodo, & quibus in locis, & per quos aut diſſimulanda, aut prædicanda ſit veritas. Primum igitur Prudentiæ præceptum eſt: *Non expedire, immo nefas interdum eſſe, veritates quaſdam proferre, atque inculcare, è quibus peſſima enaſcantur ſcandala.* Hìc certè cum prudentia juſtitia conſentit. Æquitas nobis jubet ea ſilere, ac diſſimulare, quæ nihil publicæ rei proſint, & multum privatæ noceant. Propter eáque privatis adverſariorum moribus in literario certamine cenſura parcere debet. Nihil enim aut utile, aut certè neceſſarium eſt populo reſcire, quibus vitiis adverſarii noſtri corpus natura ſignaverit, aut quibus perverſis affectibus animus illius abundet. Solus hominum livor ex hiſce ſpectaculis oblectationem capit. Contrà verò adverſariorum exiſtimationi & nomini officitur, eorum vitiis revelatis, publicèque irriſis; cùm tamen hujuſmodi cenſuræ genus neque ad literariam litem dirimendam, neque ad animum inimici meliorem efficiendum, adhibeatur. Iterum: *Æquitas præcipit, ne ità prodeſſe Reipublicæ velimus, ut ipſo tempore ipſóque beneficio gravius eidem noceamus.* Ità omnium vituperationem incurrat Medicus ille, qui ut ab ægroto morbum levem depellat, alium ipſi, atque priore graviorem, ſuo pharmaco creat.

Cùm itaque errores & vitia inter homines obtinent, in eorum caſtigationem caritas exardeſcet, juſtitia armabitur; unaquæque pro tuenda veritate, ac errore eliminando. Verùm ambas in aciem circumſpectè ducet prudentia, neque agere ſinet, niſi opportuno tempore, loco, & ardore. Interdum etiam ſilentium indicet, & à pugna retrahet, majoréſque aut minores animos pro rei qualitate inſpirabit. Nullum tam grande malum eſt inter Chriſtianos, quod Chriſtianæ doctrinæ corruptioni æquari poſſit. Nunquam ergo ſilendum, nunquam occultandam veritatem prudentia nobis auctor erit, cùm quis tanquam Chriſti doctrinam

Digitized by Google

ctrinam venditare incipit errores, & ſententias verbo Dei ſive ſcripto, ſive non ſcripto, contrarias. Rurſus cùm iſtam fidem, divinámque doctrinam in me perdere quiſquam hoſtis Chriſti nititur, me vel minis, vel donis, vel aliis artibus ad eam ejurandam compellens, ſive alliciens: dum vox & vita ſuppetent, committendum mihi non erit, ut confeſſio veritatis, ejúſque firmiſſima perſuaſio, mihi eripiantur. Cæterùm in aliis caſibus, ità poſcente prudentiâ, non erit interdum erroribus eorum, qui ſunt extra Eccleſiam, (exempli gratiâ, Ethnicorum, aut Mahumetanorum ſuperſtitioni) apertiſſimum ac enorme indicendum bellum. Tria prima Eccleſiæ ſæcula, Terris fruſtra & Inferis contra pugnantibus, Religionem Chriſtianam ſtupuêre triumphantem. Crudeliſſimos Tyrannos in Chriſti nomen conjuratos fatigavit, & vicit innumerabilium Chriſtianorum fortiſſima patientia. Attamen diſſimulandum non eſt: inter ipſos Martyres fuêre nonnulli, quos in flagrantiſſimo veritatis & Religionis zelo prudentia defecit. Non contenti ſanctiſſimam Religionem rationum robore defendiſſe, & ſuperſtitionem Ethnicam ſcriptis & voce fugiendam denuntiâſſe (quod veritatis cultores reverà decebat,) Gentilium quoque Idola comminuere, fana, & cultum profanum palam irridere, ipſóſque Ethnicos Magiſtratus ultro irritare non dubitârunt. Hinc auctæ interdum perſecutiones, & multorum fides aut vita in diſcrimen adducta. Theodoſii quoque junioris temporibus immanis procella excitata eſt adversùs Chriſtianos in Perſide. Ex iſtis ſublata ſunt millia quàm plurima, ubíque penè funditùs exciſa Chriſti Eccleſia. Tot autem mortibus & incommodis cauſam dedit unius culpa. Audas nempe Epiſcopus, vir cæteris virtutibus illuſtris, ſed prudentiâ non ſatis inſtructus, quòd Pyreum, ſive Templum Gentilium, evertiſſet, tum in ſe, tum in reliquos fratres, atque in cuncta Chriſtianorum Templa concitavit iram Perſici Regis. Utique Martyria feliciter ac fortiter dimicantibus utilitati ſunt & gloriæ. Sed accerſenda ſinè neceſſitate non ſunt, ne tentetur Deus, ne conſtantia noſtra mediis in cruciatibus periclitetur, aut ſaltem ne in fratres, atque in Eccleſiam, miſerandæ calamitates & poſtrema incommoda per imprudentiam noſtram deriventur. Vide Concilii Illiberitani Canonem LX. atque in eum Mendozæ & Aguirrii commentarios.

Ad hæc, veritatis prædicatores, & inſectatores errorum, prudentia circumſtare debet, atque indicare, quæ ſcandala,

dala, qui tumultus, quæve alia incommoda conſequi poſſint veritatem aut eo tempore, aut eo loco, aut ea ratione deprædicatam. Si errores in doctrinam Chriſti minimè pugnant, nonnunquam minus malum fuerit tolerare paulisper, & proderit differre cenſuram. Animi Regum, exempli cauſa, exaſperandi ità non ſunt propter hujuſmodi cauſas, ut eos ira atque ambitio ad ſchiſma trahat, atque ad Eccleſiam verámque Religionem ejurandam. Teterrimum malum ſchiſma eſt. Væ ſinè ratione conſtantibus. Sed væ iis etiam, qui imprudenter ſolicitant alios ad tam deteſtandum facinus. Sunt qui abuſus, & vitia, & errores publicè configere neſciunt, niſi etiam claſſico inflato juribus aliis incautè officiant. Nam ſicuti regnorum ærumnas nonnulli deplorant, earúmque auctores lacerant, populos imprudenti declamatione ad ſeditiones movent, atque ad auferendam legitimus rebus debitam obedientiam: ità Præſulum & Sacerdotum, & Monachorum non ſomniata vitia argumentum aliis invectivarum fiunt, qui tamen interim haudquaquam cernunt, ſe ità agere, ut plebs reverentiam exuat erga optimos etiam Epiſcopos, & univerſo Ordini Sacerdotali obſequium neget. Abuſus in Sacramentis miniſtrandis, in uſu pietatis, in Imaginum ſacrarum, Sanctorúmque veneratione, atque in Indulgentiis promulgandis deprehenſos, deſcripſerunt alii, damnarúntque acerrimè. Cauſam, conſilium, zelum laudo. Verùm ipſis cavendum accuratè fuerat, ne dum vituperanda vituperabant, & abuſus configebant, ipſas quoque res ſacras, & ſemper venerandas, aut hæreticorum ludibrio exponerent, aut etiam in contemptionem adducerent Catholicæ plebis. In miracula conficta invehuntur alii, aut nimis laxas nonnullorum Theologorum opiniones ferre non poſſunt; pro utriuſque conſcribunt alii Apologias. Qui veritatem iſto in certamine tuentur, rem juſtitiæ gratam præſtant, iiſque immeritò iraſcamur. Sed cùm illi ſuſpicione falſi vera etiam miracula à ſe aſpergi non animadvertant; aut integrum aliquem Ordinem ex paucorum culpa in invidiam incautè trahant; iſti verò miraculis etiam falſis, aut opinionibus parum probabilibus eodem tempore, quanquam præter ſuum propoſitum, auctoritatem & licentiam concilient: indignandum profectò eſt, quòd iſti prudentiam priùs non conſuluerint, eámque ſuorum ſcriptorum non præfecerint ductricem atque magiſtram.

Quid itaq; curæ futurum ſit hujus virtutis amant, dum præ-

prædicanda veritas, erroréſque ſunt palam increpandi, facilè hinc intelligere poſſumus. Interdum vir prudens errores populi, aut vitia, atque ſcandala Sacerdotum, Ordiniſque Monaſtici, deferenda potiùs cenſet ad Epiſcopos, & potiſſimùm ad Apoſtolicam Sedem, quàm publicis vexanda clamoribus. Certam ille mavult ab Eccleſiæ Principibus exſpectare medicinam, quàm dubiam & periculoſam à privata cenſura. Et ſanè quidquid à Romanis Pontificibus, & ab Epiſcopis, atque Conciliis in diſciplina corrigitur, atque interdicitur, quamvìs multa ſe antiquitate, & populorum uſu tueatur: turbas & ſeditiones movere non ſolet & nequit. Satis perſuaſum eſt Chriſtianæ plebi, nihil ab iis auferri, improbari, aut immutari, niſi quod à vera pietate abhorreat; faciléque auctoritati legitimæ ac venerandæ obedientes acquieſcunt. Non id æquè ſibi perſuadeat populus de privatorum cenſuris, & maximè tacentibus Paſtoribus, quorum ſilentium aut inertiam pro ſuffragio & conſenſu oves errantes interpretantur, vel quando agitur de non levibus ſuperſtitionum ſcintillis. Hinc aut nullus cenſuræ privatæ fructus, aut ſi quiſquam, is certè rarus, & periculoſus, & à Paſtoribus dormientibus interdum avertit animos gregis. Itaque prudentis eſt, Petri Succeſſores, & Eccleſiæ Antiſtites potiùs, quàm populum ipſum, ad horum emendationem concitare ſupplici voce, mitibúſque etiam querelis.

Sed pergunt altum ſtertere, aut connivere Epiſcopi. Nolo cauſam veritatis, & zelum domûs Dei, & errantium curam idcirco abjiciat Chriſtianus. Fas eſt ipſi publicis ſcriptis revelare cognita vulnera, fas eſt confodere pertinacem errorem. Ità tamen ſe gerat, ut eodem opere, atque inſtituto reverentiam ſuadeat atque confirmet erga ſupremos Eccleſiæ Magiſtratus. Abuſus, & ſcandala, & falſam pietatem, & populares errores, configat obelo; ſed ſimul Sacramenta, & germanum Religionis cultum, & ſolidam pietatem, & ſanas ſententias, & unitatem fidei maximè commendet. De virginitatis laudibus agens, conjugio ſuam non detrahat laudem: quod ſatis non caviſſe S. Hieronymum olim ſuſpicati ſunt quidam. Si divinæ gratiæ vim & neceſſitatem tuetur, arbitrii libertas in ejus ſcriptis æquè commendetur. Et viciſſim arbitrii virtus, atque libertas tantopere non extollatur, ut deprimatur dignitas & neceſſitas gratiæ. Dum verò corruptos vel ipſorum Præſulum mores, nullo tamen apertè deſignato, carpit, tantum abſit, ut aut contemptum Romanæ Sedis, & Epiſcoporum,

& Religioſorum Ordinum inducere poſſit ac velit, aut aliqua ex parte juvet ambitioſam & impiam reformationem, quam jactitant noſtri temporis Novatores. ut ipſorum Epiſcoporum, & præcipuè Maximorum Pontificum decretis atque Conciliis utatur ad hæc omnia confutanda atque proſcribenda, paritérque prodat, quantum in hujuſmodi emendatione excellerint Hæretici recentiores. Quænam enim emergere vitia, abuſus, & ſuperſtitionum deliria penè jam poſſunt, quæ Patres, Epiſcopi, & Romani præſertim, ſuis aut ſcriptis aut Synodis anteà non ejurârint, monuerintque eſſe fugienda? Prætereà prudenti viro nuſquam certè nimia opinionum laxitas probatur, ſed ne nimia quidem auſteritas. Quanquam ſi in alterutram partem peccandum ſit, ſeveritate malit, ne jam pronæ hominum naturæ ad ſeſe emancipandam in vitia ipſe calcaria addat exuberanti indulgentiâ. Non minus ergo anxiè cogitat, quantum ſcriptis atque oratione ſuâ prodeſſe Eccleſiæ & populo poſſit, quàm cautè circumſpicit, ne qua ex parte noceat. Atque hujuſmodi ratione veritatis jura intrepidus exercet, ſimúlque numeros omnes implet judicioſæ ſagacitatis, atque prudentiæ. Pertinet & ad iſtam virtutem inſpicere, liceátne, an non, aut ſaltem num expediat, an non, in Moralis Theologiæ Libris tot luxuriæ ſecreta prodere, quæ Sacerdotes quidem Confeſſionibus excipiendis deſtinatos ad bonum erudire, ſed ſimul etiam multos eorum criminum anteà ignaros inſtruere, ne dicam juvare, poſſunt ad malum. Quam quæſtionem nos in medio relinquimus, & ſolùm innuere neceſſarium putavimus.

CAPUT V.

Quando, & quibus de cauſis, damnare & configere Libros, Paſtoribus Eccleſiæ liceat, aut ſit opus. Et hìc à Cenſoribus Eccleſiaſticis in juſtitiam peccari poteſt, in caritatem, & in prudentiam. Qui abuſus & exceſſus in ſalutari iſta auctoritate exercenda fugiendi ſint.

POſtquam vidimus, in annuntianda veritate, erroribúſque, & vitiis palam corripiendis, convenire debere atque conjungi tres virtutes, juſtitiam nempe, caritatem, atque

atque prudentiam: ſtatim apparebit, quo jure, & quando, Eccleſiæ Paſtores damnare poſſint ac debeant Libros vel olim editos, vel quotidie erumpentes in lucem. Exploratum eſt, nihil magìs futurum eſſe cordi paſcentibus gregem Chriſti, quàm removere & avertere ab ovili ſuo quæcumque venena, quoſcumque lupos. Quî ergo ferant, perniciofos Libros paſſim graſſari, & ſuo gregi impunè nocere? Pernicioſi autem miniméque ferendi ſunt ii omnes Libri, in quibus aut corrumpitur doctrina veræ Religionis, aut juſtitia deſideratur, aut caritas, aut prudentia. Scilicet illic aut falſa pro veris produntur, aut vera pro falſis: quo læditur Religio atque Juſtitia. Aut maledicentia veritatis cauſæ ſeſe immiſcet: quo caritas vulneratur. Aut majora Eccleſiæ, ſive Reipublicæ incommoda, quàm commoda, afferuntur: quod prudentiæ adverſatur. In his autem omnibus locum habere debet Eccleſiaſticorum Judicum, & Apoſtolicæ præſertim Sedis, atque Conciliorum auctoritas, ut quantum fieri poteſt eorum curâ, nihil officiatur neque veritati, neque privatis officiis, neque publicæ tranquillitati. Non quòd veritatem prodi ægrè ferant, ſed quòd ferre non debeant, illam cum aliena injuria ſinè neceſſitate prodi, ejúſque prædicationem inopportunè imprudentérq; peractam in publicam perniciem verti; hujuſmodi enim benefacta æquiùs appellanda ſunt malefacta. Audiendi porrò non ſunt Hæretici, qui Eccleſiaſticis Paſtoribus iraſcuntur, & malè quotidie dicunt, propter uſum iſtiuſmodi juris. Parum ſanè æqui, dum Eccleſiæ ac Deo negant, quod ipſi in ſuis urbibus propter temporaria commoda faciendum putant, nullum videlicet ferentes Librum, quo Regum jura lædantur, & publicæ leges improbentur, & publica tranquillitas aliqua ex parte in diſcrimen adducatur. Quis verò Anglos exempli causâ commendet, quod Spinoſæ Libros ità hodie manibus omnium permittant, ut vel ipſa fæx infima plebis ſceleribus ſuis ibi quærat præſidium; cùm certè ne unum quidem publicè tolerare ſoleant Librum, à quo Regni, ſive Reipublicæ ſuæ jus & concordia convellatur?

Reſtaret, ut exemplis rem confirmarem, excurrerémque per aliquot Libros, à Catholicis & probis etiam viris conſcriptos, ſed à Romanis, aliiſve legitimis Magiſtratibus confixos, quò palam fieret, unum ex tribus iis defectibus juſtiſſimam damnationi cauſam præbuiſſe. Verùm & otio meo, & alienâ patientiâ facilè abuterer in re nimirum, quam nemo non poſſit ingenio ſuo experiri, certámque

ſæpiſſimè animadvertere in tanta exemplorum copia. Juvat potius orationem convertere ad aliud argumentum minus fortaſſe exploratum, hoc eſt, ad leges ac limites, quibus Eccleſia, & Romana Sedes, & recta in primis ratio, circumſtrictam vult auctoritatem ipſam Eccleſiaſticorum Cenſorum. Nemo quippe ignorat, quanta, & quàm juſta facultas ſit ſacris judicibus in Libris malis interdicendis, atque configendis; aſt interdum ignorari à nonnullis, quàm cautè ac moderatè hujuſmodi facultate utendum ſit. Ut igitur huic quoque parti faciam ſatis, animadverto, eos, qui cenſoris munus obire velint, non ſecùs ac ipſos Scriptores, triplici de cauſa muneri ſuo deeſſe poſſe. Ipſis quippe æquè, atque Librorum auctoribus, neceſſariò circumſpiciendæ ſunt tres illæ virtutes, juſtitia videlicet, caritas, atque prudentia.

Nam quod eſt ad juſtitiam, quis dubitare poteſt, quin & ipſi Cenſores de fidei dogmatis agentes, ab illa diſcedere quandoq; poſſint, cùm homines ſint, erroribúſq; reliquorum more obnoxii? Benè de omnibus ſentire volo. Imò ſuſpicari neſcio, quemquam tam perditè ſui oblitum, ut vera & recta tanquam falſa ac prava damnare, ſciens & prudens ſuſtineat. Verùm numquid non poteſt permultis aliis modis juſtitiæ valedici? Hominem, ut ità dicam, nolentem & inſcium perverſi affectus ad injuſta rapiunt. Sed quod hìc omnium maximè in tranſverſum agere judices poſſit, ignorantia eſt, quo morbo ſe laborare plerique non ſentiunt, iique minus interdum ſentiunt, quorum nomini ſplendidos titulos fortuna aut virtus addidêre, quique erecti populos ſibi venerabundos ab alto deſpiciunt. Videant igitur ipſi, quantopere ſibi curandum ſit, ne immeritò aliorum ſcripta feriant, eorúmq; auctores indebitâ ignominiâ onerent, fruſtra indignante juſtitiâ, fruſtra conquerente veritate. Nam quamvis ſententiæ ſuæ rationem vulgò reddere non debeant, ſupremo certè omnium Judici reddituri ſunt, eidémq; pœnas daturi, ſi quando culpâ ſuâ defecerint in infligendis nimiâ facilitate ejuſmodi pœnis atq; cenſuris. Proinde niſi prius liquido conſtet, opiniones quaſdam à Catholicæ fidei veritatíſq; norma reverà diſcedere, háſque eaſdem opiniones in Libris dubio procul contineri, non eſt præcipitanda ſententia atrox in eoſdem Libros atque Scriptores. Regnet pro ſuo libito quibuſdam in Scholis veriſimilis opinio aliqua; non intercedo. Sed liceat aliis aliter ſentire, quando Catholicæ Eccleſiæ doctrina jam rata atque ſtabilita aditum ampliùs opinandi inde nondum

ſuſtu-

ſuſtulerit. Etenim dogmata Catholicorum, non è privatis
Scholis, ſed è publicis Conciliorum & Patrum aliiſque il-
uſtribus Traditionis monumentis petenda ſunt. Liceat &
quibuſdam judicibus peregrinos eſſe in aliquibus ſcien-
iis, atque ſententiis. Non id ipſis probro vertimus, dum
le hiſce ignotis ſcientiis, miniméque exploratis ſententiis
udicium ſibi non arrogent, earúmque patronos damnare
nolint, niſi prius perſpectam habeant illorum cauſam atq;
ationes. Quid quæſo iniquius, quàm damnare, quæ non
ntelligas, aut neſcias? Et animo antè aliquid ſtatuere
lamnandum, quàm tibi liqueat, an falſum ſit, atque perni-
ioſum? Tacere non poſſum, quod egregiè in hanc rem ha-
bet Alphonſus de Caſtro Lib I. contra Hæreſes Cap. 7. *Sunt*,
it, *qui ſic afficiuntur aliquorum hominum Scripturis, ut ſi fortè
uempiam viderint, qui vel digito tranſverſo ab eorum ſententia
iſcedat, hæreſim ſtatim inclament.* Et poſt pauca: *Quare fa-
eor, me non poſſe cohibere iracundiam, quoties video aliquos ità
ddictos hominum aliquorum ſcriptis, ut impium autument, ſi vel
n modica re quis ab ejus ſententia diſcedat. Volunt enim homi-
um ſcripta, velut divorum oracula, recipi, illúmque honorem illis
xhiberi, qui ſolis ſacris Literis debetur. Non enim juravimus in
erba hominum, ſed in verba Dei.* Reliqua viri doctiſſimi
erba æquiſſimè expoſtulantis legere juvabit, cui Ocha-
nus, Joannes Major, Canus, Bannes, & alii, ſuffragium ad-
lunt.

Neque minora exigit à nobis caritas, quàm juſtitia. Re-
num caritatis Chriſtianorum Religio eſſe deberet. Nihil
obis enixiùs cùm divinus Præceptor, tum ejus Apoſtoli,
tque Apoſtolorum ſucceſſores commendavêre. Nihil ma-
is diſtinguere deberet Eccleſiaſticos Judices à ſæculi Ma-
iſtratibus. Quænam ergo iis accedere exiſtimatio poteſt,
ui vel nullam, vel tenuiſſimam caritatis ſpeciem exhibent
n Auctoribus Libríſque nonnullis proſcribendis? Sunt
ui, ut zelum præſeferant, ut docti & acuti videantur, in
mnibus Libris, quicumque offeruntur, errata inveniunt,
ve ut melius dicam, ſemper invenire volunt, & ſe inveniſ-
e ſibi continuò perſuadent. Aliis ſua auctoritas languere,
ihilque poſſe videtur, niſi quærant, quos damnent, niſi
abeant, in quos tetricum vultum atque ſupercilium cari-
atis loco exerceant. Sunt & qui certos, aut certæ alicujus
amiliæ auctores jam peroſi, tum de ſe benemeritam vo-
ant fortunam, cùm ſibi eorum Libros obtulit, certè, ſi fie-
i unquam poſſit, damnationem ampliùs non evitaturos.
Hinc in plano quærunt ſalebras, in ſcyrpo nodum. At ex-

traneos ſenſus Scriptorum verba obtorquentur, & eorum mens eluditur, ut criminationi tandem atque damnationi ſit aliquis locus. S. Eulogius Alexandrinus in Libro contra Severum & Timotheum, utì Photius eſt auctor, Cod. 225. *Conſtituit legem & canonem; ſcripta dijudicare non oportere ex parte, neque fragmenta quædam ſumendo ex his detorta, de Scriptoris mente judicium ferendum.* Verùm hæc nonnullis erat olim cantio exotica, qui nihil ſibi religioni ducebant, ex quibuſdam locis detruncatis, ex meris ſuſpicionibus anathema pronuntiare adversùs Auctores, eorúmque Libros; quando ex aliis locis arduum non eſſet cùm Libros, tum Auctores, ab ea vindicare ignominia. Quantò autem melius quæſo fuiſſet, hominéque Chriſtiano, & Judice Eccleſiaſtico dignius, majorem impendere curam in inquirendo, qui Auctores & Libri defendi excuſariq; poſſent, quàm qui damnari? Cùm vitium ſatis apertum ſe diſſimulari non patitur, & excuſationi locum aufert: intrepidè ſententia feratur, & inauditis quoque Auctoribus proſcribantur Libri. Reipublicæ debetur iſthæc medicina. Contrà verò in dubiis rebus, quibus honeſta interpretatio ſinè veritatis offenſione præſtari, quibus ſinè Reipublicæ incommodo ignoſci poteſt: Caritas amat lentos, benignos, indulgentéſque judices. Atque hinc Adriani Florentii, qui poſtea ad Pontificatum Maximum evectus fuit, multum olim comendata eſt invidenda facilitas atq; manſuetudo. Cùm Lovanienſis Academiæ Decanum ageret, omnia quorumvis Catholicorum dicta, quantùm per conſcientiam & Religionem liceret, benignâ interpretatione emollire, & in rectum ſenſum trahere ſolebat. Paria & alii facerent, ſi aureum & vulgatiſſimum illud Chriſtianæ caritatis præceptum identidem reſpicerent, hoc eſt: *Auctoris judicandi perſonam indue*re, *ejúſque rationes amantiſſimè animo tuo pingere debes, & in abſolvendo potiùs atque parcendo, quàm in damnando, ſiſtere cariorem tui miniſterii laudem.*

Tertia accedit prudentia, quàm neceſſaria, tam rara ac difficilis in agendo virtus. Illa utinam in Cenſoribus Eccleſiaſticis nunquam deſiderata fuiſſet. Expeditæ quidem ſunt cauſæ, cur Libros & Auctores damnare liceat, ſive neceſſe ſit; ſed non omnium deinde eſt, judicioſè ſtatuere qui locus, quod tempus, quæ materies damnationem poſcat. Nôrunt ad cenſorium munus aſciti, nihil Librorum ferendum eſſe, quod Religioni noceat; aut rectis moribus, aut alienæ famæ. Nonnullorum zelus ità efferveſcit, tantúmque illorum aciem acuit, ut aliquid ubique offendant, quod uni ex his tribus adverſetur. Horror

per

percelluntur, ſi quemquam videant, piè licèt ac moderatè, abuſus aliquot perſtringentem in Sacris, in Sacerdotibus, in cultu Dei atque Sanctorum, in Religioſorum hominum corruptis moribus, in nimia opinionum laxitate, ſive rigore. Undique timent exitium ſanctiſſimæ Religioni Catholicæ. Undique pavent, ne in caſtris Hæreticorum Auctor militet, néve iis nimiâ libertate, modicáve tutelâ adversùs nos arma miniſtret. Ipſa olim Orientalium Linguarum peritia magnum faceſſebat negotium eruditis, quaſi ad hæreſim accederet eruditionem hanc habere cum hæreticis communem. Aliquot in hoc genere non imitanda vidit ſæculum illud, quo peſtis Lutherana & Calviniana, tot populorum animos novitate ſuâ faſcinatos alliciens, maximè graſſabatur. Inter quæ non illud poſtremum, quod in ſuſpicionem nutantis fidei adducta ſunt ipſa purpurati Senatûs clariſſima lumina, Sadoletus, Moronus, Contarenus, & alii. Neque ſua Bellarmino poſtea defuêre incommoda.

Jam unà cum œſtro maleſano ejurandæ Catholicæ Religionis deferbuerunt ſuſpiciones illæ. Sed penitùs ſublatæ non ſunt, neq; omnes auferentur, dum parum prudentes erunt. Proptereà ſi & noſtris temporibus quiſquam Librorum auctor non probet Scriptores illos, qui poteſtati ſæculari, aut ſpiritali, pluſquam veritati faveant; ſi titulos quoſdam verus eruditus minimè toleret, effusâ nimis laude aut in ſanctum quempiam virum, aut in quaſdam inſtitutiones pias, aut in Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem maximum, ab aliis congeſtos; ſi quidquam in SS Patribus, aut in Baronio, & in Bellarmino, aliiſq; ejuſmodi Scriptoribus notet: ſi demum aliquid è tenebris antiquitatis depromat, quod hæretici olim procuderint, imò ſi quid ex hæreticorum ſcriptis palam adferat: de hujuſmodi homine ſiniſtrè interdum judicatur, illiúſque Libris lux aut omnino negatur, aut ſemel conceſſa aufertur. Mœrens hæc memoro, ſed tamen fidenter; quanquam enim imprudentibus, atq; indoctis me diſplicere poſſe intelligam, certè ſcio me prudentum aures minimè offenſurum. Nobis enim jam conſtat, neq; Pontificibus maximis, neq; ſupremis aliis Eccleſiæ Magiſtratibus iſthæc eſſe tribuenda. Non niſi ſanctiſſimè inſtituta ſunt Tribunalia, ad quæ deferantur pravi Libri, eorúmq; Auctores. Optimis item legibus armata fuêre; mentem quoq; optimam in Judicibus maximis ſemper credere par eſt. Verùm ne ibi quidem deeſſe poteſt infortunium illud, quod omnem poteſtatem ferè ſemper comitatur. Caput brachiis

Digitized by Google

indiget; laudanda verò capitis conſilia nonnunquam fruſtratur aut prodit brachiorum infirmitas. Ità & Reges, & Epiſcopi miniſtris indigent, atque iſtorum vitio aut ſocordiâ fieri poteſt, ut illi auctoritate ſuâ abutantur, & caſtiſſimis legibus deſint. Quid faciant Eccleſiaſtici Judices, cùm alienis oculis, alienâ fide, atque prudentiâ in tot rebus atque negotiis nequeant non uti?

Quæſitores hæreticæ pravitatis monet Roma, ut vigilent; neque ſinant per Carteſianæ aut Epicurææ Philoſophiæ novitatem quidquam ſpargi à Catholica Religione abſonum. Rectiſſimè id factum. Qui inter Quæſitores prudentiâ ſimul & eruditione excellunt, quid hìc fugiendum, quid permittendum ſit, non difficile noſcunt, prudenterq; obtemperant. Contrà quibus aut doctrinæ aut judicii inopia eſt aliqua, nihil non videtur in Philoſophicis abhorrere à fide, ſi vix tantillum à Peripatetica ſententia diſcedat. Atomorum & Corpuſculorum nomen neſcio quid hæreticum ſonat ipſorum auribus, quaſi & in Ariſtotelis ſcholâ ferri iſta non poſſint. Formam ſubſtantialem rerum de medio tollere, non Ariſtoteli tantùm, ſed Religioni etiam putant injurium. Si ex ovo quodammodo homines quoque naſci dicantur (quod experientia omnium oculis prodere videtur) inde conſequi ſtatim putatur, nihil hominem differre ab animantibus brutis. Id genus multa quotidie occurrunt. Facit ignorantia, ut à ſententiis probandis non ſecernantur improbandæ; facit deinde infelix prudentia, ut metu probandi malas, ne bonæ quidem literatis hominibus permittantur Hinc tam difficiles quidem ſe præbent in editione quorumcumq; Librorum concedenda: hinc tam faciles alii in editis Libris configendis. Eò etiam devenêre pauci quidam, ut votum ſuum Libris negarent, non alia de cauſa, quàm quod Græca ibi non intelligerent, imò in ipſa materia hoſpites planè forent. Quemdam quoque novimus ideo duntaxat vetantem Libros nonnullos vulgari, quòd illic tituli quidam, honoris politici cauſâ, ſed non ſibi ſatis probati, nonnullis perſonis non Eccleſiaſticis deferrentur: quæ certè cognitio pertinet ad Principum, non ad Paſtorum jura.

Quis autem non doleat fatum literatorum, ubi talia contingunt? Quis itidem non intelligat, quantùm hæc abſint à mente ac legibus Roman. Pontificum, atque Epiſcoporum quorumvis? Nihil iſti arctiùs commendant, quàm ut ne cuiquam injuria afferatur; atque ut caritati ac prudentiæ ubique ſit locus. Conveniunt in hanc rem S. Damaſi verba

in

in Ep.4. ad Epiſcopos Africanos c. 6. *Decet*, inquit ille, *Domini Sacerdotes fratrum cauſas piè tractare, & venerabiliter intendere, atq; eorum judicia ſuper ſacrificia ordinare, nec protervè, aut tyrannicâ dominatione (ut de quibuſdam refertur,) ſed caritativè pro Deo, & fraterno amore cuncta peragere: & quod ſibi quis fieri, ſecundùm Dominicam vocem, non vult, alii inferre non præſumat; & in qua menſura menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Quòd ſi de Libris & Auctoribus damnandis agitur, audiatur Zozimus in Ep.4. ad eoſdem Africanos ità ſcribens: *Doceat nos terrena moderatio; quæ ſæcularibus arbitriis & cauſis primùm de ipſis judicibus eligendis, repudiandiſque ſit. Et quanta cunctatio, quot interpoſitæ dilationes? quoties adhibita comperindinatio, etiā ſub ipſo fine certaminis ampliare judicia cum innocenti reo? &c. Hæc omnia mentior, niſi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta ſint. Tolerabilius eſt enim innocentem quemlibet tardius inveniri, quàm citò pro nocente damnare.* Quod præclariſſimi illi Pontifices monuêre, monent adhuc, & optant quotidie illorum ſucceſſores. Votum, inquam, eſt horum quoque, ut inferiores Judices, atque Miniſtri, antequam durius aliquid in Libros eorumve Auctores ſtatuant, iterùm iterúmque cogitent, an defendi, an ſuſtineri potiùs poſſint, quàm damnari. Caritatem, juſtitiam, & prudentiam omnibus & iſti commendant, ne legitimâ auctoritate quiſquam illegitimè, h.e. contra jus fáſque utatur. Si quis abutitur, non Romanæ quidem Sedis, non Epiſcoporum, non ſanctiſſimi inſtituti culpa eſt; ſed eorum, qui ſanctiſſimis legibus abutuntur in incommodum & calamitatem privatorum, ſeque damnant, dum alios injuſtè affligunt, atque condemnant.

Cæterùm non tam facilè hic à nonnullis peccaretur, ubi animum adverterent ad graviſſima & crebra mala, quæ conſequuntur immeritò interdicentem, ne Libri edantur, aut editos injuſtè vexantem. Primò, Auctorum fama & nomen ignominiâ non levi afficitur, perinde quaſi aut fidem prodiderint, aut caritatis & prudentiæ legibus renuntiârint, cùm tamen ſuo munere fuerint rectè perfuncti. Ingens deinde ipſis creatur doloris cauſa, conſpicientibus poſt tot labores intercidere fructus ingenii atque eruditionis ſuæ *Neque enim*, ut eſt apud Syneſium, *aliter ergà Libros ſuos quiſque afficitur, quàm parentes ergà liberos ſuos.* Tertiò, nemo non videt, quàm ſpecioſus enormi iſtâ moroſitate atq; ſeveritate declamandi locus offeratur hoſtibus Catholici hominis. Non eſt profectò committendum, ut fama obtineat, inter nos bonis ingeniis ac artibus crucem figi, nimióſque eruditioni compedes adhiberi. Cavendum præterea,

terea, ne propter quorundam abuſus malevoli anſam capiant vituperandæ poteſtatis tam legitimè ſanctéque conſtitutæ. Quartò, in ipſam Eccleſiam, imò in totum genus humanum recidit hujuſmodi injuria. Recidit demum in ipſam veritatem. Hinc enim eruditi à ſcribendis Libris, ab explicanda ac proferenda veritate, atque ab erroribus ſtylo ſuo inſectandis abſterrentur. *Fruſtra quippe,* ut ait quidam, *niti, neque aliud, fatigando, niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt.* Certè novimus, qui, ne ſibi confligendum foret cum indocili quorumdam Cenſorum inſcitia, atque impotentia, dimiſſis Theologicis ac Philoſophicis ſtudiis, ſe totos conjecerunt in eruditionem profanam, unde ſi non æqua laus, certè minus periculi, & plus quietis expectandum fuerat. Non ergo privatis tantùm ſtudiis officitur ab hiſce Cenſoribus, ſed publicæ etiam utilitati, & Eccleſiæ, quæ Scriptoribus Theologíſque indiget, non aſſentatoribus, dum ſcribunt, neque zelo immoderato ferventibus, dum judicant, ſed ſolidâ eruditione refertis, & omni ſuperſtitione & affectu vacuis.

CAPUT VI.

Prudentiæ conſilia ad Eccleſiaſticos Cenſores. A Novitate vocum & ſententiarum timendum; ſed non omnia nova, aut noviter dicta damnanda. Quam neceſſarium Superſtitionis faciem habere perſpectam, ejúſque exceſſus prodere. An laudandum votum ſanguinis profundendi po tuenda immaculata B. Virginis Conceptione. Scrupuli, cavillationes, & aſperitas à ſacris Cenſoribus abfutura. Bona procuranda, ſed ità ut mala graviora noninde fluant. Sanctorum Patrum Libri non mutilandi, cùm per typos evulgantur. Cavet hac de re accuſatio repulſa. Quî, & quando vitia Eccleſiaſticorum litteris conſignare deceat.

PArum tamen me profecturum ſperarem, ſi indicatis tantummodo vulneribus, non aliquid etiam de medicina diſſererem, ſique adminiculis quibuſdam non juvarem vacillantem nonnullorum prudentiam. Prima ergo eſto regula: *Cenſores Eccleſiaſtici ſibi metuere debent ab omni novitate ſententiarum, atque verborum, ſed ità tamen ut ne quidquid novum ſibi videtur, continuò tale judicent, aut quidquid novum re-*

verà

verà eſt damnandum quoque illico arbitrentur. Certè prudentibus Theologis ſuſpectæ ſemper futuræ ſunt profanæ vocum novitates, uti nos Apoſtolus monuit; eorum quippe eſt obſtare, quominus antiqua Traditio atque Doctrina ab ingeniis novaturientibus vel minimum vitietur, ſivè oblitteretur. Magnâ hîc idcircò circumſpectione eſt opus, neque prius nova in lucem prodire ſinenda ſunt, quàm deprehendantur cum vetuſtis dogmatibus conſentanea, aut ſaltem ab ipſis minimè diſſonantia. Sed animadvertendum, facile ignorantiam abuti poſſe hac lege. Indoctis nova omnium videntur, quæ illi anteà ignorârunt. Quid ſi velint hæc ideò repellere, aut erroris ſuſpicione onerare? Hercle id ridiculè fiat, & in juſtitiam peccetur. Quis moleſtè non ferat, eruditorum hominum ſtudia latere, & jacere debere, quod peregrinum ſapiant quorundam palato? Ad Cenſores potius ac Judices pertinet diligenter inveſtigare, an ea nova ſint, quàm ad eruditos ſilere. Prætereà erunt etiam quædam nova, ſed non continuò quoq; erunt culpanda. Noviter enim quædam, non nova dicuntur, & ſub vocibus novis antiqua dogmata ſæpè exhibentur. Exſibilati olim fuerunt Ariani, quòd celebrem vocem ὁμοȣσιο, ſivè *conſubſtantiale*, rejicerent, tanquam nuperum figmentum. Verùm præterquam quod ante Patres Nicænos in explicando Trinitatis divinæ arcano, eamdem Catholici quidam vocem uſurpârant, nihil per ipſam ſignificabatur, quod novum in Eccleſia Catholica foret. Idem dicendum de Tranſubſtantiatione, de Sacramentorum vi ex opere operato, aliiſque ejuſmodi vocabulis inter Catholicos non ſolùm receptis, ſed etiam ſacratis. Quapropter ſi res, quæ nominibus *Scientiæ mediæ*, aut *Phyſicæ Prædeterminationis* ſignificantur, cum veteri Traditione componi poſſunt, aut eidem nequaquam adverſantur: non video, quî ferri & ipſæ voces in Scholis non poſſint. Apoſtolus enim profanas vocum novitates configens, non ipſa nuda vocabula rejicit, ſed novam ſub ipſis concluſam doctrinam. Scite S. Hilarius Lib. 2. de Trin. *De intelligentia, Hæreſis non de Scriptura eſt; & ſenſus, non ſermo fit crimen.*

Altera erit regula. *Prudentis quidem eſt, Libros & Orationes non tolerare, è quibus ſcandala exoriri poſſint; ſed æquè prudentis eſt, ità ingeniis atque Scriptoribus non adimere poteſtatem inſectandi erroris atque ſuperſtitionis, ut hæc mala per Eccleſiam ſine obice fluere & bacchari exinde pergant.* Jam diximus, ferendos non eſſe, qui vera quidem vitia, ſeu certos abuſus in ſacris, atque in externa tum Religionis tum Eccleſiæ œconomia depre-

deprehenſos, ſuis arguunt diſputationibus, ſed ita ſe gerunt inconcinnè atque imprudenter, ut in Sacramenta ipſa, in Religionem ipſam, ſivè in ſacros Miniſtros, ſummáſque poteſtates excitent contemptum & odium plebis. At quando & modeſtia zelo conjuncta eſt, & prudentia temperat indignationem piam: quid hiſce quæſo Scriptoribus malè velimus, rem Eccleſiæ, publicúmque bonum gnaviter procurantibus? Equidem dicere non verebor, quod facere alios non pudet. Multis ſenſum horroris incutiunt ſolæ audaces atque impiæ ſententiæ. Superſtitioſa dogmata, & opera ſuperſtitionis ipſius, aut vix deformia ipſis videntur, aut certè non videntur igne ac ferro excidenda. Et ſanè pietatis ac religionis ſpeciem ſuperſtitio præferre ſemper ſolet; eſt enim plerumque harum virtutum exceſſus ex ignorantia progenitus. Illius autem fœditas vix apparet, ejúſque venena parum timentur. Quis autem non intelligat, æquè in Religionis perniciem conſpirare Hæreticorum impudentiam, & adulterinam ſuperſtitioſæ gentis pietatem? Et hinc itur in errorem, & hoſtibus cenſuræ materia miniſtratur. Quamobrem Eccleſiæ Dei cavendum eſt à ſuperſtitione, & perquam ſolicitè, cùm faciliùs nocere ſoleant ac poſſint occulti, quàm aperti hoſtes; & dulciùs bibantur errores, pietatis colorem præ ſe ferentes, quàm petulans, & aſpectu primo deformis, impiorum doctrina.

Itaq; non ſolùm conducit, ſed opus eſt habere Scriptores pios, atque Theologos exquiſitâ eruditione zelóque pari conſpicios, qui ſuperſtitioni identidem pullulanti, & contra Catholicorum Præſulum ſcita ac mentem regnanti, ſeſe impigrè objiciant, ſtylóque bellum inferant. Cùm id modeſtè prudentérque peragitur, quid invides Eccleſiæ neceſſariam utilémve medicinam? Cur tam facilè eorum ſcriptis lucem negas, aut eripis? Omnia fermè Sanctorum Patrum, & antiquorum volumina aliquas habent falſæ pietatis accuſationes. Immò acerrimæ apud illos leguntur orationes, quales ne imitari quidem prorſus nos vellemus, in corruptos Clericorum & Monachorum mores, in ſuperſtitioſas parúmque pias conſuetudines, in licentiam opinionum, & vitia Præſulum. Nulla inde tamen ſcandala conſecuta ſunt, & illis nemo ſuccenſet. Nos adeò delicati evaſimus, ut ne leves quidem puncturas ferre poſſimus, atque extrema inde ſemper mala timeamus. Erunt, ità me Deus amet, qui & hunc Librum cenſeant ad temeritatem accedere, quanquam tam levi brachio infelix iſta moroſi-

tas

tas perſtringatur. At aliter ſentient, quantùm quidem ſpero, doctiſſimi atque prudentiſſimi inter Catholicos. Quippe iſtis jamdudum exploratum eſt, nimis felicia fore, nimis progreſſura vitia, ſi ne unus quidem contra hiſcere auderet; & Eccleſiæ cauſam non minùs agi, cùm externum Hæreticæ Doctrinæ virus ab ipſa arcetur, quàm cùm interna ſuperſtitio inde perturbatur. Non intelligũt imperiti, quãtùm Eccleſiæ interſit, ſuperſtitionis vitium populo univerſo innoteſcere: Quod quia pleriſque de nomine quoque ignotum eſt, hinc fit, ut ſerò à multis mox geratur ſummis Pontificibus, Epiſcopis, atque Conciliis, ſuperſtitioſa ſæpè configentibus atque interdicentibus. Difficile enim dediſci ac abjici ſolet, quod pietatis perſonam refert, ſacrúmque jam diu & ſanctum videtur.

Proderit hîc unum producere exemplum ejuſmodi piæ, ut ità dicam, pervicaciæ. Satis quibuſdam non fuit, calamo & rationibus immaculatam Deiparæ Conceptionem tueri: quod procul dubio cum vera pietate conſonat. Neſcio quid etiam illuſtrius inveniſſe ſibi ſunt viſi, quo ſuum in Virginem teſtarentur obſequium. Sacramento videlicet ſeſe obſtrinxerunt, atque voverunt, ſe pro hujuſmodi opinione tuenda ſanguinem & vitam daturos, quoties occaſio poſceret. Novitium certè Martyrum genus, quod nuſquam Majores noſtri ſomniârunt, nunquam poſteri noſtri, ſi quidquam ſapiunt, probent. Neque Evangelium, neque ratio recta nos docent adeò levibus de cauſis animam prodigere. Non pro opionibus noſtris, ſed pro divinitùs revelatis, legibúſque ſanctiſſimis, profundendus eſt ſanguis. Hominum enim opiniones tam falſum quàm verum complecti poſſunt; & hominis parum prudentis eſt pro incerta opinione (quæ falſa eſſe poteſt, & certè neceſſario defendenda non eſt) ultrò jugulum offerre carnifici. At mihi certiſſima eſt hujuſmodi opinio, aliquis dicet. Cui? Homini nempe, creaturæ fallaciſſimæ. Num, rogo, certum eſt aliquid, quia id ſibi certum videtur? Revelavit Deus, quæ ſine erroris ſuſpicione credenda ſunt vera. Eccleſiam habemus fidiſſimam horum dogmatum teſtem; atque hæc nobis, dum vita ſuppetit, confeſſione & ſanguine ſunt aſſerenda, atque inde ſperandum eſt æternum in cœlis prœmium. Verum, quanquam ſummè pia ſit perſuaſio illa, quâ beatiſſimam Chriſti parentem ſine labe conceptam putas, nihil aliud tamen eſt, quàm opinio humana, errori obnoxia, dum Romana Sedes atque Eccleſia, ejuſmodi ſententiam antiquâ Traditione, & Revelatione divinâ ſufficienter

niti

Digitized by Google

niti non ſtatuant. Cur tu ſanguine, quem ſine legitima cauſa fundere nefas eſt, teſtari tanquam certiſſimam vis opinionem, quam Eccleſia ipſa tot licet piorum quorundam precibus fatigata certam decernere nondum ſuſtinuit, & propè eſt ut dicam, decerni non poſſe ſilentio ſuo quodammodo ſignificavit? Quis te certùm facit de cœleſti regno, ad mortem non ſine aliqua temeritate ruentem?

At enim, ſubjicis, quanquam ſubeſſe error huic opinioni, & falli intellectus poſſit, nunquam tamen hîc errare affectus dicetur. Incerta ſit, ut lubet, opinio; certus tamen eſt zelus, & huic cœlum impetrabit Virgo Sed, ô ſodes, meminiſſe debes, dari quoque zelum ſine ſcientia, zelum inconſultum, & prudentiæ monitis injurium. Recta quidem voluntas imprudens facinus excuſare poſſit, non autem inde ſperare præmium ac laudem. Ut ſit poſt filium ſuum ſupra cæteras creaturas laudanda Maria, non indiget ipſa dubiis laudibus, neque imprudenti ſacrificio Et tu contrà indiges vitâ tuâ, ut eam in fide tuenda, ac virtutibus exercendis juſtiùs impendas. Iraſceretur potiùs, ut arbitror, Chriſti Mater (ſi quis cadere in animam ſanctiſſimam & beatiſſimam poſſet iræ ſenſus) quòd humanas opiniones, licèt pias, pari confeſſione & ardore tueris, atque divinam revelationem. Si tibi Virginem devincere meliùs & prudentiùs cupis, illius quantùm potes imitare virtutes. Illi honorem, ſed prudenter, habe; honor enim Reginæ judicium diligit. Fac ut ſupremo illi Regi placeas, qui & Mariæ & noſter Deus eſt; & Mariæ placebis. Quomodo te Numini placiturum putas, illiúſque Martyrem te futurum ſperas, ſi ritè certus non es, te pro veritate mortem oppetere, idque tantâ contentione fuiſſe vis, quod aliter Deus voluiſſe poteſt, incertúmque adhuc eſt, an aliter eſſe voluerit? Cave, ne amorem ac reverentiam Virgini debitam eò uſque amplifices, ut ſuperſtitioſam efficias. Non unus autem ego in hoc voto profundendæ vitæ pro immaculata Conceptione Virginis ſuperſtitionem timeo. Timuit, & timet Apoſtolica Sedes, quæ quamvis eamdem opinionem maximè veriſimilem & piam ducat, nihilominus hujuſmodi votum in Theophilo Raynaudo olim non probavit, ipſúmque affirmantem pro ea cauſa pium eſſe mori, ſilere juſſit. Aliud enim eſt aliquid tanquam veriſimile, & aliquid tanquam certum affirmare. Sed fruſtrà fuit illud à Romano Pontifice antidotum. Noſtris quoque tempóribus tum in privatis colloquis, tum in publicis concionibus idem votum repe-

repetitur, eadem ſponſio auditur. Credi non poteſt à prudentia abhorrens, quod tanta pietatis lineamenta præfert. Et tamen ſi hoc ferendum eſt, non video quî in immenſum protendere non liceat novum hoc Martyrii genus. Nam & alii vitam vovebunt, atque exponent, quo exempli causâ Lauretanam ædem ſuſtineant Servatoris ortu illuſtratam reverà fuiſſe, & Franciſco Aſſiſſinati, atque Catharinæ Senenſi ſtigmata fuiſſe divinitùs impreſſa, & ab aliis Sanctis viris miracula quædam procul dubio fuiſſe patrata. Quod certè in Eccleſia Dei nunquam tolerandum, ne idem divinis atque humanis habeatur honor, neve temerè & pro mendacio interdum, projiciatur pretioſa hominum vita.

Regula tertia eſto: *Prudentis eſt, cautè omnia perpendere, ut quantùm poteſt, errorem, aut errorum, atque vitiorum cauſam in Libris damnet. Sed à prudentia diſcedit, qui tam cautè agere vult, ut in ſcrupulos poſtea, & cavillationes, & aſperitatem nimiam ſe proripi non animadvertat.* Scrupulos appello, ubíque Hæreſes ſuſpicari, ubíque metuêre, ne Religioni vulnera infligantur, ne in venerandos Majores, atque in ſacra, contemptus aut odium creetur, neve Lectoribus propinentur errores, eorúmve moribus officiatur. Cavillationes voco in deteriorem partem accipere ſemper velle, quæ ſanum facilè pariunt ſenſum, & ſivè ſententiæ, ſivè ſint voces, explicationem rectæ fidei ac honeſtati conſonam commodiſſimè admittunt. Aſperitatis nomine ſignificare animus eſt, tot obices interdum opponere editioni Librorum; aut quæ facilè emendari poſſunt, prorſus opprimere velle; aut Scriptores, Eccleſiæ Sanctæ ob ſinceritatem, quam profitentur, nimirum neceſſarios, rigidíſſimè ſemper excipere, eorum calamos deterrere, eorum labores ac famam levibus nonnunquam de cauſis divexare. Neque enim quæcumque fortia, acria, & magnâ cum libertate ſcribuntur, Eccleſiæ nocent, ſivè Lectoribus. Hujuſmodi quoque Libros conſcribi interdum atque evulgari, plurimum conducit perfecto populorum atque Eccleſiæ regimini. Neque aut prodis amorem Hæreſis, aut pravæ doctrinæ laudem ſonas, ſi eruditos quandoque appellas Proteſtantium quoſdam, eorúmque verba & inventa in tui commodum trahis. Hæreticum non eſt, quidquid Hæretici dicunt; cujuſcumque enim ore veritas proferatur, ſuam retinet pulchritudinem; & nemo neſcit, eruditionem optimam cum peſſima fide ſæpè conſiſtere poſſe.

Poſtre-

Poſtrema tandem regula ſtatuatur: *Prudentis eſt ità depellere, quæ nocere poſſunt, ut interim tamen remedium ipſum, majorem non adferat Eccleſiæ atque Reipublicæ perniciem, aut majorem non impediat utilitatem.* Certum eſt, Hæreticorum, impiorúmque Libros jure proſcribi, & è fidelium manibus tolli. Eâ ratione Catholicis hominibus cavetur à viro præſentiſſimo, cujus progreſſibus vim addere poſſet inſita humanis mentibus & cordibus corruptio. Attamen ſi quis Catholicum quemque, doctum licèt, piúmve virum, ab hujuſmodi Librorum lectione prohiberet, is in incommodum gravius Eccleſiam impelleret, læderétque prudentiæ leges apertas. Facere nequeunt edicta Præſulum, ut perverſi Libri ſtatim à confixione aboleantur. Non ſolùm inter hæreticarum regionum promœria liberè illi verſantur, ſed in Provincias quoque Orthodoxas, atque in ſinum ipſum rectæ Religionis, confidentiſſimè penetrant. Si doctis viris talia legendi facultas nequaquam daretur, eorúmque doctrinam exitialem refellere commodum minimè foret: quis non intelligat, quàm impunè vagari & debacchari poſſet inter Catholicos ipſos teterrima peſtis? Adverſariorum proinde rationes, ſophiſmata, ac artes noſcere, quibus Orthodoxa fides impetitur, non juvat tantùm, ſed neceſſe quoque eſt, ut noſtra deinde meliùs confirmemus, atque tueamur, & fratres ab errore avocemus, aut ſaltem ne de ſilentio ſibi victoriam Hæreticus canat.

Ad hæc ſunt Libri, quos aliqui errores inficiunt, aut obſcœni amores, venenúmque ſatyricum aliqua ex parte deturpant. Reliquam, videlicet potiorem, Librorum iſtorum partem commendant non paucæ virtutes, & ſuam ex ipſis utilitatem capere litteraria Reſpublica poteſt, ſive elegantiam ſtyli conſideres, ſivè eruditionem, ſive doctrinam. Jam conſtat, non eſſe ferenda hujuſmodi ſcripta. Sed quando extrahi inde nævi illi poſſunt, iiſque demptis reliquum Libri ſervare fas eſt, atque utile fuerit: utique prudentia poſcit, ut retinere Librum mutilatum, quàm integrum abjicere malimus. Quid eadem pœna tam bonum, quàm malum involvit? Si utilia & recta ſcribit Hæreticus doctiſſimorum hominum judicio, eáque ab aliis minimè ſanis opinionibus depurata habere potes: quid tibi religioni ducis ab ipſo accipere donum non inſidioſum, non nociturum? Quamobrem Expurgatorios Indices à Catholicis excogitatos nemo non laudet, ſi tamen eruditis æq; ac prudētibus Theologis eorum cura demandetur.

Pru-

Prudentibus,inquam,& nequaquam ſuperſtitioſis,ne cum lollio frumenta evellant, néve illinc etiam timeant, unde nihil timendum eſt. Magnum autem hîc illi auderent facinus,certè non imitandum, imò deplorandum, qui non recentiorum tantummodo Libros ſibi emaculandos ſuſciperent, ſed veterum quoque Patrum. Cenſores illos nimium profectò prudentia deficeret Nam ut conſulerent paucorum inter Catholicos infirmitati,quibus perſuaderi fortaſſe poſſint errores nonnulli, quia in Patrum Libris, & à Patribus diſſeminati; attamen iſta paucorum utilitas graviſſimo innumerorum incommodo,& ipſius Eccleſiæ Catholicæ (dum illorum operam per te ſpectemus) dedecore emeretur. Si Patrum ſcripta mutilantur, ſi illinc aufertur, quidquid noſtræ communionis hominibus nequaquam arridet, ſique illic tantùm permittitur, atque evulgatur, quod noſtris moribus atque ſententiis conſonat: quæ fides in poſterum erit ipſorum Patrum editionibus? Imò erunt ex ipſis Catholicis infirmis, qui ſuſpicentur, malam eſſe cauſam noſtram, quæ ſibi vel à Sanctis Patribus metuit, & arma inimicorum non repellit,ſed eludit; non frangit, ſed occultat. Prætereà quàm bellam declamandi adversùs Catholicos occaſionem Hæreticis non miniſtrarent hujuſmodi Cenſores? Videremur nempe malis artibus, & cuniculis,tueri cauſam veritatis.

Atque id nobis non ità pridem poſt alios multos inſultando objiciebat Guillelmus Cave in Prolegom. ad Hiſt. Litterariam Scriptorum Eccleſiaſticorum, quaſi Curatores Indicis Expurgatorii in Hiſpania manum intulerint ipſis Patrum ſcriptis. Cui tamen ità reſponſum velim: ſi ab Hiſpanis id reverà præſtitum fuit, Eccleſiam univerſam minimè ſuffragium addidiſſe Quæſitorum illorum confidentiæ nimiæ. Omnibus non imputandum paucorum facinus. Alias Catholicorum Provincias aliter in Expurgatoriis Indicibus efformandis ſeſe geſſiſſe; & prodire adhuc inter ipſos Catholicos integra Sanctorum Patrum opera, ne ullo quidem apice dempto,in Gallia potiſſimum; & curâ præcipuè doctiſſimorum Monachorum S. Benedicti è Congregatione Sancti Mauri. Prudentiam fortaſſe deſiderari in Indicis Hiſpanici curatoribus, ac certè ab iſtis malam fidem, & fraudes abeſſe, ne dicam timorem & conſcientiam deſperatæ cauſæ. Apertè enim, non clanculum, truncanda eſſe quædam Patrum loca edixerunt, idque ut puſillis proſpiceretur,quibus vel ipſa Cantica Canticorum olim negabantur, ne ex eorum lectione minùs honeſta de

S divi-

Digitized by Google

divinis rebus animo conciperent. Eadem Patrum loca in controverſiis & Scholis non diſſimulari à nobis; & palam oſtendi, nihil illa officere dogmatibus Eccleſiæ Catholicæ. Sanctorum verò Patrum ſub nomine non omnes venire veteres Eccleſiaſticæ doctrinæ tractatores; propteráque parem ſingulis antiquis deferendum honorem non eſſe. Poſtremò ne id quidem ab Hiſpanicis præſtitum fuiſſe contenderem. Aliud enim eſt, textum Sanctorum Patrum, aliud Indices in Opera Patrum concinnatos expurgare, aut Interpretationem iufidam ab Hæreticis obtruſam configere. In germanum textum nihil Hiſpani tentârunt. Tota eorum cura ſtetit in Indicibus atque Interpretationibus purgandis. Alicubi fortaſſe nimius in purgatione rigor adhibitus. At ſemper expuncta ſunt, quæ in Indice atque Interpretatione, non autem in textu Patrum, perverſam ingerunt aut ſapiunt doctrinam. Niſi aliò properandum eſſet, id exemplis prolatis confirmare facillimum foret. Quòd ſi Patrum opera mutilâſſent nonnulli ſuis in editionibus, illorum quidem rectam voluntatem meum non eſſet vituperare, ſed omnium ſanè eſſet eorum non imitari conſiliũ.

Reſtat igitur, ut excuſatione potiùs quàm laude excipiamus, ſi qui talia peregerunt in Sanctorum Patrum ſcriptis. In his procul dubio occurrunt aliqua interdum minùs commodè, minùs cautè, minúſque perſpicuè dicta, aut etiam ab Eccleſiæ totius mente, ac Traditione alienâ. Expungenda autem iſta non ſunt è publicis editionibus. Interpretationes potiùs apponendæ aut ſubjiciendæ. Scholiis ac notis edocendus eſt Lector ſanam doctrinam, aut confirmanda eſt rationibus melior ſententia. Ità infirmis cavetur, & eruditorum editionem curantium ſinceritas, ac optima fides, in tuto collocantur. Illud enim præ oculis perpetuò futurum eſt nobis: Catholicam Eccleſiam, quæ nihil ſibi à tot Hæreticorum arietibus pavet, longè minùs formidare ſibi debere à Sanctis Patribus, ſuis nempè Magiſtris, & veritatis teſtibus. Cæterùm ſæpè recentiorum temporum Novatores conqueſti ſunt, adulteratos fuiſſe à Catholicis, & à Monachis præſertim, MSS. Codices Patrum, ne quid ſententiis, quæ inter nos obtinent, quidquam illis adverſi appareret. Hinc in ipſos Monachos mille injuriarum plauſtra exonerata fuêre: ſed iniquè planè, & ingratiis. Undenam enim & ipſi Hæretici habent tot aut edita, aut calamo exarata Sanctorum Patrum ſcripta, niſi è Catholicis, præcipuéque Monachorum ſtudio? Propè eſt ut dicam: pleraque antiquitatis monumenta jam periiſſent,

ſent, niſi Monachos Græcos atque Latinos habuiſſemus, eorum cuſtodes, amanuenſes, Librarios. Aç proinde Monachis ferè ſolis debemus, quæcumque veterum Patrum ſcripta, integra, atque è tot mendis expurgata cunctis plaudentibus evulgantur in dies. Si quis inter illos (hoc autem nunc perpendere non vacat) adeò delicatus, imprudénsque fuit, ut Catholicæ Eccleſiæ opportunum duceret, aliquid ſine dolo malo immutare in Patrum Codicibus, ſivè quicquam illinc demere: cur omnibus Monachis vitio & crimini vertitur paucorum inconſulta temeritas? Per alios Codices à Catholicis, & iis plerumque Monachis deſcriptos, vitiati Codices adhuc emendantur. Gratiæ ergo potiùs habeantur Monachiſmo pro tot tantíſque diligentiſſimè ſervatis, quàm maledicta rependantur pro tam paucis, ſi quæ ſunt, dedita opera atque imprudenter corruptis. Nam & nos ad vituperandum parati ſumus, ſi qui fuerunt, quibus maleſanus zelus ſuaſerit inferendas eſſe violentas manus ſcriptis Patrum; cùm contrà æquè laudandos judicemus innumeros alios, qui ab hujuſmodi facinore abſtinuerunt, noverúntque, non ſolùm hiſce artibus non indigere Catholicam Religionem, ſed per illas etiam non parùm incommodi & dedecoris eidem afferri. Prudenti igitur perſpiciendum eſt ſemper, ne, dum unum curat vulnus, novum ipſe graviúſque inferat, aut ne majorem quampiam utilitatem perdat, dum minorem perſequitur. Hac de cauſa nunquam proſcripta, ſemper tolerata ſunt quædam Ethnicorum Scriptorum loca, putà Taciti, Suetonii, Plinii nepotis, Celſi, Luciani, quanquam Chriſtianis interdum injuria: talia enim mirum & ipſa in modum nunc inſerviunt ad confirmandam adverſus incredulos cùm doctrinam tum antiquitatem Chriſtianæ Religionis.

Sed age, quoniam de prudentiæ legibus nobis eſt ſermo, breviter inquiramus, ferendi ne ſint, an damnandi, qui Eccleſiaſticorum Præſulum, aliorúmque ſacrorum Miniſtrorum, atque Ordinum, vitia ſuis in Hiſtoriis deſcribunt, atque inſimulant. Primò animadvertere neceſſe eſt, num quæ probroſa de hujuſmodi hominibus referuntur, cum veritate pugnent, an habeant eamdem amicam. Quis dubitet, quin prorſus cohibendi ſint, ſivè damnandi Auctores, quibus religio non eſt falſa pro veris, incerta pro certis, evulgare in ſacrorum Antiſtitum, Sacerdotum, atque Monachorum contumeliam? Ipſum narrare dubia, ipſum rumores ſuſpicionéſque vulgi facilis, tanquam ora-

 cula,

cula, mandare litteris, legitimam ſæpè ac ſæpiès cauſam præbere poteſt, cur adeò temerariis narrationibus nulla adhibeatur fides, nigrúmque Theta ab Eccleſiaſticis Cenſoribus præfigatur. Non eſt profectò permittendum à publicis Eccleſiæ, ſeculive Magiſtratibus, ut vel uni homunculo ſcelera perverſique mores immerito ac palam tribuantur, nedum iis hominibus, quos ſupra vulgarem hominum ſortem evexit, fecitque venerabiles Eccleſia Chriſti, & pium aliquod inſtitutum vitæ. Quot autem de ipſis Romanis Pontificibus commenta nobis non dedit nonnullorum in eos odium, invidia, improbitas, ubi inter ipſos & alios quoſdam Epiſcopos aut Principes diſſidia interdum funeſtiſſima interceſſere? Non ulla magis bella occaſio, quâ Pontificibus Maximis teterrima quæque & nefanda pro inimicorum arbitrio adſcriberenter. Vel ſomniata eſt Papiſſa quædam Joanna, & fidem apud credulos non paucos fabella, quanquam malè conſuta, invenit. Certârunt Hæretici quoque, & reliqui Schiſmatici, ut eorumdem Pontificum famam denigragrent. Conclavium pariter confiсta ſecreta evulgari vidimus; & noſtris temporibus hiſce ludibriis quidam Italus Batavos oblectabat, ad quos ſeſe receperat, deſertâ Religione Catholicâ. Quo in ſtudio liberaliter quidem daturi ſumus, non ſemper calumniis actum fuiſſe, & vitiis minimè caruiſſe quoſdam ex iis Pontificibus. Sed qui res accuratiùs & ſine præjudiciis penſitant, in pleriſque ex iis accuſationibus veritatem deſiderari facilè intelligunt. Æquitas ergo, atque prudentia, hoc hominum Librorúmque genus proſcribendum jubent.

Quòd ſi crimina vera memoriæ produntur, neq; livor aut obtrectatio calamum Scriptoris abripiunt: interdum toleranda erit hujuſmodi libertas, & veritatis cura. Oportet enim, timorē quoq; famæ inſtare principibus in Eccleſia viris, & Eccleſiaſticis quibuſve, quo etiam freno coërceantur tū ab impotentia dominandi, tum à reliquis ſordidiſſimis ſecularium hominum vitiis. Atq; utinam non fuiſſent, neq; forent adhuc, Epiſcopi & Sacerdotes, quales Apoſtolus nollet. Utinam non vidiſſet, neque videret orbis Monaſticæ vitæ profeſſores, veſte tantùm & colore ſuis Inſtitutoribus ſimiles cætera diſſimiles. Si horum geſta litteris conſignanda ſunt, num alios homines deſcribere licet, quàm ipſi fuerunt? Num adulatione fama illorum palpanda? At iſta, inquies, diſſimulanda. Utique, ſi crimina privati hominis ſint; ſi nihil rei cum populo, & Religione habeant; ſi nihil utilitatis, eóque magìs ſi quidquam incommodi in

Rem-

commodi in Rempublicam fluere poteſt ex eorum revelatione; ſi denique è vivis nondum exceſsêre criminoſi. Nam & diſcordiarum rixarúmque cauſa omnis tollenda, & à ſcandalis, & ab una hominum inhoneſta curioſitate paſcenda, nobis eſt abſtinendum. Verùm cùm publica ſunt ſcelera, & cum Religionis atque Eccleſiæ negotio conjuncta ſunt, eorúmque Auctores, humanis rebus defuncti, iræ atque vindictæ locum ſuſtulere: videndum eſt, an non majorem Reſpublica utilitatem capiat, iiſdem proditis, quàm diſſimulatis hominum vitiis. Erunt vitia, donec homines; ſed ne vitia impunita debacchentur, arguenda ſunt atque improbanda palam, eorúmque horror incutiendus hominibus. E Majorum autem exemplis diſcunt ſucceſſores, quid ſibi agendum non ſit; diſcunt vereri famam, parcentem quandoque viventibus, in mortuos omnes æquam; agnoſcunt turpitudinem ſuam aliena ſub imagine expreſſam. Intereſt igitur Eccleſiæ atque Reipublicæ, iſta quoque interdum evulgari. Accedit ad hæc ſummè laudanda in Hiſtoricis virtus ſinceritatis, quam ab Eccleſiaſticis Scriptoribus abhorrere nemo ſanus dicat. Et certè magnus ipſe Annalium parens Baronius, quanquam ab Hæreticis inſimulatus, quaſi plus æquo faveat Romanis Pontificibus, ne iſtorum quidem facinora vituperanda, cùm fert occaſio, diſſimulat. Cæteri Epiſcopi, Presbyteri, & Monachi, quò quiſque longiùs è probitatis via deflexit, eò tetrioribus pinguntur coloribus in ejuſdem Baronii Annalibus. Atq; hunc ipſum ſervavêre morem alii inter Eccleſiaſticos celeberrimi Hiſtorici. Neque verò nos ignorare ſinit eadem Hiſtoria, ſanctos Patres humanis & ipſos interdum laboràſſe infirmitatibus; & ſiquidem ſiluiſſet Hiſtoria, ſatis nonnullorum Patrum ſcripta, jamdudum evulgata, loquuntur. Quod hîc tamen cavendum maximopere puto, prudens piúſque eruditionis Eccleſiaſticæ cultor ità narrabit aliorum probra, mores perverſos, artes pravas, ut quantùm fieri poteſt, neque modeſtia, neque pietas, neque caritas in ipſius narratione deſiderentur. Erudiet Lectores utili veritate; ſed ab ipſis ſimul etiam cautè depellet ſcintillas omnes odii, ſivè contemptus in Religionem, in ſacros Miniſtros, atq; in reliquos Monachos, eorúmve piiſſima & optima inſtituta. Atq; hæc ſatis ſint ad hujuſmodi quæſtionem. Nam unius prudentiæ eſt, dignoſcere in agendo, quæ referre, quæve præterire liceat atq; expediat. Interim tamẽ illa ſtet regula: *Non eſſe ità Scriptorib⁹ præcidendam libertatẽ ut ipſis nunquam fas ſit Majorũ vitia & crimina in mediũ proferre.*

CAPUT VII.

An ad religionem veram compellere quemquam ſummis Magiſtratibus liceat. Id Jus Eccleſiæ ac Regibus in Hæreticos. Phereponi hac de cauſa in S. Auguſtinum ira, ac injuſta cenſura. Manifeſta Religio aliqua evidenter credibilis danda eſt, atque hæc eſt Catholica. Donatiſtæ phreneticis comparati, neque injuria à S. Auguſtino. Plerique ex iis non ficto animo Catholicam communionem amplexi. Legum terror rationibus additus laude ac utilitate non caret. Exemplum Dei hanc in rem juſtè ab Auguſtino adhibitum.

INquirendum nunc reſtat, quodnam Jus humanis ingeniis, quodnam Eccleſiæ ſit in profeſſione Religionis; num videlicet futura ſit omnibus libertas illius Religionis profitendæ, quam ipſe putat optimam ac veram; an hujuſmodi libertati opponere ſe debeat certa veritas cuſtos Eccleſia, reluctantéſque ad meliorem fidem pertrahere atque compellere. In argumento ampliſſimo en quæ ſtatuenda videntur. Cùm Eccleſiæ ſubjecti non ſint Gentiles, Muhammedani, atque Judæi, nihil eadem juris in ipſos ſibi tribuit, niſi ſuadendi, atque hortandi, ut ſuis erroribus abdicatis cum Religione vera conſentiant. Jus eſt ipſi Eccleſiæ in ſolos Hæreticos, quos nempè à ſua ditione non ideò ſolutos credit, quòd ipſi ab ejus communione ſeſe exemerint; nam & in transfugis militibus regius character perdurat, & poſſeſſione ac jure ſervorum, atque filiorum, quòd à ſe fugerint, nequaquam ſpoliantur domini, atque parentes. Hæreticos ergo Eccleſia poteſt ſuis urgere armis, quo illos in ſuam caulam rurſus perducat: armis, inquam, ſpiritalibus, excommunicatione ac diris omnibus. Ad Reges autem, ſeculíque Principes ſpectat, ſalutaribus etiam pœnis ſolicitare devios, aut alienos à fide, ne in errore diutiùs perſtent, néve eidem immoriantur.

Porrò gravis hîc Novatorum noſtri temporis in S. Auguſtinum tumultus, atque acres querimoniæ in Catholicos, & in Chriſtianiſſimum præcipuè Galliarum Regem; qui quinque & viginti abhinc annis hiſce caſtigationibus eſt uſus, ut Calvini ſectatores ſibi ſubjectos in gremium Eccleſiæ Catholicæ impelleret. Pherepomus autem totus in iſtam quæſtionem invadit, & hîc effuſiùs quàm alibi iraſcitur

Digitized by Google

citur Auguſtino, quaſi Catholicis Imperatoribus primus auctor iſte fuerit, ut leges in Hæreticos promulgarent, & certè ſeveritatem in ipſos ſuaſerit, atque laudârit. Imò liberè fatetur Phereponus, ſe iſtâ potiſſimum de cauſa impulſum fuiſſe ad exercendam in alia quoque Auguſtini opera virgam cenſoriam, non enim homini parcendum, eo conſilio tam malè de mortalium genere, ac de ipſa Religione merito. Equidem nihil miror, tantam bilem in Pherreponi præcordiis exarſiſſe, Arminiarorum, ſivè Remonſtrantium quibuſcum Cenſor ille facit, præcipua ſententia eſt, nemini Religionis causâ moleſtiam eſſe inferendam. Atque ità ſentire, aliiſque ſuadere, commodum planè ipſis atque utiliſſimum, formidantibus nempè, ne rigidis Calvinianis, numero & auctoritate præſtantibus, clavúmque ipſius Reipublicæ tenentibus, aliquando placeat (quòd Synodi Dordracenæ temporibus tentatum quoq; fuit) minorem proſternere Remonſtrantium gregem, ſibi adhuc adverſantem. Verùm Auguſtini ſententia, quam Catholici ſemper amplexi ſunt tot rationibus nititur, atque confirmata eſt, ut noſtro clypeo ampliùs egere non videatur. Attamen argumenta & cenſuras Phereponi S. Auguſtino oppoſitas refutare, ſi non neceſſarium, ſaltem utile fuerit. Quod priuſquam præſtem, animadvertere neceſſe eſt, non Auguſtini tantùm ævo adverſus Hæreticos, & inimicos Chriſti ſuis legibus decertâſſe Imperatores; ſed ſtatim ac ad Chriſtianos tranſit Romanum Imperium Conſtantin. Magnus. Valentinianus ſenior, Gratianus, & Theodoſius Magnus, ut alios omittam, ante Auguſtinum, & Auguſtini conſiliis ac precibus minimè expectatis, Idolorum cultores & Hæreticos exagitârunt, compeſcuerunt, variis legibus, mulctis & pœnis. Id teſtantur Euſebius, Socrates, Sozomen. Theodoretus, Hieron. & alii. Imperatorum illorum Leges leguntur adhuc in codice Theodoſiano. Etiam tum Epiſcopi hiſce Auguſtorum edictis, eorúmque zelo, & piæ aſperitati laudes atque ſuffragium adjungebant, ut facilè conſtare poſſit, S. Auguſtinum neque primum auctorem, neq; primum laudatorem fuiſſe adhibitæ olim etiam à Regibus in Hæreticos Ethnicóſve ſubjectos ſeveritatis.

Primum Auguſtini argumentum, quod ſibi ſumit exſolvendum Phereponus, iſtis continetur verbis in Ep. XCIII. olim 48. Cap. I. *Si quiſquam inimicum ſuum periculoſis febribus phreneticum factum currere videret in præceps: nonne tunc potiùs malum pro malo redderet, ſi eum ſic currere permitteret, quàm ſi corripiendum ligandúmque curaret?* Comparationem hanc ex phrenetico deductâ eum in finem, ut oſtendatur licita perſecu-

ſecutio in eos, quos ad veritatis & germanæ Religionis profeſſionem adducere volumus, nullius eſſe ponderis Phereponus ait pag. 192. Animadv. *Phrenetici enim* (ità ille reponit) *ſine ullo dubio ſunt phrenetici, & ſocietatẽ civilem planè perturbant. Itaque leges civiles eos coerceri patiuntur & jubent. At in controverſiis de Religione, in quibus ſæpè videas contrarias partes virtutum Chriſtianarum æquè ſtudioſas, legibúſque civilibus pariter obſequentes, res non eſt neque adeò manifeſta, ut alteræ partes alterarum homines phreneticorum loco habere queant; nec in tantis affectibus, quanti hîc deprehenduntur, alii aliorum judices eſſe poſſunt.* Facilè evaneſcent iſtæ ac aliæ in hanc rem afferendæ poſteà, Cenſoris argutiæ, ſi unum principium ſtatuamus, quod qui ignorat, ſivè contemnit, neſcio quàm rectè inter Chriſtianos ſit adhuc recenſendus. Nempè: eſſe debere, & eſſe reipſa, Religionem aliquam inter homines à Deo conſtitutam, eámque non ſolùm veram, certam, ac divinam, ſed etiam evidenter credibilem, & à quocumque amplectendam, dum ejus rationes & dogmata audiantur, atque expendantur. Et quale quæſo Dei optimi ac ſapientiſſimi conſilium fuiſſet, mortalium genus edocere Religionem veram, niſi vera hæc ejus Religio inter reliquas falſas prodere ſe, & ſuam reverà præcellentiam manifeſtè ſemper aperire potuiſſet, ac poſſet? Quid hominibus profuiſſet, atque prodeſſet divinum beneficium, ſi nemini unquam contingeret ſine dubitatione perſpicere, atque cognoſcere quænam ſit unica illa cœleſtis Religio? Nonne apud Deum excuſare ſe meritò poſſet, quicumque erraret in Religionis delectu, quando abditum, obſcurum, & dubium ſemper foret, quæ una ſit amplectenda? Ergo fruſtrà Chriſtus nos docuiſſet. Ergo fruſtra Spiritus S. locutus fuiſſet per Prophetas, Apoſtolos, atque Evangeliſtas.

Ex hoc principio ſponte alia fluunt. Nam ſi recta ratio fateri nos cogit, veram aliquam Religionem, eámque evidenter credibilem, non debere dumtaxat eſſe inter homines, ſed eſſe reipſa; ſique, uti nos oſtendimus, & adhuc oſtendere poſſemus, ne ipſo quidem Pherepono, ut arbitror, diffitente, ſola Religio Chriſti eadem una eſt, cui evidentia conveniunt veritatis & divinitatis ſigna: ergo evidenter errabunt, quicumque à Chriſtiana Religione abſunt. Rurſus cùm Religio iſta in plures eáſq; diverſiſſimas ſocietates, invicem diſſidentes atq; contrarias, dividatur: neceſſe eſt, ut una tantùm inter ſocietates haſce veram & germanam Chriſti Religionem poſſideat; reliquæ falſitatẽ ac errorem ſectẽtur. Atqui nulla alia eſſe ſocietas iſta poteſt, quàm Catho-

Catholicorum, uti & nos ſuprà oſtendimus. Ergo Religio Catholicorum evidenter credibilis eſſe debet, atque adeò eſt, ſi rectè poſitum eſt primum illud principium, nempe neceſſariò futuram eſſe inter hominem Religionem aliquam, evidentia veritatis ac certitudinis ſigna præferentem. Quòd ſi Catholica Religio evidenter credibilis eſt, quid aliud conſequitur, niſi cæteras Chriſtianorum ſocietates errare, delirare, & quod eſt ad fidem, loco phreneticarum eſſe habendas? Denique ſi exceptis Catholicis cæteri homines in Religione delirant, ergo etiam in veritatem, & in Deum peccant; ergo ſalutarium vexationum ope illos revocare ab æternis pœnis, non niſi caritatis Chriſtianæ conſilium laudabile fuerit.

Conſiſtimus hìc, & petimus nunc à Pherepono, quî pronuntiârit, *non eſſe in controverſiis de Religione rem adeò manifeſtam, ut alteræ partes alterarum homines phreneticorum loco habere queant, tantoſque eſſe affectus, ut hic alii eſſe aliorum judices non poſſint.* Hæc, ut ſonant, Judæis etiam, & innumeris Gentilium, ac Muhammedanorum ſectis ſomnum in errore dulciſſimum conciliare valent. Nam quomodo illi excitentur, vincantur, & ad nos evocentur, ſi ipſorum judices eſſe non poſſumus, neque manifeſtum eſt, neque manifeſtum eſſe oſtendere valemus, eos in Religionis controverſiis delirare? Quis Chriſtianorum de ſua, aliorúmque Religione, hucuſque talia pronuntiare eſt auſus? Quòd ſi Phereponus de controverſiis inter varias tantummodo Chriſtianorum ſocietates ferventibus hæc habet: quò vergat ſua hæc ſententia, animadvertat. Si manifeſtum ſatìs, apertùmque non eſt, neque eſſe poteſt, quænam è tot Chriſtianorum ſocietatibus veram fidem atque doctrinam cœleſtem tueatur: ergo quælibet inter nos ſecta, quilibet Hæreticus, quanquam à Catholicorum, ipſorúmque Proteſtantium dogmatis remotiſſimus, excuſationem honeſtam prætendet, cur ejurare ſuas opiniones nolit. Ergo unuſquiſque, dum in Deum & Chriſtum credat, & à pravis operibus abſtineat in ſua Secta & Religione æternam ſalutem ſe poſſe adipiſci meritò arbitrabitur. Ergo ferenda erit omnium Hæreticorum colluvies; neque rationem Deus nos edocuerit diſcernendi mendacii & erroris à veritate; neque ullum in Eccleſia ſua Chriſtus controverſiarum judicem conſtituerit, quo tamen Judæorum Eccleſia non caruit. Ergo Apoſtolus ad Titum 3. fruſtra monuerit: *Hæreticum hominem poſt unam & alteram correptionem devitandum;* & fruſtra rationem adjecerit, *quia ſubverſus eſt, qui*

ejuſmodi eſt , *& delinquit*, *cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Fruſtra idem 2. ad Tim. 2. ſignificârit Hæreticorum ſermonem cancri ad inſtar ſerpere, eóſque à veritate excidiſſe, atque inter opera carnis enumeraverit Hæreſes; quæ qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Fruſtra Joannes in Ep. I. v. 2. hæc de Hæreticis dixerit: *Ex nobis exierunt*; *ſed non erant ex nobis.* Denique fruſtra Deus Eccleſiam unam, & concordem, & puram inſtituerit; & obtemperare nos juſſerit Præpoſitis noſtris; & Spiritum veritatis in eadem Eccleſia ad finem uſque ſæculorum manſurum pollicitus fuerit, & Eccleſiam ſuam nobis audiendam edixerit, ſi conſectaria quæque abſurdiſſima recenſere vellem, quæ ſecum trahit inconſulta Phereponi opinio.

Sed ego Hæretici hominis confeſſionem ultrò oblatam libenter accipio. Fatetur ille, non ſatis conſtare in controverſiis de religione, quibus partibus veritas adſit ac faveat. Eidem credimus; ſed hæc de Hæreticorum ſolis conventibus vera eſſe poſſunt, & Hæretico ulli ſentire aliter & pronuntiare non licet, dum ſeriò ſuæ Religionis dogmata ac methodum perpendat, & verum ſincerâ confeſſione prodere velit. Ex quo enim quis è Catholica Eccleſia exceſſit, eámque viſibilem, ſanctam, errare neſciam, & judicem controverſiarum negat: ille jam renuntiat principiis omnibus, quibus ſibi palam fieri poſſit, ubinam certò veritas fidei regnet. Nimirum lex omnis credendi, hiſce principiis abjectis, tum ſiſtitur aut in interno afflatu, aut in viribus rationis ſuæ. Unuſquiſque autem ſe hìc pollere ſatis putat, & nemini vult concedere, ſacras nempe Scripturas, prout ſibi convenientiùs videtur, explicans, & in ſuam ſententiam ubique trahens. Cùm ergo paria Hæretici omnes canant, & ſuum quiſque ſenſum producat: quis non videat, manifeſtum ſatìs inter illos eſſe non poſſe, quis in fidei controverſiis erret, quíſve attigerit veritatem. Quòd ſi manifeſtum id nequaquam eſt, ergo ſinè iniquitate una Hæreticorum ſocietas in alteram ſævire Religionis causâ non poterit; multóq; magis iniquè aget, ſi in Catholicos, quos non ſolùm momenta rationum, ſed antiquitas etiam, & Traditio tuetur. At Eccleſia Catholica divinis quibuſdam privilegiis munita, evidenter intelligit ac ſentit, à ſe veritatem, ab Hæreticis verò errorem ſtare. Ea quippe eſt, quam Deus locavit inter homines *columnam ac firmamentum veritatis*; quacum Chriſtus pollicitus eſt ſe æternùm fore; in qua poſuit viſibiles, & ritè electos Paſtores, atq; Doctores, quæ ab alia aliqua Eccleſia, ut Hæreticis omnibus accidit, divul-

diviſſa non eſt, quam audire, cui credere jubemur, nulli enim fallaciæ atque errori (quoties de dogmate, & de fidei controverſiis agitur) obnoxia eſt; imò judex controverſiarum omnium, in Religione occurrentium, à Deo conſtituta fuit.

Hæc autem omnia inviċtiſſimè confirmata reperias in Catholicorum ſcriptis. Confirmavimus & nos in hoc Libro. Ac proinde nullo negotio colligere jam poſſumus, quàm labili fundamento argumentum Phereponi, quàm ſtabili ſententiâ Catholicâ innitantur. Ubi enim Catholicis evidens ſit, ſe vera tradere & credere, conſequens etiam eſt, ut Hæretici contraria docentes, atque credentes, delirare quodammodo dicantur, & Orthodoxi iſtorum Judices meritò eſſe poſſint. Quòd ſi Hæretici errant atq; delirant, ergo phreneticorum ſimiles ſunt, proptereáq; coërcendi, & medicamentis etiam amaris ad ſanitatem revocandi. Similes, inquam, ſunt phreneticorum. Ut enim phrenetici, phantaſiâ ex morbo vitiatâ, in furias acti, non ſibi ſolùm, ſed rei etiam publicæ eſſe damno atq; incommodo poſſunt, ideòque cohibendi ſunt: ità etiam Hæretici, intellectu propter errorem corrupto, cùm ſibi, tum aliis nocere queunt, æternas in ſe pœnas derivando, & alios in eumdem errorem, eamdémq; damnationem trahendo. Denique ſi etiam daremus, nulli alii Sectæ Hæreticorum nomen phreneſeos convenire poſſe, at certè phreneticis accenſendi erant Donatiſtæ, qui eò uſque furebant, ut nedum in Epiſcopos Catholicos, ſed in ſe ipſos ſævirent, & ſe flammis ac morti ſponte darent. Igitur quis non videat Chriſtianæ caritatis munus fuiſſe, ità illud hominum genus ſalutaribus quibuſdam caſtigationibus veluti medicaminibus opportunè aggredi, ut oculos tandem aperire vellent ad veritatis lucem? Auguſtinus autem eo in loco adversùs ipſos Donatiſtas agit.

Quæ ſubinde Phereponus adfert, verba potiùs quàm argumenta ſunt. Inquit enim: *Multitudinem, aut potentiam, quæ ſibi jus judicandi vi adrogare ſolent, huc nihil facere, tùm veritatem penes pleroſque & potentiſſimos fore nuſquam promiſerit Deus.* At certè Deus promiſit veritatem apud Eccleſiam ſuâ fore. Catholici verò in ſola multitudine atq; potentia nunquam conſtituerunt veritatis fiduciam, ſed in rationibus, in ſcriptura ſacra, in Traditione, atq; in ipſis Chriſti apertiſſimis promiſſis, quæ nulla ſibi ſocietas, præter Catholicorũ vindicare poteſt. Inter Chriſtianos nota quoque Eccleſiæ veræ fuit ac erit amplitudo, atque univerſalitas, ut ità

dicam,

dicam, ipſius. Habemus enim firmiſſimos Propheticos ſermones, quibus iſta amplitudo promittitur germanæ Chriſti Eccleſiæ. Hujuſmodi notam invictiſſimæ aliæ veritatis notæ ità comitantur, ut cuicumque ſinè partium ſtudio agenti innoteſcere ſemper queat, nos legitimum eſſe Chriſti gregem: quod de ſe oſtendere nunquam continget Hæreticis. Subdit Phereponus: *Si ad ea uſque tempora, quibus Vandali Ariani in Africa longè potentiores fuerunt, vitam produxiſſet Auguſtinus, vidiſſetque ab iis malè haberi Catholicos Afros, quaſi impios ac phreneticos; facilè ſenſiſſet ſe periculosâ ratiocinatione eſſe uſum contra Donatiſtas, & denuò cœpiſſet defendere ſententiam, quam præ affectu retractârat.* Ut lubet, hariolatur hic Cenſor. At nos longè fidentiùs dicimus, Auguſtinum in Vandalica perſecutione poſitum, à ſententia, quam tuemur, non fuiſſe receſſurum. Neque enim facere Vandali poterant, ut minus quàm anteà Auguſtino manifeſta foret Catholicæ Religionis veritas, & Arianorum impietas. Ipſos potiùs, magìs quàm anteà, phreneticos fuiſſet arbitratus, quippe qui ad errorem adjunxiſſent etiam rabiem atque furorem. In hiſce autem anguſtiis patientiam parant, ac parare debent Catholici; parâſſet & Auguſtinus quod jam fecerant Majores noſtri ſub Imperatoribus Ethnicis, atque Tyrannis. Vandali verò objicientibus phreneſim & pertinaciam Auguſtino, habuiſſet iſte ſolidiſſimas rationes ipſis reponendas, quales nullus Hæreticus habere unquam contra Catholicos poteſt. Quamobrem cùm Auguſtinum tum deprehenſurum fuiſſe argumenti ſui vanitatem, Phereponus fruſtra ſomnians exclamet: *O infelicia argumenta, quæ paulò poſt mera ſophiſmata facta ſunt! O rationes imprudentes, ac fallaces, quæ errori æquè patrocinabantur, ac veritati!* patiatur ille, nos hoc unum dicere, neminem leviùs & confidentiùs ſibi triumphum canere potuiſſe, quàm nunc Phereponus faciat.

Pergit Cenſor, & Auguſtinum audire recuſat, affirmantem, è Circumcellionibus multos jam Catholicæ Eccleſiæ redditos, damnare ſuam priſtinam vitam. Non credit Phereponus, neque credendum putat, homines facinoroſos, qui rationes ſemper anteà ſpreverant, pœnis ſubitò adductos fuiſſe ad id profitendum, quod damnârant. Hoc ab ipſis factum arbitratur, ut potentioribus partibus ore gratificarentur; non enim verbis metu extortis habenda fides. Nimirum videtur hìc ignorare Phereponus rem ſibi notiſſimam, nempe quale hominum genus Circumcelliones

lionesfuerint. Cùm cæteris Donatiſtis errantes in fidei doctrina, rebelles Imperatoribus, in Catholicos mille modis, immo & interdum in ſe ipſos, morte ſibi conſcitâ, dementiſſimè ac furioſiſſimè ſæviebant. Quid facilius, quàm aliquando animadvertere manifeſtum ſcelus? Quid veriſimilius, quàm hoſce homines à Catholicis territos, atque edoctos, in ſeſe tandem fuiſſe reverſos, priorémque agnoviſſe inſaniam? Veráne an falſa quis in tormentis faſſus fuerit, tum dubitare poſſumus, cùm aliunde non conſtat, accuſatum effeciſſe, quæ ipſe faſſus eſt. Potuit tum vis adhibita extorquere confeſſionem falſam. Dubium itidem erit, an quis vi admotâ errorem ſuum, pravámque ſententiam reverà, utì fatetur, agnoverit, cùm dubitari poteſt, num illud ſit error, num prava ſententia. At, ipſo teſtante Pherepono, apertus erat error, manifeſtiſſima inſania Circumcellionum anteà furentium. Quis ergo, pleróſque ſaltem illorum jam pacatâ mente priſtinam vitam deteſtantes, ex animo tunc egiſſe non credat, & patentiſſimis deinde ceſſiſſe rationibus? Quis ideo magìs non credat, ſi recogitet, Catholicos in adhibendo rigore moderationem non fuiſſe oblitos? Sed Pherepoṅus nihil facilè credit, quod ſuæ Sectæ, ſuiſque anteceptis opinionibus noceat. Et jam nobis timendum eſt, ne ſtultos in poſterum vocet Judices Chriſtianos, qui fidem unquam habeant confeſſioni, ſive honeſtæ alicui promiſſioni reorum in tormentis factæ, & poſt ipſa tormenta confirmatæ; aut ne facinoroſi, qui diu rationibus reſtitêre, unquam ipſis cedant, quanquam pœnis meliora ſapere, & ad mentem redire coacti, & quanquam rationes ipſæ dilucidam veritatem atque juſtitiam omnibus notam contineant.

Haſce autem rationes Donatiſtis magnâ curâ fuiſſe explicatas, auctor eſt ipſemet Auguſtinus. Inquit enim: *Si terrerentur, & non docerentur, improba quaſi dominatio videretur. Rurſus ſi docerentur, & non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis obdurati, ad capeſſendam vitam ſalutis pigrius moverentur, &c.* Verùm iſta non ſufficiunt Pherepono. *Terror*, ſi ipſi credimus, *conjunctus doctrinæ eam vehementer ſuſpectam facit; quippe quam putant homines, niſi vi & auctoritate fulciretur, ſponte ſuâ collapſuram, nec terrore legum uti, niſi quia lumine veritatis ſibi hominum animos conciliare nequit.* Sed quinam ſint homines iſti, qui ità judicant, quæſo nobis edicat Pheręponus. Certè nonniſi homines facinoroſi, cœci, & pervicaces. Nam pii, rectè compoſiti, & dociles, ubi

ubi placidis animis doctrinam ipſam intimè excutiant, ſecùs judicabunt. At hac ipſa de cauſa facinoroſis, cœcis, ac pertinacibus adhibentur terrores, ut attentum & ipſi animum adferant ad doctrinam cœleſtem, atque ad veritatem, quæ ſibi offeruntur. Hoc autem hominum genus in errore & improbitate obfirmatum, malè forſitan ſemper, vel ſinè tormentis, de doctrina judicâſſent, quippe qui non viderent, neque ſentirent, illam lumine veritatis ſibi conciliantem animos. Terrorem ergo adhibere licet, ut ſe rectè edoceri patiantur; edocti verò agnoſcent, ſuſpectam minimè eſſe doctrinam, quæ in eum ſolum finem terrore utebatur, ut in ſuæ veritatis lucem oculi pervicacium intenderentur. Quapropter Ethnicis antiquis, & Turcis terrore ſolùm, non autem doctrinâ, (etſi doctrinâ, certè fallaci ac falsâ doctrinâ,) in ſuam ſententiam populos pertrahere conantibus, Phereponi verba objici potuiſſent; non autem Catholicis Et videat ipſe Phereponùs, quid ſceleſtis ac improbis hominibus reſponderet, ſi eâdem argumentatione uſi, juſtitiam cùm humanarum tum divinarum Legum ſuſpectam haberent, eò quòd terrore pœnarum armentur. Neque enim veritates Religionis minorem, quàm juſtitia Legum, in animos vim habere dicendæ ſunt, ſi attentè audiantur. Alioqui apud Deum & apud homines excuſandi forent, quicumque in Religione aliqua, licèt falſiſſima, conquieſcunt.

Adducit ſubinde Auguſtinus exemplum Dei O. M. qui nos certè amat, *& tamen nos non ſolùm docere ſuaviter, verùm etiam ſalubriter terrere non ceſſat.* Ad hæc Cenſor: *Quis homo audeat*, inquit, *ſibi jus in ejuſdem naturæ participes, idem ac Deus, adrogare, niſi qui ſe hominem eſſe ſit oblitus? Quis enim ignorat, aliud planè jus eſſe Creatoris in Creaturas, aliud Creaturarum in ſe invicem, aliámque Dei ac hominum affectionem?* En quibus captiunculis Lectorem ſuum Phereponus detineat. Nemo ſanus, multóque minus Catholici, tale jus in homines ſibi unquam adrogârunt, quale Deo competit, omnium Creatori, ac Domino vero, & animas in gehennam mittere valenti. Sed quidem putârunt, & adhuc meritò putant, legitimis Regibus atque Magiſtratibus jus eſſe animadvertendi in fontes, quamvis ejuſdem naturæ participes; & in officio continendi, & corrigendi, & terrendi homines, ne in errores ac vitia deflectant, ſive ut inde revocentur. Quod dum præſtant, non ſuo jure Magiſtratus & Reges faciunt, ſed jure, quod ipſis Deus contulit, poteſtate regnandi collatâ. Neque propterea, quòd omnis erro-

Digitized by Google

erroris & affectûs in judicando & caſtigando ſit expers Deus, Reges verò & Magiſtratus pravis affectibus erroribúſque ſint obnoxii, à judicando & caſtigando abſtinere iſti debent, dicendíve ſunt conſervos ſuos non amare. Nam & amant, cùm injuſtos ad meliorem frugem revocandos juſtis plectunt flagellis; & amare etiam poſſunt, dum juſtos, & minimè errantes, præ errore caſtigandos arbitrantur: à quo tamen errore abfuiſſe Catholicos in cauſa Donatiſtarum nos certò ſcimus. Quid ergo ad Auguſtini argumentum faciant Phereponi verba, quodcumque in latus vertantur, non video, niſi ut perſudeant, nullum homini jus in alterum eſſe debere, & legitimis Regibus atque Judicibus nefas eſſe uſum ſecuris & faſcium.

Hinc etiam reſponſio peti poteſt ad Phereponi iratas voces, minimè ferentis, ab Auguſtino è vocatione Sauli divinâ vi peractâ exemplum ſumi. Cùm enim illa prodigiosè peracta fuerit, indignatur Phereponus, cum cœleſtibus miraculis conferri vim à militibus lictoribúſve Magiſtratuum allatam, *& quia Deus miracula interdum adhibuit ad homines convincendos, hinc colligi ideo licitum eſſe vi uti.* Si Auguſtinus, inquit Cenſor, *ſimiles artes* (hoc eſt miracula) *adhibere potuiſſet ad convertendos Donatiſtas, nihil erat, cur eum hic confutaremus, & omnem pervicaciam facilè viciſſet.* Iracundiæ quæſo Phereponus parcat, ne illius oculis turbidus affectus aſpectum veritatis eripiat. Quandoquidem Auguſtino & Catholicis Regibus ſemper ad manum non ſunt miracula, num ideo illorum caritas ab honeſta ſeveritate, aliiſque artibus abſtinere debet, quæ vincere pervicaciam Hæreticorum poſſunt? Sed animadvertat Phereponus, aliud eſſe miracula, aliud vim adhibere, ut quis ab errore ad veritatis cognitionem traducatur. Quanquam magna virtus ſit miraculis, ne ipſa quidem tamen pervicaces facilè vincunt. Teſtis ea miraculorum copia, quam Chriſtus, Apoſtoli, Moyſes, atque Prophetæ fecerunt, perſiſtentibus tamen in incredulitate Ægyptiis, atque Judæis. Hæc quoque in irritum cadunt, niſi potentis ſuæ gratiæ vi ſuaviſſimâ Deus agat in renitentium corda. At præter miracula uſus eſt Deus vi externâ atque ſenſibili, ut Saulum de perſecutore Apoſtolum faceret. Dicimus ergo, Auguſtinum cum cœleſtibus miraculis non conferre, quod eſt ad virtutem convincendi homines, ſalutarem illum rigorem, quem Reges interdum adhibent ad ſanandos pervicaces Hæreticos. Neque affirmat, ſeveritatem

ritatem iſtam ſuapte naturâ aptam eſſe ad convincendos animos, & perſuadendum verum; cùm id proprium ſit rationum, atque argumentorum, ad quæ audienda reluctantes per rigorem trahuntur. Sed tantùm infert, & rectiſſimè infert, ideo licitum eſſe vi uti ad Hæreticos in meliorem ſententiã perducendos, quippe quòd & Deus ſalubri violentiâ in eumdem finem interdum ſit uſus. Poſuit nempe Deus Reges in terris vicarios ſuos, ut veram quoque protegerent Religionem, atque Eccleſiam, & veritati omnium præſtantiſſimæ ſubſidium afferrent. Cùm verò Catholici Principes certiſſimum habeant, & meritò habeant, à ſe Religionem veram ſtare: cur ad ipſam amplectendam urgere homines pertinaces ſibi ſubjectos, aut eoſdem in ipſa continere, licitum ſibi non putent, quando ipſemet Deus Saulum furentem ex equo dejiciens, & cœcitate percutiens, exemplo ſuo oſtendit, vim in hunc finem uſurpatam conſentire poſſe cum caritate, atque juſtitiâ? Non poterat Auguſtinus, non poterant Catholici Imperatores miraculorum vi pervicaciam atque inſaniam Donatiſtarum frangere. Fortaſſe ne ità quidem fregiſſent. Vim ergo aliquam ſalutarem, cujus exemplum Deus præmiſerat, ipſis adhibere fas fuit; ut attentiores exinde aures & animos gens illa haberet, ſi tamen vellet, ad vim rationum, & ad veritatem doctrinæ.

CAPUT VIII.

Et Hæretici Catholicam Eccleſiam perſequuntur. Auguſtinus & Africani Epiſcopi perperam inſimulati impotentiæ atque ambitionis in Donatiſtas. Eorum Chriſtiana Caritas, ut ſchiſmati finis fieret. Cur mortis Donatiſtæ quidam damnati. An, & quomodo piam Dei ſeveritatem cum Afrorum Epiſcoporum ſeveritate compoſuerit Auguſtinus. Non omnis perſecutio mala. Rectè id ab eodem Auguſtino demonſtratum variis Literarum ſacrarum documentis & exemplis.

PRobaturus Auguſtinus in eadem Epiſtola 93. poſſe dici, Eccleſiam Catholicam *perſecutionem ab impietate & ſuperbia Hæreticorum pati*, exemplum Apoſtoli adfert ſcribentis ad Gal. IV. 29. Iſaacum ab Iſmaële *perſecutionem* paſſum, etiamſi

etiamſi legamus ancillam potiùs & ejus filium Iſmaëlem, ab Iſaaci matre Sara paſſos graves moleſtias. Excandeſcit hîc Phereponus, & ait: *Verum quidem eſt, Hagaram malè habitam à Sara, ſed eo hic non reſpicit Paulus, verum ad Iſmaelis actionem cum Iſaaco protervius ludentis, quam vocat perſecutionem, quamque confert cum perſecutione, quam Chriſtiani patiebantur à Judæis; & quæ non erat ſita in eo, quod viderent Judæos ſuperbos eſſe ac pervicaces (quod nemo, niſi Pœnus Rhetor perſecutionem vocàrit) ſed in eo quod ab iis omni moleſtiarum & pœnarum genere afficerentur. Abſurdum eſt conferri haſce perſecutiones, quas tempore Pauli Chriſtiani ferebant, cum affectione animi Epiſcoporum, & cæterorum Clericorum Afrorum, qua ægrè patiebantur ſibi contradici à Donatiſtis.* Alia addit, hoc eſt, omnia turbat Phereponus, Auguſtino quod ſibi lubet affingens, ut in eum declamandi poſtea bellam occaſionem arripiat. In hæc autem modeſtiſſima verba denique deſinit; *Illudebat ſanè miſeris Hipponenſis Rhetor, quia ſentiebat, omnia impunè à ſe in illos potuiſſe dici.* Verùm S. Doctor nihil Apoſtolo affingit, ſed quidem Apoſtoli verba acutè perpendit; neque ait, ſitam fuiſſe in ſuperbia & pervicacia Judæorum perſecutionem, quam ab ipſis Judæis ſuſtinuêre Chriſtiani; neque cum iis perſecutionibus contulit moleſtias à Donatiſtis Catholicæ Eccleſiæ illatas. Hæc omnia è Phereponi cerebro nata ſunt, inſcio Auguſtino, & reluctantibus Auguſtini verbis. Sed quidem comparabat Sanctus Doctor Iſmaëlis actionem in Iſaacum, quam *Perſecutionem* Apoſtolus appellat, cum Donatiſtarum aliorúmque Hæreticorum ſuperbia, pervicaciâ, & impietate, quam *perſecutionem* quoque Auguſtinus vocat in Eccleſiam Catholicam. Sicuti enim *ille, qui erat ſecundùm carnem,* ab Apoſtolo dicitur perſecutus fuiſſe *eum, qui erat ſecundùm Spiritum,* non alia de cauſa, quàm quòd *luderet* cum Iſaaco (vocabulo *metzachek* utitur Scriptura ſacra) quia ludus ille, quanquam inſtitutus non eſſet ad afferendam gravem aut vitæ, aut animo, aut facultatibus Iſaaci perniciem atque dolorem, nihilominus aut ex ſuperbia, & protervia, & irriſione injurius erat dignitati Iſaaci, aut ipſum edocebat cultum Idolorum, aut ad hæreditatem eidem legitimo ſucceſſori eripiendam tendebat: ità & perſecutio appellari poteſt, quicquid Hæretici faciunt adversùs Eccleſiam Catholicam ex ſuperbia, ac impietate, etiamſi nullam vim atque moleſtiam inferant Catholicorum fortunis atque corporibus. Utrobique autem metaphoricè forſan adhibetur

perſecutionis nomen , ſed ut certè per illud ſignificetur verè aliquod malū alterius corpori, ſivè animo illatum,& quiſnam ignorat,quantùm Eccleſiæ Dei noceant Pſeudo-Apoſtoli, & Hæretici, *lupi* nempe *rapaces, non parcentes gregi*, uti eos Apoſtolus nominat Act. XX. 29. *loquentes perverſa,ut abducant diſcipulos poſt ſe?* Quis ignorat, injuſtitiam, & ſuperbiam, & impietatem Donatiſtarum, à quibus olim diſciſſa eſt unitas Eccleſiæ, & vinculum caritatis, & ipſamet Eccleſia infamata ; qui præter ſe ſolos , reliquam innumerorum Chriſtianorum Rempublicam è fide excidiſſe putabant , idque ex dubia unius , aut paucorum culpa ; qui Sacramentis vim non à Deo , ſed à Miniſtri qualitate ineſſe contendebant , & in Catholicos , atque in ſe ipſos crudelia patrabant ? Ab hujuſmodi hominum genere perſecutionem patiebatur,& adhuc patitur Eccleſia, graviorem interdum , quàm quas à Tyrannis eſt olim perpeſſa;in iis enim complurium animæ perduntur,in his ſola corpora perierunt.Atque hæc eſt eo in loco Auguſtini ſententia Proſtrant Libri.Attentè ac ſincerè conſideranti verba, nihil inde aliud eruitur.

Quid eſt ergo,quod tam impotenter in *Pœnum Rhetorem* Phereponus fertur ? Nonne in hominem hunc æquiùs ſua verba conveniunt ? *Sed illudit Phereponus miſeris Lectoribus ſuis,quia putat omnia impunè illis curſim legentibus à ſe propinari poſſe.* Verùm magìs etiam fiet palam , quantopere eum tranſverſum rapiat affectus , & malæ cauſæ tutela , dum carpit *affectionem animi Epiſcoporum , & cæterorum Clericorum Afrorum , qua ægrè patiebantur ſibi contradici à Donatiſtis.* Ad quæ è veſtigio addit : *Quis ferat eum* perſecutionem *dici pati,cui dolet, quod non dominetur aliis,æquè ac miſeros, qui facultatibus omnibus ſpoliantur , in exilium mittuntur, fuſtibus cæduntur, imò & occiduntur , nam hoc factum liquet ex Epiſtola C. in qua Auguſtinus intercedit ne fiat?* Hæc ille de Epiſcopis Afris, & Auguſtino potiſſimum , dicentibus , ſe perſecutionem à Donatiſtis pati. Nihil autem ego adferam de mulctis , exiliis , & pœnis , in Donatiſtas congeſtis ab Imperatoribus. Satis enim eſt monuiſſe, id hominum genus hæc omnia nimium commeruiſſe , cùm jam eorum Schiſma non Deo tantùm & Eccleſiæ adverſaretur , ſed humanas quoque Leges peſſumdaret. Quàm immaniter in Catholicos , eorúmque ſacra Templa , & vel in ipſos Epiſcopos cædibus etiam patratis graſſati fuerint , quàm pervicaciter Imperatoriis edictis , & omnibus pacis conſiliis reſtiterint, nemo ignorat, & ne ipſe quidem Phereponus

Digitized by Google

bonus. Sed qualiter affecti erga Donatiſtas fuerint Africæ Antiſtites Catholici, eorúmque Clerici, præterire non debeo. Cùm Auguſtinus pluribus in Libris; tum memorabile quoddam factum, nunquam interiturum, ſat prodit, à Catholicis non res aut Cathedras Donatiſtarum, ſed ipſos Donatiſtas fuiſſe quæſitos; eoſdémque in Africa Præſules Catholicos à libidine dominandi longiſſimè abfuiſſe. Antequam Carthaginenſis Collatio anno Ch. 411 haberetur, in qua de vera Eccleſia diſputatio ineunda, & de concilianda pace inter Catholicos atque Donatiſtas agendum erat, deliberatum in Catholicorum Concilio furrat, quibus conditionibus excipiendi eſſent Donatiſtæ poſt pugnam. In mentem aliquorum ſubiit offerre, ut vincentibus adverſariis Catholici omnes Epiſcopatus muneri renuntiarent, & univerſæ plebes Africæ Chriſtianæ accenſerentur Donatiſtarum Epiſcopis. Quod ſi vincerentur Donatiſtæ, nihil tamen deperderent, dum in communionem Catholicæ Eccleſiæ redirent. Singuli Epiſcopi Catholici non indignarentur in honore & munere ſocium & æqualem habere, ubicumque Epiſcopi duo Schiſmatis causâ conſtituti ante fuiſſent. Uno eorum defuncto, alter ſuperſtes integræ Eccleſiæ præeſſet. Minimè probatum ire haſce conditiones à reliquis Epiſcopis Catholicis Auguſtinus & alii nonnulli ſuſpicabantur, quibus amor pacis, & caritas talia ſuggeſſerat. Nam & id contra Canones erat, & nonnullis incommodo gravi eſſe poterat. Verùm ut ipſius Auguſtini verbis utar in Lib. de Geſt. cum Emer. n. 6. *Quando ventum eſt, ut hoc palam fieret, in Concilio univerſorum tam frequenti, penè trecentorum Epiſcoporum, ſic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unione deponere, & non perdere, ſed Deo tutius commendare.* Legatur Epiſtola ab eodem Concilio ad Marcellinum Tribunum hac de re conſcripta, ubi præ cæteris egregia illa verba tacenda non ſunt: *Epiſcopi propter Chriſtianos populos ordinamur. Quod ergo Chriſtianis populis ad Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus. Si ſervi utiles ſumus, cur Domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti magis depoſita collegerit, quàm retenta diſperſerit. Nam quâ fronte in futuro ſeculo promiſſum à Chriſto ſperabimus honorem, ſi Chriſtianam in hoc ſeculo noſter honor impedit unionem?* Neque tum ſolùm Donatiſtis hanc in Epiſcopatu ſocietatem Catholici obtulerant. Jam pridem id fecerant, uti ſignificat Optatus Milev. Lib. 1. Hiſt.

Ecce memorandum facinus Epiſcoporum Afrorum, quorum caritas erga Donatiſtas contumaciſſimos in aliis etiam iiſque plurimis occaſionibus effulſit, ut jam ſatis intelligamus, nonniſi ab animo æquitatis oblito aut furente præ odio, erumpere potuiſſe, quæ de illorum ambitione & dominandi cupidine nuper à Pherepono audivimus. Neque hîc detinebo Lectores, tot alia monimenta producendo, quibus conſtet, Catholicos Africæ Epiſcopos, & Auguſtinum in primis, id unum in votis habuiſſe, ut à ſtultitia, ſeu potiùs cæco furore Donatiſtas revocarent, ab extremis ſuppliciis immanium cædium reos vindicando, & eorum Clericis & Epiſcopis cum Eccleſia vera conciliatis priſtinos honores ac munera quæque ſervando. Quî componi iſta poſſunt cum iis, quæ infrà addit Phereponus? *Deus ex noſtra ſalute nihil lucrabatur. Sed Afri Epiſcopi, auctoritate, dignitate, atque opibus eò majores erant, quò greges eorum numeroſiores fiebant, quæ non ultima cauſa harum vexationum fuiſſe videtur.* Cur verò dicat Cenſor, Deum ex noſtra ſalute nihil lucrari, juvat explicare legentibus, quàm malè iſta huic ſedeant loco. Reſpondebat Auguſtinus Donatiſtis, Eccleſiæ Catholicæ crudelitatem objicientibus, ſeveritatem hujuſmodi non culpandam, ſed laudandam. Caritas enim cum iis vexationibus conjuncta erat; & caritatem non minùs miſericordia, quàm ſeveritas decet. Exempla inde multa congerebat, ut oſtenderet, non ideò quemquam accuſandum, quod alteri noceat, atque moleſtus ſit; ſed animum illius eſſe reſpiciendum, qui tum magis miſericors, & benevolus, aut ſaltem juſtus eſt, cùm magis interdum ſævit. Hanc in rem inter alia ſcribebat Auguſtinus, Deum proprio Filio ſuo non peperciſſe, ſed pro nobis omnibus tradidiſſe illum. At Phereponus: *Quid ſimile eſt actioni Dei patientis volentem filium ſuum occidi, in ſalutem humani generis, à ſceleratis hominibus, ac moliminibus Eccleſiaſticorum, qui concitabant Magiſtratus in miſeros Donatiſtas?* Tum petit Phereponus, an quiſquam inter Afros tam perfrictæ frontis fuerit, *ut auderet poſtulare ab infelicibus Donatiſtis, ut crederent Catholicos tam benè erga eos, quos vexabant, affectos, quàm erat Deus erga homines, cùm filium ſuum vexationibus traderet, ut genus humanum ſalvaret?* Ad hæc addit: quæ nuper memoravimus; & orationem tandem ità concludit: *At Rhetor noſter non tantùm veri, ſed ne veriſimilis quidem, ullam rationem habet. Nec opus erat cum hiſce argutiis minimè ceſſuros, mulctæ, carceres, exilia, mors manerent.*

Quàm

Quàm planè verum eſt litigare volentem, ration... tradum, nunquam convicia deficere poſſe! Sed dolendum ... incidere Lectores non ſatis cautos in id Auctorum genus, qui nihil penſi habent in publicum efferre, quicquid non veritas attentè perſpecta exercere, ſed ira præceps effutire jubet; quique ſibi prius, tum auditoribus ſuis, magnâ confidentiâ imponere non dubitant. Quis autem, ut Pherepono jam reſpondeamus, tam leviter Libros Auguſtini, atque Hiſtoriam Donatiſtarum percurrit, ut ſtatim non intelligat, quàm calumnioſè dicatur, nullam Auguſtino & Afris Epiſcopis curam fuiſſe veri, & ne veriſimilis quidem; imò ne hoc quidem ſibi neceſſarium illos putâſſe? Tot egregia volumina in Donatiſtas conſcripta, tot Collationes quæſitæ ac inſtitutæ, tot fortiſſimæ rationes à Catholicis adhibitæ, vel me tacente, produnt, an Auguſtino, ejúſque in Africa collegis, veri ac veriſimilis cura ſtudiúmq; fuerit, & an potiùs ſeveritatis quàm argumentorum vi emollire ac frangere ipſi optârint pertinaciam Donatiſtarum. Quod autem de morte Hæreticis eiſdem illata Phereponus interſerit, ludibrium pariter veritatis eſt Severas in ſe leges, ut ità dicam, ab Imperatoribus extorſerat immanis jam facta crudelitas Donatiſtarum. Ipſæ tamen leges ſeveriores neminem mortis damnabant, eò quòd Hæreticus quiſquam tantummodo foret. *Non ſupplicio capitali*, ſcribit Auguſtinus Epiſt. 50. nunc 185. Cap. 7. *Propter ſervandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis, & in Epiſcopos, vel miniſtros eorum exilio conſtituto.* Si quidam ex iis morte violentâ ſublati ſunt: pauci & graſſatores; & Circumcelliones multarum cædium rei fuerunt. Epiſcopi verò, & Auguſtinus in primis, interceſsêre ſemper, ne illò uſque deſcenderent juſtus alioqui rigor, & cohibendi nimii furoris neceſſitas. Imò ipſas lenire mulctas, & leges ipſas mitigare, quantum licuit, omnium cura fuit. Id conſtat ex variis Auguſtini Epiſtolis. Quod ſi plus quàm par erat, quiſquam militum Cæſareorum, ſivè Præfectorum, abuſus eſt auctoritate legum in perſonas facultatéſque Donatiſtarum, id in omnium æquiſſimarum legum conditionem referendum, quarum nulla hujuſmodi infortunio obnoxia non eſt. Id contra mentem ipſius Imperatoris factum, & præcipuè Epiſcoporum, omniúmque proborum. *Hæc omnia*, ajebat Auguſtinus, *diſplicent bonis, & ea prohibent, & cohibent, quantùm poſſunt: quantùm autem non poſſunt, ferunt, & ſicut dixi, pro pace laudabiliter tolerant, non ea laudabilia, ſed damnabilia judicantes.*

mparationem divini erga homines affe-
orum erga Donatiſtas, nemo certè Catho-
ſipuit, ut ſe cum Deo componeret. Sed nemo
us nunc eſſe deberet adeò ſui oblitus, ut pra-
ſcopis Afris animum fuiſſe contenderet, eo-
um ambitionem, tum avaritiam affirmaret cau-
ſa... iſſe invocandi in Donatiſtas legum ſubſidii. Qui Clericis & Epiſcopis Donatiſtis omnia ut prius intacta volebant, offerebántque vel Sedes proprias, ut eos Chriſto ac veræ Eccleſiæ lucrifacerent: quâ ratione cenſeri, quâ fronte dici poſſunt abominandis cupiditatibus ad vexandos Donatiſtas impulſi? Id multò minùs ſuſpicari nefas, ſi temporum illorum Hiſtoria ſincerè conſulatur, & quantopere publicam pacem Hæretici illi immanitate ſuâ turbarent, innotuerit, & quid eorum querelis atq; calumniis S. Auguſtinus reſponderit, præcipuè in memorata Epiſt. L. nunc 185. Cæterum petenti Pherepono, an quid ſimile reperiri poſſit inter actionem Dei tradentis filium ſuum pro ſalute hominum, & Catholicorum concitantium Magiſtratus in miſeros Donatiſtas, reſpondemus non exiguam ſimilitudinem intercedere, quantùm tamen patitur infinita operantium differentia, ut actiones aſſimilentur, Sicuti enim Deus, quo infinitæ ſuæ juſtitiæ fieret ſatis, & humanum deinde ſalvaretur genus, voluit non quidem ſcelus Judæorum, ſed tormenta & mortem Filii ſui; ità etiam Epiſcopi Afri, quo à pertinaci errore, & à certo gehennnæ periculo Donatiſtas deploratos averterent, caſtigationes in ipſos decerni voluerunt. Utrobique ſeveritas, ſed juſta ſeveritas conſpicitur; utrinque caritas effulget; utrinque per ſeveritatem magnum hominibus quæritur bonum, & proinde juſta, pia, ac laudabilis cùm Dei, tum Epiſcoporum actio eſt, niſi quod hominum opus, quanquam juſtum & pium: nulla ex parte æquare poteſt divini operis pretium, atq; ſucceſſum. Neq; porrò neceſſe eſt, ut in omnibus & minutiſſimè ſibi reſpondeant res comparatæ, dum in eo vigat ſimilitudo in quo res ipſæ aſſimilatæ fuerunt. Quæ cùm ità ſint, quis jam pudorem, ſive ut dicere jam licet, impudentiam Pherepon non miretur, dum hac de cauſa ait: *Pudet immorari confutandis ejuſmodi ratiocinationibus, quæ ne Logicæ quidem Tironibus hodie condonarentur?*

Multò magis mirabitur Lector hominis confidentiam, cùm intelliget, nunquam inſtitutam fuiſſe ab Auguſtino comparationem inter Deum ejúſque actionem, & affectum erga homines & Epiſcopos Afros, eorúmque actionem,

atque

:que affectum erga Donatiſtas. Ideò tantùm exemplo Dei
on parcentis Filio ſuo, ſed eum pro ſalute hominum tra-
entis, Auguſtinus utitur, ut generale illud effatum pro-
et: *Cùm boni & mali eadem faciunt, eadémque patiuntur, non fa-
is, & pœnis, ſed cauſis utique diſcernendi ſunt.* Et infrà: *Diſca-
us in ſimilitudine operum diſcernere animos operantium, nec
auſis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accuſemus.*
)pera ſimilia multis exemplis oſtendit Auguſtinus, & ta-
ıen quia diverſi ſunt operantium animi, diverſæ operan-
i cauſæ: hi pios & juſtos, illi impios & iniquos ſe produnt.
:ertum autem eſt, Deum non ſolùm paſſum fuiſſe, ut in-
ocens Filius ſuus à ſceleratis necaretur, ſed etiam voluiſſe
tque exegiſſe, ut tormentis ac morti offerretur ejuſdem
ilii vita. Et ipſe Filius, volens quidem & liber, ſed tamen
bediens Patri uſque ad mortem, & ejus æterno decreto,
c voluntati obſequens, traditus eſt Cruci pro nobis. Reus,
npius & damnandus nobis illicò videretur, qui tale ali-
uid vellet atque exigeret, niſi ejus animum atq; ità agendi
auſam diſcerneremus Cùm verò infinita juſtitia atque in-
nita Caritas Deum promoverint ad hujuſmodi actio-
em, propterea ſummè pia, juſta, & laudabilis fuiſſe cog-
oſcitur actio illa Dei, qui alioqui nihil non pium, non ju-
:um agere poteſt. En ergo quem in finem & quanto jure
ıentionem Dei tradentis filium ſuum fecerit Auguſtinus,
ıon comparans reverà cum Epiſcopis Afris Deum, neque
Moyſen, neque Græcos pro Paulo Apoſtolo cædentes Soſt-
ıemem Judæum, neque Paulum eumdem, neque Apoſto-
os, neque ipſum Chriſtum: quibus tamen omnibus exem-
)lis appoſitè probat, juſtum opus, & pium eſſe poſſe in ali-
juibus, quod injuſtum & deteſtandum poſteà deprehen-
latur in aliis. Pro ſua liberalitate Phereponus comparatio-
ıem iſtam aliò detorquet contra Auguſtini mentem, ne ſe
leclamaturum tam citò materia deficiat, quanquam inter
ſta, ut vidimus, intercedere ſimilitudo aliqua poſſit.

Sunt Auguſtini verba §. 8. in Epiſt. 93 olim 48. Cap. 2. *Si
ſemper eſſet laudabile perſecutionem pati, ſufficeret Domino dicere:
Beati, qui perſecutionem patiuntur, nec adderet, propter juſtitiam.*
Ad hæc ait Phereponus, Donatiſtas non ſolùm ſe prætu-
liſſe Catholicis, quòd perſecutionem paterentur, ſed quia,
ut quidem putabant, hoc fiebat juſtitiæ causâ, cùm nollent
id facere, quod ſibi illicitum eſſe, ac Deo diſplicere crede-
bant. Tum addit, hanc animi affectionem laudandam, eti-
am in errantibus; vituperandos contrà eſſe, qui ab invitis
extorquent, ut id faciant metu ſuppliciorum, quod illicitũ

 eſſe

ritatem iſtam ſuapte naturâ aptam eſſe ad convincendos animos, & perſuadendum verum; cùm id proprium ſit rationum, atque argumentorum, ad quæ audienda reluctantes per rigorem trahuntur. Sed tantùm infert, & rectiſſimè infert, ideo licitum eſſe vi uti ad Hæreticos in meliorem ſententiã perducendos, quippe quòd & Deus ſalubri violentiâ in eumdem finem interdum ſit uſus. Poſuit nempe Deus Reges in terris vicarios ſuos, ut veram quoque protegerent Religionem, atque Eccleſiam, & veritati omnium præſtantiſſimæ ſubſidium afferrent. Cùm verò Catholici Principes certiſſimum habeant, & meritò habeant, à ſe Religionem veram ſtare: cur ad ipſam amplectendam urgere homines pertinaces ſibi ſubjectos, aut eoſdem in ipſa continere, licitum ſibi non putent, quando ipſemet Deus Saulum furentem ex equo dejiciens, & cœcitate percutiens, exemplo ſuo oſtendit, vim in hunc finem uſurpatam conſentire poſſe cum caritate, atque juſtitiâ? Non poterat Auguſtinus, non poterant Catholici Imperatores miraculorum vi pervicaciam atque inſaniam Donatiſtarum frangere. Fortaſſe ne ità quidem fregiſſent. Vim ergo aliquam ſalutarem, cujus exemplum Deus præmiſerat, ipſis adhibere fas fuit; ut attentiores exinde aures & animos gens illa haberet, ſi tamen vellet, ad vim rationum, & ad veritatem doctrinæ.

CAPUT VIII.

Et Hæretici Catholicam Eccleſiam perſequuntur. Auguſtinus & Africani Epiſcopi perperam inſimulati impotentiæ atque ambitionis in Donatiſtas. Eorum Chriſtiana Caritas, ut ſchiſmati finis fieret. Cur mortis Donatiſtæ quidam damnati. An, & quomodo piam Dei ſeveritatem cum Afrorum Epiſcoporum ſeveritate compoſuerit Auguſtinus. Non omnis perſecutio mala. Rectè id ab eodem Auguſtino demonſtratum variis Literarum ſacrarum documentis & exemplis.

PRobaturus Auguſtinus in eadem Epiſtola 93. poſſe dici, Eccleſiam Catholicam *perſecutionem ab impietate & ſuperbia Hæreticorum pati*, exemplum Apoſtoli adfert ſcribentis ad Gal. IV. 29. Iſaacum ab Iſmaële *perſecutionem* paſſum, etiamſi

:tiamſi legamus ancillam potiùs & ejus filium Iſmaëlem, ıb Iſaaci matre Sara paſſos graves moleſtias. Excandeſcit ıîc Phereponus, & ait: *Verum quidem eſt, Hagaram malè ha-ıitam à Sara, ſed eo hic non reſpicit Paulus, verum ad Iſmaelis ıctionem cum Iſaaco protervius ludentis, quam vocat perſecu-ionem, quamque confert cum perſecutione, quam Chriſtiani ɔatiebantur à Judæis; & quæ non erat ſita in eo, quod vide-ent Judæos ſuperbos eſſe ac pervicaces (quod nemo, niſi Pœnus Rhetor perſecutionem vocârit) ſed in eo quod ab iis omni mole-ſiarum & pœnarum genere afficerentur. Abſurdum eſt conferri ıaſce perſecutiones, quas tempore Pauli Chriſtiani ferebant, cum ffectione animi Epiſcoporum, & cæterorum Clericorum Afro-um, qua ægrè patiebantur ſibi contradici à Donatiſtis.* Alia ad-lit, hoc eſt, omnia turbat Phereponus, Auguſtino quod ibi lubet affingens, ut in eum declamandi poſtea bel-ım occaſionem arripiat. In hæc autem modeſtiſſima verba enique deſinit; *Illudebat ſanè miſeris Hipponenſis Rhetor, quia entiebat, omnia impunè à ſe in illos potuiſſe dici.* Verùm S. Doctor nihil Apoſtolo affingit, ſed quidem Apoſtoli erba acutè perpendit; neque ait, ſitam fuiſſe in ſuperbia : pervicacia Judæorum perſecutionem, quam ab ipſis Ju-æis ſuſtinuêre Chriſtiani; neque cum iis perſecutionibus ontulit moleſtias à Donatiſtis Catholicæ Eccleſiæ illatas. Iæc omnia è Phereponi cerebro nata ſunt, inſcio Auguſti-o, & reluctantibus Auguſtini verbis. Sed quidem compa-ıbat Sanctus Doctor Iſmaëlis actionem in Iſaacum, uam *Perſecutionem* Apoſtolus appellat, cum Donati-arum aliorúmque Hæreticorum ſuperbia, pervicaciâ, : impietate, quam *perſecutionem* quoque Auguſtinus vo-ıt in Eccleſiam Catholicam. Sicuti enim *ille, qui erat ſe-ındùm carnem*, ab Apoſtolo dicitur perſecutus fuiſſe *eum, ui erat ſecundùm Spiritum*, non alia de caſua, quàm quòd *lderet* cum Iſaaco (vocabulo *metzachek* utitur Scriptura cra) quia ludus ille, quanquam inſtitutus non eſſet d afferendam gravem aut vitæ, aut animo, aut facul-tibus Iſaaci perniciem atque dolorem, nihilominus ıt ex ſuperbia, & protervia, & irriſione injurius e-ıt dignitati Iſaaci, aut ipſum edocebat cultum Idolo-ım, aut ad hæreditatem eidem legitimo ſucceſſori e-piendam tendebat: ità & perſecutio appellari poteſt, uicquid Hæretici faciunt adversùs Eccleſiam Catholi-ım ex ſuperbia, ac impietate, etiamſi nullam vim atque ıoleſtiam inferant Catholicorum fortunis atque corpo-bus. Utrobique autem metaphoricè forſan adhibetur

perſecutionis nomen, ſed ut certè per illud ſignificetur verè aliquod malũ alterius corpori, ſivè animo illatum, & quiſnam ignorat, quantùm Eccleſiæ Dei noceant Pſeudo-Apoſtoli, & Hæretici, *lupi* nempe *rapaces, non parcentes gregi*, uti eos Apoſtolus nominat Act. XX. 29. *loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe?* Quis ignorat, injuſtitiam, & ſuperbiam, & impietatem Donatiſtarum, à quibus olim diſciſſa eſt unitas Eccleſiæ, & vinculum caritatis, & ipſamet Eccleſia infamata; qui præter ſe ſolos, reliquam innumerorum Chriſtianorum Rempublicam è fide excidiſſe putabant, idque ex dubia unius, aut paucorum culpa; qui Sacramentis vim non à Deo, ſed à Miniſtri qualitate ineſſe contendebant, & in Catholicos, atque in ſe ipſos crudelia patrabant? Ab hujuſmodi hominum genere perſecutionem patiebatur, & adhuc patitur Eccleſia, graviorem interdum, quàm quas à Tyrannis eſt olim perpeſſa; in iis enim complurium animæ perduntur, in his ſola corpora perierunt. Atque hæc eſt eo in loco Auguſtini ſententia Proſtrant Libri. Attentè ac ſincerè conſideranti verba, nihil inde aliud eruitur.

Quid eſt ergo, quod tam impotenter in *Pœnum Rhetorem* Phereponus fertur? Nonne in hominem hunc æquiùs ſua verba conveniunt? *Sed illud it Phereponus miſeris Lectoribus ſuis, quia putat omnia impunè illis curſim legentibus à ſe propinari poſſe.* Verùm magìs etiam fiet palam, quantopere eum tranſverſum rapiat affectus, & malæ cauſæ tutela, dum carpit *affectionem animi Epiſcoporum, & cæterorum Clericorum Afrorum, qua ægrè patiebantur ſibi contradici à Donatiſtis.* Ad quæ è veſtigio addit: *Quis ferat eum* perſecutionem *dici pati, cui dolet, quod non dominetur aliis, æquè ac miſeros, qui facultatibus omnibus ſpoliantur, in exilium mittuntur, fuſtibus cæduntur, imò & occiduntur, nam hoc factum liquet ex Epiſtola C. in qua Auguſtinus intercedit ne fiat?* Hæc ille de Epiſcopis Afris, & Auguſtino potiſſimum, dicentibus, ſe perſecutionem à Donatiſtis pati. Nihil autem ego adferam de mulctis, exiliis, & pœnis, in Donatiſtas congeſtis ab Imperatoribus. Satis enim eſt monuiſſe, id hominum genus hæc omnia nimium commeruiſſe, cùm jam eorum Schiſma non Deo tantùm & Eccleſiæ adverſaretur, ſed humanas quoque Leges peſſumdaret. Quàm immaniter in Catholicos, eorúmque ſacra Templa, & vel in ipſos Epiſcopos cædibus etiam patratis graſſati fuerint, quàm pervicaciter Imperatoriis edictis, & omnibus pacis conſiliis reſtiterint, nemo ignorat, & ne ipſe quidem Phereponus

ponus. Sed qualiter affecti erga Donatiſtas fuerint Africæ Antiſtites Catholici, eorúmque Clerici, præterire non debeo. Cùm Auguſtinus pluribus in Libris; tum memorabile quoddam factum, nunquam interiturum, ſat prodit, à Catholicis non res aut Cathedras Donatiſtarum, ſed ipſos Donatiſtas fuiſſe quæſitos; eoſdémque in Africa Præſules Catholicos à libidine dominandi longiſſimè abfuiſſe. Antequam Carthaginenſis Collatio anno Ch. 411 haberetur, in qua de vera Eccleſia diſputatio ineunda, & de concilianda pace inter Catholicos atque Donatiſtas agendum erat, deliberatum in Catholicorum Concilio fuerat, quibus conditionibus excipiendi eſſent Donatiſtæ poſt pugnam. In mentem aliquorum ſubiit offerre, ut vincentibus adverſariis Catholici omnes Epiſcopatus muneri renuntiarent, & univerſæ plebes Africæ Chriſtianæ accenſerentur Donatiſtarum Epiſcopis. Quod ſi vincerentur Donatiſtæ, nihil tamen deperderent, dum in communionem Catholicæ Eccleſiæ redirent. Singuli Epiſcopi Catholici non indignarentur in honore & munere ſocium & æqualem habere, ubicumque Epiſcopi duo Schiſmatis causâ conſtituti ante fuiſſent. Uno eorum defuncto, alter ſuperſtes integræ Eccleſiæ præeſſet. Minimè probatum ire haſce conditiones à reliquis Epiſcopis Catholicis Auguſtinus & alii nonnulli ſuſpicabantur, quibus amor pacis, & caritas talia ſuggeſſerat. Nam & id contra Canones erat, & nonnullis incommodo gravi eſſe poterat. Verùm ut ipſius Auguſtini verbis utar in Lib. de Geſt. cum Emer. n. 6. *Quando ventum eſt, ut hoc palam fieret, in Concilio univerſorum tam frequenti, penè trecentorum Epiſcoporum, ſic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unione deponere, & non perdere, ſed Deo tutius commendare.* Legatur Epiſtola ab eodem Concilio ad Marcellinum Tribunum hac de re conſcripta, ubi præ cæteris egregia illa verba tacenda non ſunt: *Epiſcopi propter Chriſtianos populos ordinamur. Quod ergo Chriſtianis populis ad Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus. Si ſervi utiles ſumus, cur Domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti magis depoſita collegerit, quam retenta diſperſerit. Nam quâ fronte in futuro ſeculo promiſſum à Chriſto ſperabimus honorem, ſi Chriſtianam in hoc ſeculo noſter honor impedit unionem?* Neque tum ſolùm Donatiſtis hanc in Epiſcopatu ſocietatem Catholici obtulerant. Jam pridem id fecerant, uti ſignificat Optatus Milev. Lib. 1. Hiſt.

Ecce memorandum facinus Epiſcoporum Afrorum, quorum caritas erga Donatiſtas contumaciſſimos in aliis etiam iiſque plurimis occaſionibus effulſit, ut jam ſatis intelligamus, nonniſi ab animo æquitatis oblito aut furente præ odio, erumpere potuiſſe, quæ de illorum ambitione & dominandi cupidine nuper à Pherepono audivimus. Neque hîc detinebo Lectores, tot alia monimenta producendo, quibus conſtet, Catholicos Africæ Epiſcopos, & Auguſtinum in primis, id unum in votis habuiſſe, ut à ſtultitia, ſeu potiùs cæco furore Donatiſtas revocarent, ab extremis ſuppliciis immanium cædium reos vindicando, & eorum Clericis & Epiſcopis cum Eccleſia vera conciliatis priſtinos honores ac munera quæque ſervando. Quî componi iſta poſſunt cum iis, quæ infrà addit Phereponus? *Deus ex noſtra ſalute nihil lucrabatur. Sed Afri Epiſcopi, auctoritate, dignitate, atque opibus eò majores erant, quò greges eorum numeroſiores fiebant, quæ non ultima cauſa harum vexationum fuiſſe videtur.* Cur verò dicat Cenſor, Deum ex noſtra ſalute nihil lucrari, juvat explicare legentibus, quàm malè iſta huic ſedeant loco. Reſpondebat Auguſtinus Donatiſtis, Eccleſiæ Catholicæ crudelitatem objicientibus, ſeveritatem hujuſmodi non culpandam, ſed laudandam. Caritas enim cum iis vexationibus conjuncta erat; & caritatem non minùs miſericordia, quàm ſeveritas decet. Exempla inde multa congerebat, ut oſtenderet, non ideò quemquam accuſandum, quod alteri noceat, atque moleſtus ſit; ſed animum illius eſſe reſpiciendum, qui tum magis miſericors, & benevolus, aut ſaltem juſtus eſt, cùm magis interdum ſævit. Hanc in rem inter alia ſcribebat Auguſtinus, Deum proprio Filio ſuo non peperciſſe, ſed pro nobis omnibus tradidiſſe illum. At Phereponus: *Quid ſimile eſt actioni Dei patientis volentem filium ſuum occidi, in ſalutem humani generis, à ſceleratis hominibus, ac moliminibus Eccleſiaſticorum, qui concitabant Magiſtratus in miſeros Donatiſtas?* Tum petit Phereponus, an quiſquam inter Afros tam perfrictæ frontis fuerit, *ut auderet poſtulare ab infelicibus Donatiſtis, ut crederent Catholicos tam benè erga eos, quos vexabant, affectos, quàm erat Deus erga homines, cùm filium ſuum vexationibus traderet, ut genus humanum ſalvaret?* Ad hæc addit: quæ nuper memoravimus; & orationem tandem ità concludit: *At Rhetor noſter non tantùm veri, ſed ne veriſimilis quidem, ullam rationem habet. Nec opus erat cum hiſce argutiis minimè ceſſuros, mulctæ, carceres, exilia, mors manerent.*

Quàm

Quàm planè verum eſt litigare volentem, rationes interdum, nunquam convicia deficere poſſe! Sed dolendum eſt, incidere Lectores non ſatis cautos in id Auctorum genus, qui nihil penſi habent in publicum efferre, quicquid non veritas attentè perſpecta exercere, ſed ira præceps effutire jubet; quique ſibi prius, tum auditoribus ſuis, magnâ confidentiâ imponere non dubitant. Quis autem, ut Pherepono jam reſpondeamus, tam leviter Libros Auguſtini, atque Hiſtoriam Donatiſtarum percurrit, ut ſtatim non intelligat, quàm calumnioſè dicatur, nullam Auguſtino & Afris Epiſcopis curam fuiſſe veri, & ne veriſimilis quidem; imò ne hoc quidem ſibi neceſſarium illos putâſſe? Tot egregia volumina in Donatiſtas conſcripta, tot Collationes quæſitæ ac inſtitutæ, tot fortiſſimæ rationes à Catholicis adhibitæ, vel me tacente, produnt, an Auguſtino, ejúſque in Africa collegis, veri ac veriſimilis cura ſtudiúmq; fuerit, & an potiùs ſeveritatis quàm argumentorum vi emollire ac frangere ipſi optârint pertinaciam Donatiſtarum. Quod autem de morte Hæreticis eiſdem illata Phereponus interſerit, ludibrium pariter veritatis eſt Severas in ſe leges, ut ità dicam, ab Imperatoribus extorſerat immanis jam facta crudelitas Donatiſtarum. Ipſæ tamen leges ſeveriores neminem mortis damnabant, eò quòd Hæreticus quiſquam tantummodo foret. *Non ſupplicio capitali*, ſcribit Auguſtinus Epiſt. 50. nunc 185. Cap. 7. *Propter ſervandam etiam circa indignos manſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis, & in Epiſcopos, vel miniſtros eorum exilio conſtituto.* Si quidam ex iis morte violentâ ſublati ſunt: pauci & graſſatores; & Circumcelliones multarum cædium rei fuerunt. Epiſcopi verò, & Auguſtinus in primis, interceſsêre ſemper, ne illò uſque deſcenderent juſtus alioqui rigor, & cohibendi nimii furoris neceſſitas. Imò ipſas lenire mulctas, & leges ipſas mitigare, quantum licuit, omnium cura fuit. Id conſtat ex variis Auguſtini Epiſtolis. Quod ſi plus quàm par erat, quiſquam militum Cæſareorum, ſivè Præfectorum, abuſus eſt auctoritate legum in perſonas facultatéſque Donatiſtarum, id in omnium æquiſſimarum legum conditionem referendum, quarum nulla hujuſmodi infortunio obnoxia non eſt. Id contra mentem ipſius Imperatoris factum, & præcipuè Epiſcoporum, omniúmque proborum. *Hæc omnia*, ajebat Auguſtinus, *diſplicent bonis, & ea prohibent, & cohibent, quantùm poſſunt: quantùm autem non poſſunt, ferunt, & ſicut dixi, pro pace laudabiliter tolerant, non ea laudabilia, ſed damnabilia judicantes.*

Digitized by Google

Quod eſt ad comparationem divini erga homines affectus, & Epiſcoporum erga Donatiſtas, nemo certè Catholicorum ità deſipuit, ut ſe cum Deo componeret. Sed nemo itidem futurus nunc eſſe deberet adeò ſui oblitus, ut pravum in Epiſcopis Afris animum fuiſſe contenderet, eorúmque tum ambitionem, tum avaritiam affirmaret cauſam dediſſe invocandi in Donatiſtas legum ſubſidii. Qui Clericis & Epiſcopis Donatiſtis omnia ut prius intacta volebant, offerebántque vel Sedes proprias, ut eos Chriſto ac veræ Eccleſiæ lucrifacerent: quâ ratione cenſeri, quâ fronte dici poſſunt abominandis cupiditatibus ad vexandos Donatiſtas impulſi? Id multò minùs ſuſpicari nefas, ſi temporum illorum Hiſtoria ſincerè conſulatur, & quantopere publicam pacem Hæretici illi immanitate ſuâ turbarent, innotuerit, & quid eorum querelis atq; calumniis S. Auguſtinus reſponderit, præcipuè in memorata Epiſt. L. nunc 185. Cæterum petenti Pherepono, an quid ſimile reperiri poſſit inter actionem Dei tradentis filium ſuum pro ſalute hominum, & Catholicorum concitantium Magiſtratus in miſeros Donatiſtas, reſpondemus non exiguam ſimilitudinem intercedere, quantùm tamen patitur infinita operantium differentia, ut actiones aſſimilentur, Sicuti enim Deus, quo infinitæ ſuæ juſtitiæ fieret ſatis, & humanum deinde ſalvaretur genus, voluit non quidem ſcelus Judæorum, ſed tormenta & mortem Filii ſui; ità etiam Epiſcopi Afri, quo à pertinaci errore, & à certo gehennnæ periculo Donatiſtas deploratos averterent, caſtigationes in ipſos decerni voluerunt. Utrobique ſeveritas, ſed juſta ſeveritas conſpicitur; utrinque caritas effulget; utrinque per ſeveritatem magnum hominibus quæritur bonum, & proinde juſta, pia, ac laudabilis cùm Dei, tum Epiſcoporum actio eſt, niſi quod hominum opus, quanquam juſtum & pium: nulla ex parte æquare poteſt divini operis pretium, atq; ſucceſſum. Neq; porrò neceſſe eſt, ut in omnibus & minutiſſimè ſibi reſpondeant res comparatæ, dum in eo vigat ſimilitudo in quo res ipſæ aſſimilatæ fuerunt. Quæ cùm ità ſint, quis jam pudorem, ſive ut dicere jam licet, impudentiam Pherepońi non miretur, dum hac de cauſa ait: *Pudet immorari confutandis ejuſmodi ratiocinationibus, quæ ne Logicæ quidem Tironibus hodie condonarentur?*

Multò magis mirabitur Lector hominis confidentiam, cùm intelliget, nunquam inſtitutam fuiſſe ab Auguſtino comparationem inter Deum ejúſque actionem, & affectum erga homines & Epiſcopos Afros, eorúmque actionem,

atque

tque affectum erga Donatiſtas. Ideò tantùm exemplo Dei on parcentis Filio ſuo, ſed eum pro ſalute hominum traentis, Auguſtinus utitur, ut generale illud effatum proet: *Cùm boni & mali eadem faciunt, eadémque patiuntur, non factis, & pœnis, ſed cauſis utique diſcernendi ſunt.* Et infrà: *Diſcamus in ſimilitudine operum diſcernere animos operantium, nec cauſis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accuſemus.* Opera ſimilia multis exemplis oſtendit Auguſtinus, & tamen quia diverſi ſunt operantium animi, diverſæ operandi cauſæ: hi pios & juſtos, illi impios & iniquos ſe produnt. Certum autem eſt, Deum non ſolùm paſſum fuiſſe, ut innocens Filius ſuus à ſceleratis necaretur, ſed etiam voluiſſe atque exegiſſe, ut tormentis ac morti offerretur ejuſdem Filii vita. Et ipſe Filius, volens quidem & liber, ſed tamen obediens Patri uſque ad mortem, & ejus æterno decreto, ac voluntati obſequens, traditus eſt Cruci pro nobis. Reus, impius & damnandus nobis illicò videretur, qui tale aliquid vellet atque exigeret, niſi ejus animum atq; ità agendi cauſam diſcerneremus Cùm verò infinita juſtitia atque infinita Caritas Deum promoverint ad hujuſmodi actionem, propterea ſummè pia, juſta, & laudabilis fuiſſe cognoſcitur actio illa Dei, qui alioqui nihil non pium, non juſtum agere poteſt. En ergo quem in finem & quanto jure mentionem Dei tradentis filium ſuum fecerit Auguſtinus, non comparans reverà cum Epiſcopis Afris Deum, neque Moyſen, neque Græcos pro Paulo Apoſtolo cædentes Soſthemem Judæum, neque Paulum eumdem, neque Apoſtolos, neque ipſum Chriſtum: quibus tamen omnibus exemplis appoſitè probat, juſtum opus, & pium eſſe poſſe in aliquibus, quod injuſtum & deteſtandum poſteà deprehendatur in aliis. Pro ſua liberalitate Phereponus comparationem iſtam aliò detorquet contra Auguſtini mentem, ne ſe declamaturum tam citò materia deficiat, quanquam inter iſta, ut vidimus, intercedere ſimilitudo aliqua poſſit.

Sunt Auguſtini verba §. 8. in Epiſt. 93 olim 48. Cap. 2. *Si ſemper eſſet laudabile perſecutionem pati, ſufficeret Domino dicere: Beati, qui perſecutionem patiuntur, nec adderet, propter juſtitiam.* Ad hæc ait Phereponus, Donatiſtas non ſolùm ſe prætuliſſe Catholicis, quòd perſecutionem paterentur, ſed quia, ut quidem putabant, hoc fiebat juſtitiæ cauſâ, cùm nollent id facere, quod ſibi illicitum eſſe, ac Deo diſplicere credebant. Tum addit, hanc animi affectionem laudandam, etiam in errantibus; vituperandos contrà eſſe, qui ab invitis extorquent, ut id faciant metu ſuppliciorum, quod illicitũ

eſſe putant. *Quamvis enim, quod inviti faciunt, naturâ ſuâ rectum eſſet, Deo non poſſet non diſplicere, qui non vult ore dumtaxat coli, ſed potiſſimum animo, nec ab invitis quidquam accipit.* Ità ille. Et ei quidem gratias habebunt cùm Judæi, tum Muhammedani, & Gentiles, cæteríque Hæretici vel peſtilentiores, quòd plaudat eorum pertinaciæ in tuendis erroribus, in impietate ſervanda. Sed quid refert, quòd iſta protervia à non mala affectione prodeat, hoc eſt à voluntate non faciendi, quod illicitum putatur? Num propterea excuſandi, imò laudandi Judæi, & Donatiſtæ, & reliqui, à Chriſto, aut à vera Chriſti doctrina, averſi? Dicat Phereponus, ſi audet, ſi potis eſt, & evacuet Crucem & Religionem Chriſti. Quòd ſi gentem illam ab ira Dei ſalvare nequit falſa illa perſuaſio, atque pervicacia: cur vituperandi quæſo ſunt, qui eos à tanta miſeria liberare conantur, & in ſpem æterni Regni pertrahere? Nonne & hæc animi affectio in Catholicis laudanda, quippe à Chriſtiana caritate progenita? Certiſſimum autem eſt & apud nos, fidem à libera voluntate, non à coactione eſſe expectandam; Deóque non ſolùm non probari, ſed inviſos eſſe, qui animum ab ore diſcordem in Religione ferunt. Sed quæ à Catholicis interdum adhibentur in Hæreticos moderatæ caſtigationes, & uſus modeſtus terrorum, non eò tendit, ut errantium voluntas adigatur ad veteres opiniones ponendas, & ad meliorẽ amplectendam; ſed ut propter ſuppliciorum ſivè incommodorum imminentium formidinem animi & aures attentiores præbeantur doctrinæ ſanæ, & veritatis prædicationi. Quòd ſi Deo diſplicet, quidquam ab hominibus invitis fieri, etiamſi id naturâ ſuâ rectum foret, non minùs etiam eidem diſplicet, pernicioſos & impios errores, ultrò ab hominibus propugnari, quanquam credentibus ſe pro veritate certare. Quapropter ſi ad evitandas vexationes quiſquam ficto animo ad veram fidem convertitur, id quidem ejus vitio aut infelicitate contingat, non autem Catholicis culpæ vertendum, qui quantùm in ipſis eſt, hominem illum & à primis erroribus, & ab illa gravi calamitate liberum optant, & liberare contendunt.

Pergit Auguſtinus ità ſcribere in memorata Epiſt. 93. Cap. eod. *Item ſi ſemper eſſet culpabile perſecutionem facere, non ſcriptum eſſet in Sanctis Libris: Detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur, injuſtus eſt; & qui eam facit, juſtus eſt.* Reſpondet Pherepon. hunc Pſalmi centeſimi locum, nihil facere ad perſecutionem hominum dogmata quæpiam bonâ fide amplectentiũ, nec cæteroqui dete-

deteriorum morum, quàm ſunt reliqui cives. David enim ibi non agit *de quavis perſecutione*, ſed tantummodo pollicetur, ſe *à conſpectu ſuo ejecturum* calumniatores omnes, loquitúrque de delictis, ſocietatem civilem perturbantibus, & de quibus non ex religioſis, ſed ex civilibus legibus pœnæ ſumi poſſunt. Nolo hìc diſputare de ſenſu vocabuli Hebraïci *Atſmith*, quod *tollam* Phereponus interpretatur; reliqui verò Linguæ ſanctæ periti interpretati ſunt, *ſuccidam, diſperdam, interficiam, interficiebam, & uſque ad internecionem perſequebar.* Neque itidem placet hìc inquirere, an pravæ opiniones in Religionis doctrina ſocietatem civilem perturbent, & Eccleſiam ſcindant, & Deo ſint inviſæ, ac propterea pœnas quoque civiles mereantur à Regibus, quos Deus cuſtodes etiam conſtituit Religionis germanæ, & Doctrinæ cœleſtis. Prætereo etiam, nulli cœtui magìs conveniſſe calumniatoris notam, quàm Donatiſtis, Cæciliani, Imperatorum, Judicum omnium, & Eccleſiæ univerſæ calumniatoribus conclamatis: quod ne ipſe quidem Phereponus negat. Animadvertere ſolùm juvat, Phereponum non hìc minus quàm alibi imponere Auguſtino, ſive neſciat, ſive nolit apertiſſima illius ſenſa intelligere. Illo Pſalmi loco utitur Auguſtinus, non ut oſtendat, licere Catholicis perſequi Donatiſtas; ſed ut oſtendat, non ideo quemquam ſtatim eſſe culpandum, quòd perſecutionem faciat; nam & ſanctus David perſequebatur calumniatores, neque tamen injuſtus idcirco fuit. *Si ſemper*, inquit, *eſſet culpabile perſecutionem facere, non ſcriptum eſſet in ſanctis Libris &c.* Propoſitis Pſalmi verbis, concluſionem inde iſtam elicit: *Aliquando ergo & qui eam* (perſecutionem) *patitur, injuſtus eſt; & qui eam facit, juſtus eſt.* Ubi vides, ex tribus propoſitionibus, quibus conſtabat Syllogiſmus à Donatiſtis inſtructus, ſolam primam univerſalem his verbis conceptam: *ſemper culpabile eſt perſecutionem facere,* ab Auguſtino falſitatis argui, & meritò argui. Quocumque enim nomine appelles, quod Regius Pſaltes comminabatur calumniatoribus, grave iſtis moleſtúmque futurum erat, & proinde à perſecutione minimè diſtabat, eíque perſecutionis, ſed juſtæ miniméque culpabilis convenire nomen potuit. Vides etiam, ab Auguſtino ea Pſalmi verba non accipi, quaſi de quavis perſecutione David loquatur, neque adhiberi, ut juſta demonſtretur perſecutio Donatiſtis illata. Phereponus autem contra ventos pugnans, ſibi fingit, Auguſtinum nihil aliud voluiſſe, quàm hoc poſtremum, à quo tamen tunc Auguſtinus alienus erat. Quare Cenſor

Digitized by Google

in ea verba confidenter erumpit: *Hoccine eſt Scripturam, ut decet, interpretari, an temerè arripere vocabulum malè intellectum, ut videaris aliquid diſcere, cùm reverà nihil diſcas?* Hoccine eſt, & ego dicam, cenſuram agere, ut decet, an ſibi umbras effingere, ut in illas digladieris, & videaris aliquid evincere, cùm reverà nihil evincas?

Ejuſdem ponderis ſunt ſequentes Phereponi animadverſiones; & utinam non pigeat Lectorem audire, ut me piget refutare talia *Occiderunt impii Prophetas*, inquit Auguſtinus in eadem Ep. 93. olim 48. c. 2. §. 8 *Occiderunt impios & Prophetas.* Ad quæ Phereponus: *Quoſnam propter meras opiniones occiderint Prophetæ, debuiſſet dicere Auguſtinus; nam ſi quos occiderint propter malè facta, ex Lege ipſa Moſis morte plectenda, hoc nihil facit ad Donatiſtas, aut alios ſimiliter errantes.* At Auguſtinus, ſi hoc objeciſſet Donatiſta aliquis, ut arbitror, ſerium riſiſſet, non quia ſibi deeſſet, quod hìc reſponderet, ſed quia nullâ reſponſione opus erat ad hujuſmodi interrogationem Neque enim, dum hæc ſcribebat, ſibi propoſitum erat, aut eſſe debebat, inquirere, cujus delicti causâ occiſi à Prophetis impii fuerint. Quæcumq; enim cauſa Prophetas eò impulerit, injuſta certè pœna eſſe non potuit, quippe quæ zelo Dei, & Deo ipſo jubente de hominibus ſumpta. Hoc autem Auguſtino ſatìs erat, ut univerſalem illam ſententiam confirmaret à ſe productam, nempe: *aliquando & qui perſecutionem patitur, injuſtum eſſe; & qui eam facit, juſtum.* Cur vis Auguſtinum debuiſſe dicere, quòd ad rẽ propoſitam nihil neceſſe fuit? Cæterùm ex Deuteronomii Cap. 13. & 17. & 18 & ex nonnullis exemplis antiquæ Legis, non difficile fuiſſet hujuſmodi etiam Phereponianæ interrogationi facere ſatìs. Pergit Cenſor: *Præterea oſtendendum fuiſſet; quidquid fecerunt Prophetæ, id licitum eſſe ſub novo Teſtamento; nam hoc pernegat Chriſtus diſertiſſimis verbis Luc. IX. 55. 56. nec quenquam legibus à Chriſto latis ſolvere poteſt Auguſtini auctoritas.* Cupientibus diſcipulis, ut Samaritæ flam̃is è cœlo demiſſis comburerentur, Chriſtus ait: *Neſcitis, cujus Spiritûs eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* En Lucæ verba. Quid Catholici nonnulli ad ea reſpondeant, ſentientes, morte quoque Hæreticos pertinaces poſſe juſtè mulctari: apud alios legere Phereponus poterit, cùm ſibi vacabit. Nobis interim mitiora ſuadentibus ſatis eſt pro Auguſtino reſpondere, nihil pertinere ad Donatiſtarũ cauſam locum illum Evangelii. Ecquando enim Donatiſtarum animæ à Catholicis perditæ fuerunt propter ſolam dogmatum ſive opinionum differentiam? Quandonam ab

Impe-

Imperatoribus ſtatutum fuit,ut Hæretici illi primerentur, niſi fortè cùm turbatæ publicæ pacis,&cædium,&perduellionis rei deprehendebantur? Pœnæ dumtaxat moderatæ, levéſque mulctæ in ipſos decretæ à legitimis Magiſtratibus, idque ſecundùm Chriſti Spiritum, & deſiderio ſalvandi, non perdendi illorum animas, poſtea quàm nullâ manſuetudine,nullis rationibus ab apertiſſimo errore, & à furore ſe non patiebantur revocari. Oſtendat Phereponus,quibus Chriſti Legibus id in Lege nova interdictum fuerit, & qui Chriſtianæ Caritati adverſetur; atque erit tum nobis magnus Apollo.

Flagellaverunt Judæi Chriſtum, Judæos flagellavit & Chriſtus. Sunt Auguſtini verba. Quæ ità excipit Phereponus: *Quaſi verò flagellatio illa,quâ Chriſtus pecudes,potiùs quàm homines,ejecit è Templo,poſſit conferri cum crudeli flagellatione,quam Chriſtus paſſus eſt à Romanis Judæis gratificantibus. Aut Auguſtinus valdè ſpernebat ingenia Donatiſtarum,quibus ſe ejuſmodi ratiocinationibus os obſtruere poſſe ſperabat; aut multò majorem fiduciā habuit in Edictis Honorii,quàm in pondere rationum.* Jamdiu conviciis rem ſuam agere Phereponus inſtituit. Sed ego veri ſtudioſos atque ſinceros Lectores rogabo, ut perſpiciant, quàm opportunè Phereponus ſuam hìc bilem in Auguſtinum rurſus exoneret. Dixerat ſanctus Doctor: *Planè ſemper & mali perſecuti ſunt bonos,& boni perſecuti ſunt malos. Illi nocendo per injuſtitiam,illi conſulendo per diſciplinam. Illi immaniter, illi temperanter. Illi ſervientes cupiditati,illi caritati,&c.* Tum exemplis rem firmat, atque inter alia memorat Chriſtum à Judæis flagellatum,qui & Judæos in Templo vendentes& ementes flagellis cæciderat Exemplum hoc appoſitè cadere ad confirmandam Auguſtini ſententiam univerſalem nemo non videat. Certiſſimum enim eſt, tam Chriſtum, quàm Judæos rem illam præſtitiſſe. Sed Chriſtus bonus conſulendo per diſciplinam malis, iſti mali nocendo per injuſtitiam bono,id præſtitêre; ille caritati ſerviens,iſti cupiditati; ille temperanter, iſti immaniter. Quid eſt, quod intentioni Auguſtini planè hìc non reſpondeat? Sed, inquit Phereponus, cum Judæorum crudeliſſimo rigore conferri non poteſt mitiſſima ſeveritas Chriſti in Judæos; & Judæi è Templo ejecti pecudum ſimiles fuêre, ac flagello propterea digni,Chriſtus autem innocentiſſimus fuit,&ingenuus moribus. Quis rogo acutum Phereponi ingenium jam non miretur, tantum diſcrimen inter Chriſtum & Judæos noſtris demum temporibus reperientis? Immo,ſi Pherepono credimus, quis non agnoſcat Auguſtinum aut ſtupi-

Digitized by Google

ſtupidum, qui diſcrimen iſtud non animadverterit, aut callidum, qui diſſimulârit? Verùm, ut ſeriò agamus, dicat Phereponus, num Auguſtinus ſibi probandum ſumpſerit, malos parem perſecutionem in bonos, & bonos in malos ſemper exercere? Si probandum id non ſumpſit, ſed quidem, non minus bonos quàm malos, ex diverſis tamen cauſis, perſecutionem agere: quid refert animadvertere diſcrimen inter Chriſti, & Judæorum flagellationem? Obſtátne diſcrimen illud, quominus immeritò Judæi Chriſtum, Chriſtus Judæos meritò, reipſa flagellârint? Prætereà nónne & hanc ipſam differentiam ſignificavit Auguſtinus, dum inquit, bonos perſecutionem temperanter facere in malos, & malos contrà immaniter ſævire in bonos? Quos ſi Judæi è Templo expulſi pecudes erant, num proptereà mali, & nocentes, & plectendi non fuêre, quando *orationis domum fecerant, domum negotiationis, & ſpeluncam latronum*? Quacumque ex parte animadverſionem Pereponi contemplemur, nihil occurret adversùs Auguſtinum. Quid aliud ergo Phereponus inde obtineat, niſi prodere ſe ſcientiſſimum peſſimæ omnium cenſuræ, quæ tum fit, cùm nos arreptis temerè Auctorum verbis, neque mente, conſilióque eorumdem Auctorum conſiderato, ſomniamus in iis, quæ poſteà ſtylo noſtro liberè inſectemur? Porro ex his judicent æqui amantes, num Auguſtinus Donatiſtarum, an potiùs Phereponus Lectorum ſuorum ingenia valdè ſpreverit, hæc ſcribens, quæ tam facilè ſophiſticam redolere noſcuntur.

Mitto nòn abſimiles hominis illius notas in ea verba Auguſtini: *Traditi ſunt Apoſtoli ab hominibus poteſtati humanæ; tradiderunt & Apoſtoli homines poteſtati ſatanæ*; quia nihil ad rem illæ faciunt, & unâ eadémque reſponſione jam per nos confutatæ fuerunt. Cùm ſubinde Auguſtinus ſentiat, ideo Apoſtolorum tempore non invocatam fuiſſe Regum auctoritatem in præſidium veræ fidei, quia nondum Rex ullus erat Chriſto deditus: ità reſpondet Phereponus: *Quaſi verò ea non fuerit nativa indoles Regni Chriſti, quod ipſe teſtatur non eſſe hujus mundi, quamobrem legionibus minimè defendebatur. An non potuit Chriſtus, ſi voluiſſet, ingentem copiam Judæorum ad arma, ut ſe tueretur contra inimicos; & quod viribus humanis deerat, vi divinâ miraculorum perfacilè ſuperare, ſi ità Deo viſum fuiſſet*? Utique Chriſtum id potuiſſe, cum Pherepono affirmamus. At qui venerat ad inſtituendum, atque exercendum ſpiritale Regnum in terris, Regnorum temporalium jura & leges intacta relinquere, non evertere, voluit.

voluit. Exemplo itaque ſuo tantùm ſignificavit, Pontifices, Sacerdotes, & reliquos ſpiritales Miniſtros ſuos jus armorum ſæcularium ſibi tribuere non debere. Oſtendit, non eſſe fidem ſuam, Turcarum adinſtar, vi gladii propagandam, & ad eam ſuſcipiendam invitos homines extremis ſuppliciis non eſſe cogendos. Demum nos docuit, excitandas non eſſe vel pro vera fide ſeditiones populorum adversùs legitimos Reges, & contra Præpoſitos noſtros: quod Anabaptiſtæ, Calviniani, & alii Novatores, ipſique olim Donatiſtæ, ſunt auſi. Nunquam verò Chriſtus docuit, legitimos Reges, qui non ſinè cauſa gladium portant, & miniſtri Dei ſunt, peccare, & iniquè facere, ſi veram fidem, quam ipſi favente Deo amplexi fuêre, & fidei unitatem, ſartam tectam in populis ſibi & Eccleſiæ ſubjectis ſervare, ac à ruina, & diviſione tueri velint, & ſalubribus in eum finem ſuppliciis temporalibus in refractarios utantur. Imò piis Regibus, & politicis Magiſtratibus hoc onus incumbere, cùm recta ratio, tum ſacrarum Literarum exempla perſuadent.

CAPUT IX.

Quod Auguſtinus de Rogatiſtis, & de vexatione Hæreticorum, ſententiâ mutatâ, ſcripſit, non immitem eum, neque Proteum arguit. Hipponenſis civitas credenda eſt non ficto animo Schiſma ejurâſſe. Inter Catholicorum & Muhammedanorum perſecutiones quàm magna differentia. Sententia Auguſtini de divina gratia non excludit utilitatem pœnarum in Hæreticos pertinaces. Nullo jure culpatus à Pherepono Auguſtinus, culpans Donatiſtam aſſerentem, neminem cogendum eſſe ad bonum.

ROgatiſtas, qui Schiſma ab ipſis Donatiſtis fecerant, alloquens Auguſtinus in laudata Epiſt. 93. Cap. 3. §. 2. ait, illos quidem reliquis Donatiſtis videri mitiores, quòd cum immaniſſimis Circumcellionum gregibus non ſævirent; ſed nòn ideo mitiorem inde ipſorum animum oſtendi poſſe. *Sævire vos nolle dicitis; ego,* inquit Auguſtinus, *non poſſe arbitror.* Immite ac inhumanum Pherepono videtur hoc Auguſtini reſponſum, & alienum à manſuetudine,

dine, quam præſeferre ſolebat. *Qui enim*, ait, *noverat eorum animos? Annon poterat fieri, ut ex animo ab omni perſecutione abhorrerent? Facilè ſanè hoc mihi perſuadeo.* Et Auguſtinum quippe affectu occœcatum, ideo tam futilibus rationibus uſum fuiſſe pronuntiat. Sed utinam ſibi ſemper tam facilè de aliorum animis benè perſuaderet Phereponus; neque enim adeò frequenter, ut vidimus, & viſuri ſumus, Auguſtino & Catholicis malediceret, ineptis tantummodo & virulentis ſuſpicionibus indulgens. Equidem quin mitiùs reſpondere potuerit Auguſtinus, inficias non eo. Quid enim diſſimulemus Chriſtianæ caritatis loquelam in his caſibus? Verùm Auguſtinus ità ſibi reſpondere fas licitùmque putavit, ut Rogatiſtas moneret, ipſos non idcirco ſe à perſecutione facienda alienos venditare poſſe, quod reipſa non facerent; nam & ad faciendam vires deerant (erant enim Rogatiſtæ numero tantùm decem) & eorum auctor Rogatus à contentionibus minimè abſtinuerat. Cæterùm è veſtigio ſubjicit Auguſtinus, ſe mitem hunc animum in Rogatiſtis ponere & credere velle. *Sed ponamus*, ait, *vos etiam nolle, quod non valetis, &c.* Hoc autem omittere Phereponus non debebat, ſi agere ſinceriùs cum Auguſtino ſtatuiſſet, quem alioqui manſuetum virum ipſe negare non poteſt.

Fatetur infrà Auguſtinus, ſe olim in ea ſententia fuiſſe, ut Hæreticos nullâ moleſtiâ temporali afficiendos arbitraretur; ſed aliam ſe poſteà mentem induiſſe, ex quo tum experimenta, tum rationes validiſſimæ ſibi nimiū perſuaſerant, non juſtam ſolùm, ſed utilem planè ac neceſſariam interdū eſſe hanc agendi rationem. Ad hæc Phereponus ait, Auguſtinum, utì nôrat *ex Rhetorica inſtitutione* id dicere pro temporibus, quod cauſæ poſtulabant, ità etiam pro temporibus ſenſiſſe. Etſi daremus, Auguſtinum ex inſtitutione Rhetorica noviſſe in utramque partem dicere, non quod veritas, ſed quod cauſæ poſtularent: num illum excogitare etiam aut credere poſſumus adeò excordem, & impium, ut eamdem ſervare conſuetudinem vellet in tanti momenti rebus, atque ubi de Religionis, & Eccleſiæ honore, & de ſua, ac aliorum æternâ ſalute agebatur? Id ſuſpicari, id credere ſinè ulla prorſus cauſa, atque ratione, cùm inhumanum, tum iniquum eſſe, quis non intelligat ex ipſius Phereponi nuper allata ſententia? Mutavit opinionem Auguſtinus; at vi exemplorum atque rationum victus. Id quotidie prudentes, & veritatis amantes faciunt, qui meliorem ſententiam amplexi in ea conſiſtunt, & conſiſtendum ſciunt, & tum potiſſimùm, cùm ad æternæ ſalutis periculum atque

ad

ad leges divinas res pertinet. Attamen Phereponus hæc ſubjicere non erubeſcit: *Quis dubitat, quin ſi Eccleſiæ Africanæ à perſecutione abhorruiſſent, &c. contrariam cauſam copiosè peroraturus fuiſſet? Ego ſanè nullo modo dubito, quin ſi illum apud Vandalos vexatæ ab Arianis Eccleſiæ Africanæ cauſam dicere oportuiſſet, contrariis planè uſus eſſet argumentis, &c.* Non ſolùm Phereponus ipſe non dubitat, ſed neminem alium dubitaturum eſſe ait, quin Auguſtinus tunc Proteum acturus fuiſſet. Quo quid durius dici poſſit, non facilè reperias. Nos contrà, & Auguſtini ſanctitate perſpectâ, & Eccleſiæ Catholicæ argumentis benè perpenſis, neutiquam dubitamus, quin Auguſtinus præſtiturus in ea ſententia fuiſſet, quam hìc poſt illum tuemur. Quòd ſi Eccleſia Africana à perſecutione Hæreticorum, ſive, ut meliùs dicam, à ſalutaribus remediis ac pœnis in ipſos experiendis abhorruiſſet, non ideo id factum fuiſſet, quòd illicita hæc remedia Epiſcopi cenſuiſſent, ſed quòd opportunia atque utilia tum temporis minimè judicâſſent: quod contingere interdum poteſt. Auguſtinus verò, ſi ad tyrannidem uſq; Vandalorum protraxiſſet vitam, utique illorum damnâſſet, & confutâſſet rabiem in Catholicos, quia uti impia erat Vandalorum, & olim Paganorum doctrina, ità ipſorum rigor pro eadem doctrina propaganda injuſtus erat. Catholicorum autem nunquam damnâſſet piam ſeveritatem in Hæreticos, quippe in cœleſtis doctrinæ, & germanæ Religionis præſidium adſcitam, & magnâ moderatione exercitam.

Auguſtinus in eadem Ep. 93. Cap V §. 17. affirmat, Civitatem ſuam *quæ tota erat in parte Donati, ad unitatem Catholicam, timore Legum Imperialium, converſam fuiſſe*, & Schiſma deinde ità fuiſſe deteſtatam, ut eidem nunquam immixta fuiſſe crederetur. Sed nullam ei fidem habet Phereponus; *Difficillimum* enim putat, *ut grandiores natu, & perſpicacioris ingenii homines alieniores multò non fiant à doctrina, quæ eis vi ingeritur.* Si Donatiſtas evidens injuſtitia non diviſiſſet ab Eccleſia Catholica; ſi item Eccleſiæ huic non eſſent (quæ certè illi ſunt, & apud nullos Hæreticos ſunt) aperta veritatis ſigna; ſi denique rigor ſolus à Catholicis adhibitus fuiſſet, non autem explicatæ, atque inculcatæ Donatiſtis ejurandi Schiſmatis manifeſtæ rationes; imò ſi rigor ipſe, licèt moderatus, eò dumtaxat reſpexiſſet, ut invitis doctrinam Catholicam ingereret, & non ideo potiùs adhibitus fuiſſet, ut converteret animos pervicacium ad auſcultandā diligentiùs meliorem ſaniorémque doctrinam: Si, inquam, hæc omnia in Donatiſtarum cauſa non præceſſiſſent, parcere

ali-

aliquo pacto poſſemus Phereponianæ ſuſpicioni, quanquam rationibus deſtitutæ. At cùm hæc omnia conveniant in illam cauſam, nimis æquum eſt credere, non ficto, ſed vero animo converſos fuiſſe Hipponenſium pleroſque, utì & alios Donatiſtarum populos non paucos, quos Auguſtinus commemorat. Mitto alia in hanc rem argumenta, quippe ſolâ teſte experientiâ res confici poteſt. Noſtris quippe temporibus in Galliarum Regno idem ferè conſpeximus, quòd ſuâ ætate vidit Auguſtinus. Num affirmare Phereponus poterit, immenſum Calvinianorum numerum ad fidem & unionem Catholicam ibi converſum, inter quos & grandiores natu, & perſpicacioris ingenii homines, & docti viri, imò Paſtores ipſi fuêre, omnes à Catholicorum doctrina alieniores factos, cùm ipſam & amplexi fuerint, & conſtanter adhuc teneant? Quin ex iis aliqui ſimulatum animum ad Catholicam Eccleſiam detulerint, negare nolo. Verùm pleroſque ſcimus, & contendimus, ex animo egiſſe. & apertiſſimè noviſſe, quantùm Hæreſi & Schiſmati adhærentes, à veritate & caritate abeſſent: quod & Donatiſtarum pleriſque ad eamdem Eccleſiam converſis contigiſſe olim, fidenter nobis perſuademus, & Auguſtinus aliique teſtantur.

Cæterùm Phereponus, ne ubique durum ſe nobis præbeat, fatetur, adoleſcentes, & Hæreticorum filios Catholicis placitis educatos, ſinceriſſimè Fidem Catholicam amplecti. Non eſt hic exiguus ſalutarium terrorum fructus. Sed adhuc idem Cenſor *contendit, Schiſmati finem imponi vexationibus nonniſi iniquè atque inhumanè poſſe.* Quibus rationibus hoc ille contendat, ignotum eſt nobis; nam quas hactenus deprompſit in Auguſtinum, nihil ſolidi habere deprehendimus; & contrà ſolidiſſimæ adhuc vigent, quas Auguſtinus attulit, quáſque Phereponus aut infeliciter inſectatus eſt, aut attingere auſus, ut puto, non eſt. Attamen hæc fortaſſe, quæ ſubjicit, rationum loco Cenſori fuerunt. Inquit enim: *His artibus non modò Schiſma ex pertinacia aut imperitia ortum, ſed & omnem veritatis cognitionem tolli, ut liquet vel ipſius Africæ exemplo, in qua Muhammedanorum furor extinxit illic Religionem Chriſtianam, ſimilibus artibus iis, quibus avulſum fuerat olim Schiſma Donatiſtarum. Igitur*, tandem concludit, *non erat, quod de eventu gloriaretur Auguſtinus, qui omnium vexationum par eſt.* Si Auguſtini Epiſtolam iterum legiſſet, aut ſtudioſiùs ſemel legiſſet Phereponus, intellexiſſet, Auguſtinum nequaquam de illo eventu gloriari, quanquam Catholicis futurum eſſet gaudio, tot populos ample-

amplecti, ad unitatem fidei, atque ad veram Eccleſiam reverſos, Id ille refert, ut cauſam tantummodo prodat, quare ab antiqua ſua ſententia ipſe diſceſſerit. Nempe verebatur olim, ne Legum terror ex apertis Hæreticis fictos Catholicos faceret: quam tamen ſuſpicionem deinde ſuſtulit experientia ipſa. Quod reliquum eſt, etſi injuſtæ vexationes (ità Deo propter hominum ſcelera permittente) parem cum juſtis effectum ſortiantur (quo tamen eventu caruêre tot Paganorum ſæviſſimi conatus in Chriſtianam gentem,) nihilominus animadvertere debemus, nonniſi temerè comparari hac in re potuiſſe Catholicos cum Muhammedanis. Orthodoxi ac legitimi Imperatores in populos ſibi & Eccleſiæ ſubjectos; ſed pervicaces, & per apertam iniquitatem ab eadem Eccleſia vera ſejunctos, pœnas moderatas conſtituebant, ut iterum ad ovile Chriſti perditas oves revocarent, neque prius errantes revocarent, quàm erudiiſſent, eiſque errorem priſtinum manifeſtum feciſſent. Muhammedani contrà in ſolo terrore, & vi acinacis, ratione omni repoſitâ, ſinè ullo dominationis legitimæ jure, ſinè bona cauſa, populos alienos in antiqua Religione ſtantes, ad novam amplectendam coëgere, quam Catholicæ præferendam nemo liber, & ingenio valens perſuadere ſibi poſſit. Quid hìc ſimile ſit, non video; & ne ipſe quidem Phereponus videat, utpote qui neque diffitetur, Donatiſtas iniquo titulo ſeceſſionem olim à Catholicis feciſſe, neque diffiteri poteſt, falſam eſſe & abſurdam Muhammedanorum fidem atque ſævitiam. Etiamſi ergo iiſdem artibus cùm Catholici tum Muhammedani uſi fuiſſent, & par utrinque fuiſſet eventus, quia tamen jus legitimum, & juſta cauſa, & recta doctrina Chriſtianis Imperatoribus erant, hæc autem Muhammedanis deerant; nefas profectò erat Pherepono, rigorem pro cuſtodia veritatis adhibitum cum rigore pro impietate propaganda uſurpato conferre. Ut toties Auguſtinus oſtendit, immo, ut quotidie nobis cernentibus uſu venit, cùm boni, tum mali perſecutionem faciunt; ſed juſtè illi, iniquè iſti; illi odio, ſive errore incitati; iſti caritate, & veritate ducti. Oppreſſerint ergo Donatiſtas Catholici, Catholicos Muhammedani; Juſtitia nihilominus ſemper faciet, ut illos laudemus; injuſtitia, ut iſtos damnemus. Denique diſſimulare quidem poſſumus, dici Muhammedanos ſimilibus artibus uſos ad extinguendam in Africa Religionem Chriſti, ac uſi Catholici fuerint ad auferendum Donatiſtarum Schiſma: quod certè nunquam oſtendetur;

ſed abſolvere planè nequimus Phereponum ſinè ulla ratione contendentem, per hujuſmodi vexationes non ſolùm Schiſma, ſed & omnem veritatis cognitionem tolli. Id jure de Muhammedanis artibus, & Turcicâ crudelitate caratur; immerito & falſo de Catholicis; ſicuti ex ipſa Donatiſtarum Hiſtoria liquet. A Catholicorum parte evidens veritas ſtabat. Nihil intentatum Catholici relinquebant, quo iſtam pertinacibus perſuaderent; eò collineabat Romanarum Legum terror, ut ſe Donatiſtæ edoceri paterentur eamdem; & plerique edocti, inſaniam præteritam ex animo deteſtabantur, errore veteri perſpecto, & novâ veritate imbuti. Quid hìc ſimile cum cœca feritate ac impietate Turcarum? & quis dicere audeat, in hiſce caſibus atq; conditionibus veritatis cognitionem tolli, cùm contrarium evidenter curetur?

Infrà nequit capere Phereponus, quomodo ità ratiocinari poſſet Auguſtinus, *qui credebat homines ad Deum ſolâ gratiâ internâ, & electis ſolis concedendâ converti, & ad vitam æternam adduci. Quid enim*, inquit, *magis alienum à gratia divina, quàm mulctæ, exilia, atque alia ſupplicia?* At nos reſpondemus, utique fidem non ex meritis, ſed ex gratia venire, Sed cùm ipſa Fides ità ſit Dei donum, ut actus etiam ſit liberi arbitrii, & omnes jubeamur benè ſentire, & rectè agere: propterea homines cuncti, ad benè ſentiendum, & rectè agendum ſolicitandi ſunt. Conſilia, præcepta, leges, prædicatio Evangelii, & variæ convincendi, ac hortandi rationes in hunc ipſum finem adhibentur. Correptio autem, quæ ut habetur Proverb. 29. *tribuit ſapientiam*, modò inferre, modò conſervare poteſt donum Fidei, & prodeſſe hominibus. Quare non ſolùm laudanda, ſed etiam gratiæ divinæ inſtrumentum dicenda eſt. Neque verò nos, quia gratia Dei non ſinè tamen libero arbitrio probos homines facit, à bonis operibus abſtinere debemus, aut ceſſare ab urgendis ad bona opera cæteris fratribus. Neque item Apoſtolica Gratiæ Doctrina obſtare debet, quominus injuſtos, impudicos, & blaſphemantes Deum, legitimi Judices ad juſtè, pudicè & piè vivendum ſalutaribus pœnis impellant. Nos, quod noſtrûm eſt, faciamus; gratia, quod ſuum eſt, faciet. Sed ſi iſta non capit Phereponus, multò minus capere ego neſcio, cur ipſe loqui his verbis pergat: *Quis dicere ſuſtineat, qui modò pudore aliquo teneatur, nec omnem Religionis reverentiam exuerit, irritam planè eſſe verbi divini prædicationem, nec gratiam divinam cum ea conjungi, niſi accedat perſecutio?* Itam quæſo non profundat

Phe-

Phereponus. Non Auguſtinus, non Catholici unquam ſensêre, *irritam planè eſſe verbi divini prædicationem*, niſi illam perſecutio comitetur. Immo nos affirmamus, Evangelii potiſſimùm prædicationi Deum conjungere ſuam gratiam, ſuiſque gratuitis donis reſerare per illam aditum conſueſcere. Sed negari non poteſt, quin irritus quoque interdum ſit prædicationis iſtius effectus, vel quòd attentum animum ad illam homines non adhibeant, vel quòd pervicaciam & cœcitatem luci veritatis, & pulſanti gratiæ opponant. Atque utinam Judæi, Muhammedis ſectatores, Gentiles, & tot Hæretici, hujus calamitatis fidem nobis non facerent. Ergo ut ejuſmodi pertinacia & cœcitas amoveantur, atque ut animum in prædicationem veritatis ſolertiùs homines intendant, rigor & moderata ſeveritas interponuntur interdum à legitimis Regibus ſive Magiſtratibus, non ſinè ingenti animarum fructu. Qua in re, ut patet, non ſtatuunt Catholici vim animorum emolliendorum in vexationibus adhibitis, ſed in gratiæ divinæ efficacia, quæ his modis tum utitur, ut de pertinacibus hominibus, incurioſis, & nolentibus, attentos ad verba divina, & volentes faciat. Neque verò unquam à ſalutaribus hiſce pœnis Catholici diſjungunt prædicationem Evangelicæ veritatis, ſed potiùs ad eas tantummodo confugiunt, ut iſta prædicatio ſtudioſiùs auribus accipiatur, & in mentem fluat.

Ad Auguſtini Epiſtolam centeſimam quintam Phereponus notat, Auguſtinum nimio affectu occœcatum, in eo falſum fuiſſe, quod Donatiſtis, indulgentiam ſuæ factioni ab Honorio Imperatore conceſſam dictantibus, mendacium exprobrârit. Nam, inquit Phereponus, eo tempore (uti è Concilio Carthagine XVIII. Kal. Jul. Anni 410. habito conſtat,) libertas facta omnibus fuerat cujuſvis Religionis ſequendæ, ideóque non mentiebantur Donatiſtæ. Lectores autem ſuos Cenſor adire jubet Auguſtini vitam ab erudito Benedictino proximè præteritis annis elucubratam Lib. 6. Cap. 7 §. 2. ut Auguſtini errorem maniſeſtiùs intelligant. Nos Auctorem vitæ Auguſtinianæ adimus, & utique inde ediſcimus, aliquando ab Honorio Auguſtino per dolum expreſſam, & reverà promulgatam fuiſſe Legem Hæreticis faventem, quam non dubitamus, quin Donatiſtæ etiam in ſui favorem interpretarentur. Verùm Donatiſtas ab antiquis Legibus liberare animus Honorio non fuit; Epiſtola verò memorata Auguſtini (uti animadvertit & rectè infert eruditiſſimus Scriptor

vitæ ejuſdem) ſcripta fuit, anteà quàm reapſe libertatem cujuslibet Religionis colendæ conceſſiſſet Honorius, quanquam Donatiſtæ famam jam conceſſæ evulgarent. Quare intelligat Lector, quanta huic Cenſori habenda ſit fides.

Presbyterum quemdam Donatum, è factione item Donati, exiſtimantem, & identidem repetentem, *neminem cogendum eſſe ad bonum*, Auguſtinus ità alloquitur in Ep. 173. aliàs 208. ¶. 2. *Attende, quid Apoſtolus dixerit: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus concupiſcit. Et tamen tam multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec iis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Phereponus pag. 498. Animadv. primò difficilem ſe præbere videtur ad credendum, fuiſſe olim, aut nunc *eſſe, qui verè cogantur dignitates & opes Eccleſiaſticas accipere, cùm anteà nollent.* Scilicet nihil ille veretur in ſuſpicionem adducere omnia, & ubicumque eum inceſſit ipſi Auguſtino abrogare fidem. Et ſanè miror, hominem illum adhuc ignorare, vetari nos ab æquitate & caritate malè ſentire, immo non bene ſentire de aliis ſinè potenti ratione. Ut enim hominis improbi eſt, neminem alium credere velle probum; ità imperiti eſt negare, quod nunc ipſa teſtatur experientia, & multò magìs Auguſtini tempore teſtabatur. Numquid enim ille tam hebes, aut impudens fuerit, ut rem veluti vulgarem, & Donatiſtis compertiſſimam narraret, quæ multis jam non conſtaret exemplis? Immo complura antiquitatis monumenta, quæ hìc innuere ſupervacaneum puto, hoc idem adhuc dilucide teſtantur. Deinde Phereponus ità diſſerit: *Sed qui ità coguntur, putant etiam ipſi Epiſcopatum eſſe opus bonum; nec eum refugiunt, quaſi malum quippiam, ſed tantùm, quod ei oneri rectè ferendo impares ſè judicent. At Donatiſtæ malum per ſe eſſe ac Deo diſplicere, quamvis ea in re errarent, putabant id, quod facere cogebantur; nec vexationibus aliter ut ſentirent adduci poterant.* Detecto hoc Auguſtini paralogiſmo, res poſcebat, ut aliquo documento Lectores ſuos Phereponus dimitteret. Inquit igitur: *Itaque nihil ad rem hoc exemplum facit, nec adhibetur ab Auguſtino, niſi more eorum Rhetorum, quibus ſatis eſt vel leviſſima veriſimilitudinis umbra, ut ſibi rectè ratiocinari videantur; cujuſmodi hominibus nimis ſcatuerunt per multa ſæcula Chriſtianæ Eccleſiæ, ſed præſertim illo ævo. Optandum eſſet eos, qui publicè cauſam Eccleſiarum ſuſcipiunt, paulò ſtudioſiùs Dialecticæ & Rhetoricæ ſeveriori operam dare, ne tot ſophiſmata, ac inanes phaleras plebeculæ venditarent.* Et nos optamus, Eccleſiaſticos non ſolùm viros, ſed & omnem veri-

veritatis cultorem, Dialecticæ ac Rhetoricæ ſeveriori multum ſtudere, ut à ſophiſmatis ac inanibus phaleris abſtinere diſcant. Sed itidem optamus, ut Critici viri non minus Modeſtiæ, quàm Logicæ, ſtudeant, atque à petulantia temperent; neque generali cenſurâ quemquam, veluti indoctum, ſophiſtam, ac leviſſimarum mercium propolam, traducant, quòd ipſum aliquando erráſſe deprehenderint. Præterea optamus, ut magnos viros jam functos humanis rebus ſi quando emendandos ſuſcipiunt (quod certè per nos licet,) ſinè ſupercilio, ſinè malignitate emendent, *& modeſtè atque circumſpecto judicio de tantis viris* pronuntient, utì jam Quintilianus monebat; neque impotenter inſultent ingeniis tam benè de re literaria, & de Veritate, & de Religione alioqui meritis; immo non prius quempiam ex iis carpant, quàm ſibi ſatìs conſtet illorum error. An ab æquiſſimis hiſce honeſtíſque legibus Phereponus quidquam diſceſſerit, jam puto Lectores ſobrios atque honeſtos ante me dudum intellexiſſe. Sed hìc vix ille ferendus, quòd tam univerſali ſententia percellat Auguſtini ſæculum, quo floruêre tot illuſtres, magníque nominis, ac ingenii Scriptores. Multò minus ferendus, qui nobis exhibere audet Auguſtinum Logicæ ſtudiis perfunctoriè excultum, quando vix alium inter veteres offendere poſſumus, qui acutiori mente, & meliori Dialectices uſu, cùm res poſcebat, veritatem inveſtigârit, defenderit, & Sophiſmata caverit. Nam quod & apud illum paralogiſmus quandoque occurrere aliquis poſſit, non ingenio, non voluntati, non Logicæ neglectui tribuendum id eſt, ſed hominum conditioni miſeræ, cui nullus propterea inſultare ſibi licitum putat, niſi qui ſe hominem eſſe fuerit oblitus.

Sed quid, ſi ne hìc quidem Auguſtinus contra Logicam peccârit, ubi tanquam in opportuno loco ipſum ad Logicam addiſcendam amandare videtur Phereponus? Quid ſi Logicæ ſe minus gnarum, ne dicam Sophiſtam, hìc ſe Phereponus prodiderit, ubi ſophiſma Auguſtini ſibi redarguendum putat? Periculum faciamus. Quid ajebat Donatus ille Donati ſectator? *Neminem cogendum eſſe ad bonum. Deum dediſſe homini liberum arbitrium; ideo non debere cogi hominem nec ad bonum.* Hoc ex Auguſtini Epiſtola nuper laudata diſcimus. Quid Catholicus ad hæc reſpondere debuit? Num oſtendere, Donatiſtarum Schiſma eſſe malum, Unitatem Fidei & Eccleſiæ Catholicæ bonum eſſe? Id feciſſet inopportunè. Neque enim poſcebat Presbyter

Digitized by Google

Donatiſta, ut ſibi demonſtraretur, *bonum eſſe* redire in Catholicæ Eccleſiæ gremium. Non ajebat: *Neminem ad malum eſſe cogendum:* Ajebat: *Neminem cogendum eſſe ad bonum.* Hoc eſt, ut jam ſibi perſuaſerat *bonum eſſe*, quod Catholici ſibi inculcabant, aut ſaltem non negabat, & concedebat, *id eſſe bonum*, ajebátque *ſe ſic velle errare, ſe velle perire* in Hæreſi ſua, uti infrà Auguſtinus tradit. Quid aliud ergo Logicus vir ad Donatiſtæ effatum reponere debebat, niſi oſtendere, homines *ad bonum* quoque impelli poſſe, atque debere? Quod Auguſtinus appoſitè facit producto vulgari eorum temporum exemplo, cui vel ipſi Donatiſtæ nihil objicere vellent, eorum nempe virorum, qui ad Epiſcopatum ſuſcipiendum, hoc eſt, ad bonum amplectendum, cogebantur. Nihil ergo facit huc animadvertere, Donatiſtas malum putâſſe id, quod facere à Catholicis cogebantur. Ex Donati ultronea confeſſione aſſumebat Auguſtinus, id bonum eſſe. Tum ex Logicæ regulis id tantummodo evincebat, quod ſolum à Donato negabantur, videlicet, *cogi homines ad bonum debere.* Si *bonum* id eſſe negâſſet Donatiſta, tum Auguſtinus aliter ſibi ad negantem reſpondendum noviſſet. Quamobrem nemo Logicæ præceptis inſtructus non intelligat, quantum ad rem faciat illa Auguſtini reſponſio, & quantùm contrà à Logica alienum fuiſſet ea reſpondere, quæ ſi Phereponum audire volumus, reſpondenda tunc erant. Pudere deberet hominem Criticum tam ſupinè Cenſorem agere.

CAPUT X.

Non infamatur ab Auguſtino Eccleſia trium priorum ſæculorum, neque eidem affingitur aliqua diſſimulatio iniqua. Non omnis perſecutio improbata à veteribus Chriſtianis, ſed ea tantùm, quæ pro errore contra veritatem exercebatur. Neque Ethnici criminari jure potuiſſent pœnas moderatas in averſos à Religione vera ſtatutas. Auguſtinus erga Manichæos mitis, ſed non idcirco incuſandus, quòd ſalutares Hæreticorum vexationes deinde laudârit.

FAcilè ab iis, quæ ad Epiſtolam 185. olim 50. Auguſtini pag. 521. Animadv. habet Phereponus, expedire ſeſe poſſet,

poſſet, quicumque Donatiſtarum inſaniam, aut ex ipſius ſuprà memorati Presbyteri facinore, aut ex tot aliis Hiſtoriarum monimentis colliget, eóque magìs qui demum animadverterit, quàm nullis rationibus, ſed ſolùm indignis ſuſpicionibus omnia corrumpere, & denigrare Phereponus ſoleat. Quam artem ſi in iſto Cenſore probare velimus, jam nihil erit, in quod ſævire impunè non poſſimus, culpámque falſitatis conferre. Sed ne hìc quidem is ſinè reſponſo dimittendus eſt, quippe multùm exſpatiatur, ut oſtendat Auguſtinum non animadvertiſſe, quantùm ipſe univerſam Eccleſiam Chriſtianam trium priorum à Chriſto nato ſæculorum ſuis dictis infamaret. Qui tam malè Eccleſiam habeat Auguſtinus, videamus. Donatiſtis dicentibus, *non petiiſſe à Regibus terræ Apoſtolos talia*, hoc eſt, ut vulgò dicitur, non invocâſſe ſæculare brachium pro tutela Religionis veræ, Auguſtinus reſpondet in ead. Epiſt. 185. Cap. V. §. 19. *Quis tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret, quando adhuc illud Propheticum complebatur: Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Chriſtum ejus?* Tum addit, ex quo Imperatores Chriſtianæ Religioni dederant nomen, potuiſſe illos, & debuiſſe pro ipſa Religione tuenda, & errore profligando, leges condere, Chriſtianâ tamen moderatione dignas. Hinc Phereponus infert, Auguſtini mentem eſſe, à primis Chriſtianis improbatam non fuiſſe perſecutionem omnem: quod ſi verum eſſe ponimus, infamis ex Pheréponi ſententia fuiſſet Eccleſia ſub Ethnicis Imperatoribus, graviter ſemper de perſecutionibus, quaſi humanitati contrariis, conqueſta. Exſpectamus à Pherepono argumentum, quo palam fiat, tam abſurda conſectaria venire ex Auguſtini ſententia. Ecce *Si enim dicamus Chriſtianos antiquiores ea tantùm de cauſa vexationes damnâſſe, quòd in ipſos exercerentur, non in Ethnicos: habendi erant callidi diſſimulatores, qui tempori dumtaxat ſerviebant; cùm damnarent quaſi impia & inhumana, quæ ipſi lubentiſſimè feciſſent, ſi potuiſſent.* Tum è veſtigio hæc alia ſubjicit: *Neque enim vetuſtiores Chriſtiani damnabant perſecutionem, quam ipſi patiebantur, ſed omnem omnino, quæcumque eſſet.* Poſtrema hæc verba ſi perpendantur, quamvìs ſpeciem præferant rationis, & confirmationis ſuperiorũ, nihil tamen aliud continent quàm id, quod in quæſtione eſt. At quæſo non adferat pro re comperta Cenſor iſte, à vetuſtioribus Chriſtianis omnem omnino quæcumq; eſſet, perſecutionem damnatam fuiſſe. Hoc ille dicit,

dicit, ſed hoc illi adhuc demonſtrandum reſtat. Superiora ergo repetamus Phereponi verba, quæ ſanè ad rem propoſitam faciunt. Ad ea verò ità reſpondemus, antiquos Chriſtianos non ideo de vexationibus fuiſſe conqueſtos, quòd in ſe, & non in Ethnicos exercerentur; ſed quidem quòd exercerentur contra veritatem, & contra veritatis patronos, & in patrocinium patentiſſimæ impietatis, & infeliciſſimi & apertiſſimi erroris. Expoſtulantes de iniqua crudelitate nunquam negârunt, quin moderatæ perſecutiones aliquæ à legitimis Regibus exerceri licitè poſſent, ut ab impiis opinionibus pars populi ſibi ſubjecti liberaretur. Ergo nihil diſſimulabant Chriſtiani veteres, neque tempori ſerviebant, neque libentiſſimè idcirco Ethnicos perſecuti fuiſſent, ſi potuiſſent; nam quamvis id liceat, ægrè tamen à Catholicis ſemper factum eſt, neque parem Ethnicis vexationum menſuram reddidiſſent Catholici, neque alia præſtare cupiebant, quæ nunc ſibi Phereponus fingit; atque adeo ſententia Auguſtini veterem Eccleſiam minimè infamat.

Senſit Phereponus hæc ſibi illico reponenda eſſe; quare hanc nobis juſtam defenſionem eripere conatur, ità ſcribens pag. 521. *Non poterant dicere Chriſtiani, ſe veritatis eſſe patronos, Ethnicos mendacii. Nam quamvis verum hoc eſſet, controverſia illa etiamnum pendebat dum Ethnici contra ſentiebant; armaque eis in Chriſtianos, interea dum Chriſtiani ipſi fierent, ſuppeditabantur; nam dum ſe pro veritate ſtare illi putabant, debebant ex Chriſtianorũ ſententia vexare aliter ſentientes.* Quamvis Ethnici ſe pro veritate ſtare putarent, attamen Chriſtiani minus perſpicaces fuiſſent, & rationẽ convincendi, atq; exarmandi ſuperſtitioſi furoris nunquam prudenter iniiſſent, ſi perſecutionem omnem, quæcumq; ſit, damnâſſent. Tunc enim Ethnici, qui ſeſe elumbes planè ſentiebant, cùm eò res veniebat, ut Chriſtianos oſtenderent non pios, non veritatis patronos, ſe verò non impios, non mendacii ſectatores, vires reſumpſiſſent, & fortiſſimos, imò ex una parte invictos ſe præbuiſſent adverſùs Chriſtianam gentem. Nimirum dimiſſâ quæſtione illâ, utrobi, nempe, veritas & Religio vera ſtaret, lubentiſſimè in alteram quæſtionem invaſiſſent, num, ſcil. improbanda ſit perſecutio quævis. Argumentis autem tum à naturali ratione, tum ab omniũ populorum inſtitutis, tum ab ipſis Chriſtianorum SS. Libris, facilè ductis, oſtendiſſent, licere Magiſtratibus legitimis perſequi, & divexare, improbos ac impios, ut aut emendentur, aut juſtas dent pœnas. Nos contendimus,

mus ; in hujuſmodi controverſia rationibus obruendos fuiſſe Chriſtianos. Quòd profectò eorum apud Ethnicos bonam alioqui cauſam peſſumdediſſet, quaſi Chriſtiana gens, quam impiam, atque ſuperſtitioſam illi credebant, eâ falsâ opinione eximere ſeſe voluiſſet debitis impietati ſuppliciis. Saltem, ut quiſque intelligere poteſt, difficilis illa quæſtio difficilè compoſita fuiſſet, atque interim, dum componeretur, debacchari perrexiſſet confidenter in Chriſti gregem Paganorum furor. Reſtabat ergo, ut ad priorem quæſtionem, quam unam reverà nos dicimus agitatam, regrederentur Religionis Chriſtianæ patroni, contemptóque Phereponi conſilio, hoc ſolùm peterent, hoc probarent, nempe ab impietate, atque à ſuperſtitione nimiùm abeſſe Chriſti fidem; impium contrà, atque ſuperſtitioſum eſſe Idolorum cultum, atque Ethnicos pro veritate minimè ſtare. Si hîc vincebant Chriſtiani, ex ipſorum Ethnicorum ſententia divexandi ampliùs non erant; non enim illos, qui ſe pietatis & veritatis cultores probabant, ſuppliciis addicendos Ethnici credebant. At hoc facilè, & illicò, & invictè oſtendere poterant Chriſtiani, vel Pherepono judice: tantùm eminet ac patet ſuprà Ethnicorum ſuperſtitionem veritas Religionis Chriſtianæ. Quòd Chriſtiani tantùm ſerò profecerint, ſerò ſævitiam Tyrannorum evaſerint: non cauſæ infirmitati, non ſpreto Phereponi conſilio, tribuendum, ſed impotentiæ, & cœcitati Ethnicorum, quam hîc pluribus deſcribere non vacat. Non ergo, ut Pheréponus autumat, arma in ſemetipſos Chriſtiani ſuppeditabant Ethnicorum crudelitati, dum ſentiebant, licere perſequi impios; nam cùm ſe impios non eſſe è veſtigio & evidenter oſtenderent, ſimul etiam perſecutioni modus erat illicò faciendus. Miniſtrâſſent potiùs rationem perpetuò ſæviendi, ſi (quod Pheréponus eos feciſſe vellet) contendiſſent, ne in impios quidem & ſuperſtitioſos, & ſacrilegos licitum eſſe animadvertere, & iniquè vexari, quos ideò vexas, ut impietatem erroréſque nefarios contra divinitatem ejurent.

Non conquieſcit Pheréponus, ſed hæc addit: *Si potuiſſent prævidere Ethnici, ad fore aliquando tempus, quo morte mulctarentur Diis ſacra facientes à Chriſtianis Imperatoribus, nec ſine plauſu Epiſcoporum, licèt alioquin in partes abiiſſent; Chriſtianos infamâſſent, quaſi factioſos & malos homines, qui non dicebant, quod ſentirent, cùm Religionem liberam eſſe oportere clamitabant.* Tum orationem ſuam ità concludit: *Nec dubito quin Ethnici, qui ſupererant in Imperio Romano, & vicini etiam Idolatræ,*

U 5 *ut Per-*

ut Perſæ, talia Chriſtianis objicerent. Malè accidit vetuſtioribus Ethnicis, quòd hominem acutum, qualis eſt Pherepo- nus, illorum ætas ac ſuperſtitio non tulit. Eos enim iſte fortaſſe monuiſſet, ut in Chriſtianorum animos profundiùs inquirerent, ſéque diligentiùs liberarent à gente ſeditioſa, & vindictæ ſitim occultante. At nos æquiùs putamus, Ethnicos, ſi prævidiſſent, quæ verè à Chriſtianis Imperatoribus præcipienda erant, nullâ infamiâ aſperſuros fuiſſe Chriſtianam ſui temporis gentem; & ſiquidem feciſſent, iniqua, ut cæteræ aliæ, fuiſſet hæc etiam accuſatio. Nunquam enim clamitaverant Chriſtiani, non licere legitimis Principibus ſuperſtitionem & manifeſtam impietatem proſcribere, & ſalutaribus pœnis urgere impios ad meliorem ſententiam; ſed quidem ſuperſtitioſum & apertè ſacrilegum Idolorum cultum Chriſtiani appellabant. Deinde magna inter Ethnicorum & Chriſtianorum perſecutiones interceſſit differentia; quippe Ethnici invitos Chriſtianos coëgerunt, Ethnicos verò invitos nunquam coëgerunt Chriſtiani veterem ſuam Religionem ejurare. Imò quæ capitalia ſupplicia memorat hîc malevolenti animo Phereponus, in neminem decreta fuêre, quòd Ethniciſmo intimè addictus eſſet, ſivè quòd Chriſto nomen dare detrectaret; ſed in eos dumtaxat, qui externum Idolorum cultum, & nefaria ſacrificia, impióſque ſuperſtitionis illius ritûs vetitos exercere palam deprehenderentur. Quamobrem iniquè talia Chriſtianis exprobrâſſent Pagani, qui ſibi, cùm rerum potiebantur, fas eſſe cenſuerant, invitos etiam Chriſtianorum animos cogere timore mortis ad ejurandum Chriſtum, & Idola colenda. Iniquiſſimè autem tanquam ſeditioſos, & vindictam anhelantes dictitâſſent Chriſtianos, quos, uti Sanctus Cyprianus, Tertullianus, & alia antiquitatis monumenta teſtantur, obſequium & fides erga legitimos Reges potiſſimum commmendavit, quanquam in eum numerum & in eas vires excreviſſent, ut Paganorum jugum excutere ſecuri jam poſſent, & quanquam tam malè quotidiè haberentur à ſæviſſimis Tyrannis, ut non deſtitui patientia ad miraculum accederet. Quare ſi Chriſtianis ea, quæ Phereponus ſibi perſuadet, objeciſſent Ethnici ſuperſtites, ipſi nunquam ſanè ad Chriſti Religionem inviti coacti: habebant Chriſtiani, quo eis ora ſtatim obſtruerent, ſéque à ſimulationis, & perfidiæ, & crudelitatis nota defenderent.

Cùm non ſint, niſi ſuſpiciones inanes, & odii dumtaxat ac livoris teſtes, prætereo notas, quas Phereponus habet ad

Serm.

Serm. CCCLIX. Auguſtini. Alia nos vocant. Quàm ſincera Catholicorum, ſaltem plerorumque, caritas foret in Donatiſtas, jam ſuprà docuimus, & eorum temporum Hiſtoria luculentiſſimè docet. In animadverſionibus autem ad Cap. 2. §. 2. Libri contra Epiſtolam Manichæi exoſculatur Phereponus ea Auguſtini verba, quibus ſe à perſecutione alienum, & manſuetiſſimum erga Manichæos præbet. *Illi*, inquit Auguſtinus, *in nos ſæviant, qui neſciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficile caveantur errores. Illi in vos ſæviant, &c.* Sed oppido Cenſor dolet, Auguſtinum ad mortem uſque in tam pia ſententia non perſtitiſſe; nam hunc Librum ſcripſit S. Doctor circiter Annum Chr. 397. Anno autem 412. planè mutaverat mentem. Ne nos quidem inficias imus, quin pia fuerit illa Auguſtini ſententia; ejúſque verba nos quoque altè in eorum animos immiſſa vellemus; qui nimio interdum rigore in Hæreticos ſæviunt, & perdere, quàm ſanare malunt errantes. Verùm debuit Phereponus oſtendere, impiam fuiſſe alteram ſententiam, in quam ſe meliori conſilio tranſiiſſe poſteà Auguſtinus ipſe fatetur. Nos æquè piam, & Juſtitiæ conſonam, & prætereà Eccleſiæ ipſiſque pertinacibus atque phreneticis utiliorem ſæpè numero eſſe alteram etiam, dicimus. Ut enim pium eſſe poteſt facinoroſis parcere, & non ſævire in improbos, quia peccare humanum eſt, atque à vitiis criminibúſque difficile abſtinere ſe poſſunt homines, virtutémque ſectari; ità pium, & æquum, & Reipublicæ, ipſiſque ſceleſtis utile eſt, in eos interdum ſævire, ut aut ipſi aut eorum exemplo cæteri emendentur. Neq; aliter tum ſentiebat Auguſtinus, vel cùm in priore ſententia fuit; ſiquidem ſcribit in eodem Lib. Cap. I. *Dominum per ſervos ſuos regna ſubvertere erroris, & emendandos eſſe potiùs quàm perdendos* errantes. Ad emendandi autem rationem pertinere ait ſupplicia, exilia, orbitates, & moleſtias corporis. Cur verò mitiorem in Manichæos agendi formam probaret Auguſtinus ipſe docet, quia olim ejuſmodi errore deceptus difficillimè ad lucem veritatis evaſit. Cæterùm cùm ait: *Illi in vos ſæviant, &c.* Dubitare cogor, nũ reſpiciat ad juſtas punitiones, ſivè ad ſalutares pœnas à legitimis Magiſtratibus in Hæreſim peſtilentiſſimam decretas; an potiùs ad rationem diſputandi, eoſq; coarguendi, quæ cùm aſpera & ſæva eſſe poſſit, lenis tamen potiùs Auguſtino uſurpanda videtur. *Ego*, inquit Cap. 3. §. 3. *ſævire in vos omninò non poſſum, quos ſicut meipſum illo tempore, ità nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerũt proximi mei, cũ in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarẽ.*

Augu-

Auguſtinus certè ſævire flagris, & caſtigationibus in Manichæos non poterat; poterat quidem diſputatione ac Libris. Quodcumque tamen intelligas, certè nuſquam ibi Auguſtinus damnat, uti Phereponus ſibi perſuaſit, promulgatas à Chriſtianis Imperatoribus in Manichæos leges. Quòd autem Phereponus miratur, ab Auguſtino cœptas eſſe probari Hæreticorum perſecutiones, eodem tempore, quo gratiæ ineluctabilis inſpirationi omnes bonas hominum actiones tribuere cæpit: jam diximus, divinam gratiam prædicationibus, cohortationibus, miraculis & ipſis etiam ſalubribus vexationibus uti, ut viam ſibi ſternat in hominum corda, quibus nunquam adimit eſſentialem voluntatis libertatem. Valdè autem fallitur Cenſor, *ſi ineluctabilis gratiæ* nomine ſignificare vult, *neceſſitantem* (ità liceat loqui) & Calvinianam gratiam Auguſtino placuiſſe. Non alia hîc ei fuit ſententia, quam Catholicæ Eccleſiæ, ut jam doctiſſimi viri demonſtrârunt; quare nil mirum, ſi cum ea Auguſtinus componeret ſententiam de juſtè adhibendo rigore in pervicaces Hæreticos.

CAPUT XI.

Donatiſtæ multorum criminum rei, & puniendi quoque ex legibus politicis. Probata ab ipſo Deo moderata Hæreticorum vexatio. Inepta declamatiuncula à Pherepono aſſicta veteribus Chriſtianis, qui perſecutionem Ethnicam ideò injuſtam vocabant, quia pro impietate erat. Maxima diſparitas inter Ethnicos, & Chriſtianos Imperatores, quod eſt ad vexationem ſubjectæ gentis. Ad ſummas poteſtates pertinet coërcere impios, & à vera Religione devios.

Libenter jam dimitterem iſtam quæſtionem, ſi Phereponus, quem nimiùm urunt Dordracenæ Synodi tempora, & parium infortuniorum timor, finem loquendi hac de re facere poſſet. Tanquam ergo nihil hactenus attuliſſet, in Auguſtinum animoſiùs iterum inſurgit, cùm hujus Librum primum contra Epiſtolam Parmeniani commentatur. Decreverat Conſtantinus Auguſtus in Donatiſtas, non ſemel in Cœciliani accuſatione falſi convictos, animadvertere.

tere. Hoc immaniter, & Oſio Epiſcopo ſuggerente, à Conſtantino factum, criminabatur Parmenianus. Iterùm Hæretico ſuccinit Phereponus p. 602. & ait: *Donatiſtæ propterea occidi non debuerunt, quòd de Cæciliano probare non potuerant, traditorem fuiſſe, aut à traditoribus ordinatum; vel quòd ſeceſſionem feciſſent, quamvis immeritò, à reliquis Eccleſiæ Chriſtianis; ſi modò legibus civilibus cæteroqui parerent. Hæc delicta & vulnera mitioribus remediis curanda fuerunt.* Quaſi civiles Leges graviſſimè non lædat, qui calumniis alterum petit; quaſi ſeveriſſimæ pœnæ ab iiſdem Legibus propoſitæ antiquitùs non fuerint contra Calumniatores, & falſos accuſatores, eóſque potiſſimum, qui *ultimo judicio ſuperati, Imperatorem gratiâ corruptum fuiſſe criminabantur*, quales, ut ex Auguſtino intelligimus, Donatiſtæ fuêre. Quo autem ſupplicio dignos ex ipſis etiam civilibus Legibus non reputaret Conſtantinus Donatiſtas, qui ad judicium ſuum toties appellârant, toties falſi convicti fuerant, & tamen Imperialia Decreta flocci facientes, quaſi cauſam obtinuiſſent, furioſo Schiſmate (cui falſa ipſa accuſatio originem dederat) tam pervicaciter Eccleſiam dilaniare atque infamare pergebant? Attamen Conſtantinus, ipſius forſitan Oſii precibus delinitus, longè mitiori ſententiâ, quàm mererentur, Donatiſtas compreſſit, uti ex Hiſtoria conſtat: quod non ſatis conſiderâſſe aut conſiderare noluiſſe Phereponus videtur.

Capite 9. ejuſdem Lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani de Hæreticis ità ſcribebat Auguſtinus: *In quos ex occulto Imperio Dei, per manifeſtum hominem Imperium, multa quibus coërcerentur ſeveriſſimè conſtituta ſunt; nec ſolùm Hæreticis quoquo modo ſaltem Chriſtiano nomine dealbatis, ſed etiam ipſis Paganis, &c.* In hunc locum ità ſcribit Phereponus pag. 603. *Rectiùs dixit Auguſtinus, quàm putabat, occultum eſſe Imperium Dei de vexandis Hæreticis; nam profectò adeò in Apoſtolorum ſcriptis latet, ut ne ipſe, ne alius quiſquam id proferre adhuc potuerit.* Tum addit, eo latente imperio, excuſari non poſſe Chriſtianos Imperatores, *qui Ethnicos imitati meras opiniones pro delictis habuerunt*, & contra ſentientes gravibus pœnis affecerunt. Non enim res tanti momenti, *& cujus ſunt tam horrendæ ſequelæ*, unquam à Chriſtianis tentanda erat, Deo non tantùm tacente, ſed etiam tot & tantis de amore in univerſum humanum genus iteratis præceptis diſertiſſimis ſatis apertè rem vetante. Quod eſt ad Auguſtini verba, nemo non intelligit, *occulto Dei Imperio* ſignificari internam illam inſpirationem, quâ Deus cùm Reges, tum cæteros homines ad optimas & juſtas leges condendas, & ad virtutis ope-

opera occultè ſolicitare ſolet. Phereponus verò *Imperium Dei*, ſivè præceptum, de vexandis Hæreticis apertè conſcriptum in Apoſtolorum Libris exigit ab Auguſtino, quaſi ab Apoſtolis omnia Regum Jura Litteris conſignanda fuerint; quaſi Jus Regum in pervicaces Hæreticos, ſibi atque Eccleſiæ ſubjectos, ex ipſis Apoſtolorum, aliarúmque ſacrarum Litterarum locis, ritè non deducatur; & luculentiſſimè demum non perſuadeatur à recta ratione. Certè Hæreticorum vexatio res magni momenti eſt; ſed nos nullas inde *adeo horrendas ſequelas* novimus, aut ſaltem non alias, quàm quæ comitantur vexationem juſtam malorum ac improborum hominum. Ut enim iſtos ad meliorem frugem, ità illos ad meliorem mentem Magiſtratûs legitimi, diſpari tamen ſeveritatis genere, pertrahere nituntur. Quòd cùm accidit (& ſæpè de Hæreticis accidiſſe notum eſt) optima eſt vexationis adhibitæ ſequela tum homini emendato, tum Regi emendanti: quæ certè optima ſequela longè ſuperat & penſat quæcumque Phereponus afferre contra poſſit. Homini autem non minùs timendum ſibi eſt ex impiis opinionibus, è contemptu Eccleſiæ, ex Hæreſi & Schiſmate, quàm ex malis moribus. Proinde vituperare non poteſt moderatas Imperatorum Leges in Hæreticos, niſi qui pravas de Religione opiniones nihil hominibus, nihil Eccleſiæ veræ, nihil Reipublicæ nocere ſentit, & iniquum putat urgere errantes, & pervicaces ad veritatem dignoſcendam atque amplectendam, ſivè cuſtodiendam. Neque verò quod tot præceptis amorem in humanum genus expoſcat Deus, idcircò vexationes moderatæ in Hæreticos interdictæ dicendæ ſunt. Nam vel ideò nos illas ab ipſo Deo probatas affirmamus, quia ex amore ſivè caritate in Hæreticos exercentur, quos non minùs quàm nos veritatis aſſeclas & erroris expertes vellemus, ut ipſi quoque nobiſcum Deo miſerante ab ira ventura liberentur. Amat & qui caſtigat. Innumera id exempla oſtendunt; & Judicum in primis, qui juſtis pœnis nocentes plectunt, ut perverſas eorum voluntates ſanent. Alioqui ne morum quidem crimina Deus amantiſſimus hominum aut punita vellet, aut ipſe puniret. Sed quod Cenſorem iſtum in tot paralogiſmos conjicit, illud eſt, quod tam Ethnicorum, quàm Catholicorum, atque Hæreticorum ſententias de Religione pari gradu habet tanquam meras opiniones; hoc eſt, à certitudine æquè diſſitas: qua in re an non ipſe, qui tamen ſe Chriſtianum dicit, deſipiat, eruditi judicent.

Ad

Ad Ethnicos Phereponus ſe rurſus confert, quos capitali ſupplicio, ſi ſacra Diis ſuis feciſſent, mulctandos, decretum eſt ab Imperatoribus Chriſtianis. Crudelem appellat Cenſor, & Chriſtianâ manſuetudine prorſus indignam hanc legem. Auguſtino autem hujuſmodi edicta laudanti talia reponit Phereponus pag. 603. *Hæc ſi poſſent laudari, omnia à Chriſtianis, per tria prima ſecula dicta contra perſecutionem Religionis causâ, quaſi ſtulta aut malâ fide dicta, eſſent habenda. Stultum enim id oppugnare, quod æquiſſimum eſſe putares; nam non perſecutio ipſa quaſi per ſe mala, potuiſſet ab iis oppugnari, ſed tantùm quæ fieret contra rectè ſentientes.* Crambem recoquere nos cogit Phereponus, & reponere, oppugnatam à Chriſtianis fuiſſe non omnem perſecutionem, ſed eas tantummodo, quæ exercentur in veræ Religionis perniciem, ac in tutelam impietatis. Id ergo olim oppugnabant Chriſtiani ſuis vocibus & ſcriptis, quod iniquiſſimum eſſe putabant, cùm nempè ab impiis Ethnicis in Chriſtianos recta ſentientes fieret; æquiſſimum verò putabant, ſi pro veritate contra errorem factum fuiſſet. Quæ hîc quæſo umbra ſtultitiæ? At inquit Phereponus: *Cupiebant Chriſtiani ab Ethnicis, dum Ethnici erant, omnem perſequendi animum abjici; hoc eſt, ſe ab iis non vexari, quamvis Ethnici crederent eos in errore verſari, quod multis locis probari poſſet.* Nos expectamus teſtem, aut rationem aliquam, quibus demonſtraretur, Chriſtianos omnem olim, quæcumque eſſet, perſecutionem deteſtatos. Phereponus affert id ſolùm, quod in quæſtione eſt. *Multis locis*, inquit ille, *probari id poſſet.* Cur tam avarus eſt, ut ne unum quidem producat? At nos legimus Chriſtianorum veterum Apologias, Juſtini, Athenagoræ, Minutii, Tertulliani, Cypriani, & ſimilium, & nihil tale reperimus. Toti illi ſunt in demonſtranda veritate & probitate ſuæ Religionis, in calumniis evertendis, in Ethnicorum impietate, ac injuſtitia prodenda: quo facto rectiſſimè concludebant, iniquam eſſe perſecutionem, quam ſuſtinebant, atque adeò ab ipſa ceſſandum.

At Phereponus, lubenter dimiſſis veterum teſtimoniis, mirabilem rationem loco eorundem de ſuo penu educit, ità ſcribens: *Quòd ſi Chriſtiani perſecutionem non improbabant, ſi modò à rectè ſentientibus in errantes exerceretur; oportuiſſet eos, ſi animum nudare voluiſſent, ſic Ethnicos alloqui: Nunc quidem, dum infirmiores ſumus, ô Ethnici, à vobis diſſentientes clementer fieri cupimus. Sed ſi quando rerum potiemur, ne fallamini, non eamdem clementiam vobis præſtare ſtatuimus: Aras,*

Aras, Templa, ac ſimulacra omnia evertemus, ſacrificiáque veſtra ità vetabimus, ut ſacra Diis veſtris facere vobis capitale futurum ſit. Intereà vos oramus, ut erga nos clementer vos geratis, dum ſuperiores eſtis, quamvis, ſi unquam Imperatores Chriſtianos habere poſſimus, vos quaſi impios ſimus interfecturi, ſi Religionis veſtræ cultum tueri velitis Poſt hunc locum, quem integrum afferre placuit, ne ſitâ in ipſo victoriæ ſpe fraudaretur Pherreponus, nemo, ſi eidem credimus, non intelliget, aliter quàm Auguſtinus ſentire debuiſſe Chriſtianos vetuſtiores. *Hæc enim,* inquit Cenſor, *ſunt neceſſaria ſententiæ Auguſtinianæ conſectaria.* Nos verò nullum aliud conſectarium tam elegantis orationis à Pherepono confictæ videmus, niſi Phereponum ipſum in declamatoriis coloribus addiſcendis non fruſtrà collocâſſe tempus. Nam qui trutinà ſeveriore ſententiam Auguſtinianam expendunt, hæc tam *neceſſaria conſectaria* aſſequi intellectu non poſſunt. Primò ergo dicimus, veterum quoq; Chriſtianorum ſententiam fuiſſe, licere Magiſtratibus legitimis coërcere impietatem, ac ſuperſtitionem, quæ verè talis eſſet. Pro iis *multis locis,* quibus contrarium oſtendi poſſe, ajebat quidem Phereponus, in ſpeciem minans, ſed non ſine induſtria à proferendis abſtinens, nos pauca dabimus. Juſtinus Martyr in Apologia ſecunda, quæ nunc ab eruditis prima dicitur: ἡμεῖς μὲν γὰρ πρὸς οὐδενὸς πείσεσθαι π κακὸν δύνασθαι λελογίσμεθα, ἢ μὴ κακίας ἐργάται ἐλεγχώμεθα, ἢ πονηροὶ διεγνώσμεθα. Id eſt: *Noſtra,* inquit, *ratio eſt, à nemine nos quidquam mali pati poſſe, ſi non aut malefici coarguamur, aut pravi cognitâ causâ judicemur eſſe.* Infra ſubdit; *Oramus, ut quæ Chriſtianis objiciuntur crimina, inquirantur; atque ſi ità ſe habere probata fuerint, pro eo atque par eſt, puniantur, ſeu potiùs acriùs etiam puniantur.* Præcipuum autem crimen Chriſtianis objectum, Impietas ac Irreligio fuit. Quare Juſtinus ab ipſo in primis purgat Religionem Chriſtianam, ejúſque cultores, atque doctrinam. In eadem verba ſcribit Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis. *Trium flagitiorum infamem rumorem de nobis ſpargunt; Impietatem, Epulas Thyeſteas, concubitus inceſtos,* ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, οἰδιποδείους μίξεις *Quæ ſi vera ſunt, nulli vel ſexui, vel ætati parcite, ad pœnas rapite, &c.* Tum rogat, ut ſi commenta hæc ſint, atque calumniæ, à ſæviendo temperent contra juſtitiam. Rogat, ut de Chriſtianorum vita inquirant, quam innocentem invenient, & de eorum opinionibus, quas veras & pias non cognoſcere nequibunt. Impietatis autem calumniam ſibi primo loco ſuſcipit diluendã.

Num

Num ergo perſecutionem quamcumque, an illam tantummodo, quæ contra probos, piéque ac rectè ſentientes fit, damnarent Chriſtiani antiquiores ex his judicent æqui Lectores. Tertullianus itidem, quamvis unà cum aliis meritò conquereretur, à Romanis Chriſtianos propter diverſas de Diis opiniones tam crudeliter vexari, cùm tamen reliquis Philoſophis in Imperio Romano liberum foret, quæ vellent de Diis, & de Religione Ethnica ſentire: idem, inquam Tertullianus Cap. X. Apologet. agnoſcit, Chriſtianos jure ac merito fore plectendos, ubi falſa & impia eſſe oſtenderetur eorum ſententia de Diis, *Scimus*, inquit, *Deos non colendos. Itaque Sacrilegii, & Majeſtatis rei convenimur. Summa hæc cauſa, imò tota, & utique digna cognoſci, ſi non præſumptio, aut iniquitas judicet; altera quæ deſperat, altera quæ recuſat veritatem.* En quo in loco ſtatuat ille totum quæſtionis cardinem. In opinionum videlicet examine. Si vera de Diis ſentiant Chriſtiani; injuſta vexatio fuerit. Sin impia & ſacrilega; tum juſta perſecutio. Addit propterea. *Exigere debetis, uti probemus, non eſſe illos Deos, & idcirco non colendos; quia tunc demum coli debuiſſent, ſi Dii fuiſſent. Tunc & Chriſtiani puniendi, ſi quos non colerent, quia putarent non eſſe, conſtaret illos Deos eſſe.* Quibus ex verbis plane videas, non ſolùm non improbatas, ſed probatas à veteribus Chriſtianis perſecutiones, cùm contra errorem ac impietatem fiebant: quæ ipſa Auguſtini ſententia eſt.

Ergo non inquiat Phereponus, quæcumque ab iis Chriſtianis dicebantur contra perſecutionem adverſus ſe commotam, malâ fide fuiſſe dicta. Damnabant ii atque deteſtabantur perſecutionem injuſtam, qualis apertiſſimè erat, quæ contra eoſdem fiebat; non autem damnabant, quæ juſtè fieri poterat contra patentiſſimam Ethnicorum impietatem. At Phereponus reponit: Ergo animus erat Chriſtianis perſequendi, cùm poſſent, Paganos, & *oportuiſſet eos, ſi animum nudare voluiſſent*, ad Ethnicos loqui concinnâ illâ oratione, quam nuper ex ore ipſius excepimus; *aut certè nihil obſtabat, quominus eorum dicta ſic interpretarentur Ethnici, ſi Chriſtiani credebant, quod hiſce temporibus credebant Auguſtinus.* Mirum eſt, hominem acutum nondum perſpexiſſe, aut perſpicere non potuiſſe, quantùm interſit inter ſentientem, licere aliquid facere, & volentem, ſive cupientem facere id quod licitũ creditur. Chriſtiani veteres utiq; arbitrabãtur; fas eſſe impios vexationibus moderatis ad meliorem ſententiã incitare. At quis Logicã veram edoctus inde veluti neceſſariũ conſectariũ deducat: ergo & cupiebant perſequi

impios? Innumera ſunt, quæ facere licet; & tamen homines facere neque cupiunt, neque volunt, quia & ipſum non facere licitum eſt. Ridiculum prætereà eſt, eam Chriſtianis affigere orationem, cùm Chriſtiani illi nondum ſcirent, an opus aliquando futurum foret ſuppliciis ad cohibendam Ethnicorum ſuperſtitionem; & an Ethnici omnes Chriſti fidem ultrò non eſſent amplexuri; & an Imperatores ſibi addictos tam citò habitura eſſet Chriſtiana Religio. Deinde num ſpectabat ad privatos Chriſti fideles dicere: *Nos ſtatuemus, nos evertemus, nos vetabimus*, nos perſecutionem faciemus? Regum, non privatorum, iſta ſunt jura; & velle talia ad Reges pertinet, non ad ſubjectos. Neque adeò inepti erant Chriſtiani illi, ut incertam voluntatem Imperatorum futurorum tam circumſcriptæ, tam fidenter in Ethnicos interpretarentur, cùm ne certum quidem ſibi foret, quis rerum ſtatus futurus eſſet, cùm Eccleſia hujuſmodi Imperatores habitura erat. Quod ab Ethnicis interrogati reſpondere poterant, illud erat: An Imperatores, (ſi quando ſocietas Chriſtianorum habebit) contra vos aſperi quicquam ſint conſtituturi, nos latet. Scimus quidem, ſi id ab ipſis fiet, licitè faciendum ex veſtra ipſorum opinione: quâ fas licitúmque creditis impios & ſacrilegos vexare, ut ad veritatem aſſurgant. Quod eſt ad nos, paratiſſimi ad oſtendendum ſumus, & evidenter oſtendemus, ſi nos audire ſuſtinebitis, ſi æquas aures præbebitis rationibus, unam noſtram Religionem veritatis & pietatis eſſe Magiſtram; atque adeò nullum vobis juſtum eſſe titulum tam crudeliter ſæviendi in Chriſtianam gentem.

Sed quod Phereponianæ declamationis abſurdum auget, eſt comparatio inſtituta inter perſecutionem ab Ethnicis in Chriſtianos, & alteram à Chriſtianis in Ethnicos commotam, quam poſtremam Phereponus invidioſiſſimè commemorat, & lepidè ex ipſo Chriſtianorum ore audire nos facit. Neminem ex Ethnicis interficiendum ſanxere Chriſtiani Imperatores, quòd Ethniciſmo adhæreret, quòd ſuperſtitionem minimè ejurare vellet, quòd Religionem Chriſtianam non amplecteretur. Vel Honorii, & Auguſtini tempore ingens Paganorum copia pacificè agere ſinebatur intra fines Imperii Romani, & in ipſa urbe: imò ad Conſulatum uſque aſcendebant Proceres apertè Pagani. Quid hîc quæſo ſimile cum perſecutione deterrima ab Ethnicis tamdiu facta, cujus erat ſcopus invitas Chriſtianorum voluntates, ſine rationum pondere, & ſolo mortis metu, cogere ad abnegandum Chriſtum, & ad colendos mortu-

mortuos Deos? Quid ergo adverſus Ethnicos ab Imperatoribus Chriſtianis conſtitutum eſt: Nempe externum Ethnicæ Religionis, ſivè ut meliùs dicam, publicum ſuperſtitionis exercitium Cæſareâ lege interdictum, & capitale ſupplicium contra inobſequentes propoſitum fuit. Hanc legem *crudelem, & chriſtiana manſuetudine prorſus indignam*, Pherepono appellare placet. Verùm vel ex ipſis Hæreticis Principibus nemo licitum ſibi nunc non putat, cùm externum cultum, publicúmque exercitium interdicere illarum Religionum, quas impias & ſacrilegas eſſe credit, tum inobedientes extremis plectere rigoribus. Petat homo ille à Batavis ſuis, ab Anglis, & reliquis Proteſtantibus, num id facere liceat, quando licitum ſibi omnes duxerunt (in hoc tamen errantes) à ſuis proſcribere finibus ipſius Catholicæ Religionis exercitium: quam, ut cæco odio ferantur, comparare nunquam audebunt cum impia & manifeſta Paganorum ſuperſtitione. Prætereà videat novus iſte Patronus Ethniciſmi, quî nunc audeat crudelitatis poſtulare Imperatores, quòd in ſuo Regno tolerare noluerint publicum Idolorum cultum, quem tantopere execrantur divinæ litteræ, & eradicandum jubet Deus; & non eradicare cùm poſſis, crimen eſt, intactâ tamen in hominibus ſubjectis arbitrii libertate relictâ. Talia ab homine Chriſtiano, & nequaquam hebete, expectanda non erant; eóque minùs, quòd ipſos Chriſtianos ità loquentes inducat, ut videantur liberas Ethnicorum voluntates olim coëgiſſe ad Chriſti fidem, & multis cædibus eorum fregiſſe contumaciam: quod falſiſſimum eſt.

Pergit Pherepomus pag. 603. & adverſus Auguſtinum demonſtrare conatur, minimè pertinere ad Imperatorum poteſtatem coërcere, vel punire impios, & à Religione vera alienos. Inquit autem, ſummis Poteſtatibus demandatam ſolùm fuiſſe legum civilium, & publicæ tranquillitatis tutelam nullam verò ſocietatem eſſe, quæ iiſdem poteſtatibus detulerit *curam opinionum, præſertim Theoreticarum, ità ut eas ſanciant, quæ ipſis placebunt, proſcriptis omnibus aliis atque auctoritate ſuâ, & armis, ſi neceſſe ſit, è Republica eliminatis.* Tum addit, neminem tam inſanū eſſe, qui putet ſibi neceſſe eſſe ſequi opiniones ſummæ poteſtatis, alioquin iñumera inde cōſequerentur abſurda. Sed quid attinet ultrà immorari in illius rationibus referendis? Quæcumq; ille habet, quadrare forſitan poſſunt in Batavorum, & Anglorum πολιτείαν, apud quos ſæculares Poteſtates, ſive civiles Magiſtratus, ſibi Jus perperam arrogant dirimendi Religionis negotia atque controverſias; & apud quos (ſi principia ſequi

 velint,

velint, propter quæ à Catholica Eccleſia ſeſe diſjungere licitum putârunt) nullis Conciliis, & ne ipſi quidem Eccleſiæ ſuæ; in fidei cauſis, certa ab errore immunitas tribui poteſt. Apud illos, inquam, jure conqueri poteſt Pherepo-nus Arminianus, quòd Arminianos Hæreticos Calviniſtæ potentiores minis & pœnis olim à ſententia dimovere voluerint, cùm certè ſecundùm eadem principia magis iſti quàm illi de veritate ſuarum opinionum certi eſſe non poſſint. Et nos habemus, quod Prudentius περὶ στεφ. De Gallieni Cæſaris edicto habet,

Damnes, ſi ſapias, anile dogma.
Juſſum eſt Cæſaris ori Gallieni.
Quod Princeps colit, colamus omnes.

Verùm hæc neque in Religionem Catholicam, neque in Catholicos Imperatores quidquam conveniunt. Nemo noſtrûm dicit, nos ſequi oportere ſummarum Poteſtatum Religionem, quæcumque ſit; nam Regibus terræ nunquam Deus pollicitus eſt, eos in veritatis partibus ſemper futuros, neque eorum judicio dimiſit Religionis veræ criterium. Eccleſiam dicimus audiendam & ſequendam eſſe. Evidenter oſtendimus, contra Ethnicos aliáſque à Chriſto aversas gentes, veram in iſta Eccleſia Religionem reperiri; & adverſus Hæreticos æquè evincimus, huic uni Eccleſiæ concedendum, & obtemperandum eſſe in quæſtionibus & judiciis ad Religionem pertinentibus. Huic igitur Eccleſiæ ipſi quoque Reges parent, nihil in hoc à cæteris Chriſtianis diſſimiles; ſed ipſorum Regum eſt cùm Religionem iſtam veram, tum Eccleſiam ipſam, ejúſque unitatem auctoritate ſuâ tueri. Ut igitur verum eſt, ſummis ſeculi Poteſtatibus nunquam conceſſum fuiſſe jus decernendæ Religionis veræ aut ineluctabilis judicii ferendi de opinionibus ad Religionem ſpectantibus; ità falſum eſt, ad ſummas ipſas Poteſtates non pertinere defenſionem cœleſtis Religionis, & unitatis Eccleſiaſticæ. Primum Reipublicæ vinculum Religio eſt; & nihil magis hominum intereſt, quàm aut veram ipſam Religionem cognoſcere, aut in ipſa permanere, cùm & ideò in mundum invehantur, corporíque copulatæ hîc peregrinentur animæ, ut Deo vero ſerviant, & intelligant quid de ipſo ejúſque operibus credendum, quiſve ei cultus ſit exhibendus. Nemo ergo non videat, non à populis tantùm, ſed ab iſto Deo demandari Principibus curam arcendæ impietatis, & ſervandæ, ac propagandæ

Digitized by Google

dæ Religionis illius, quæ certa & divina probari poteſt; quippe quòd apertè in civilem animorum concordiam, in Dei honorem, atque incredibilem utilitatem populorum poſt mortem, cura iſta redundet. *Quis mente ſobrius* (utar Auguſtini verbis in Ep. 185. Cap. V. §. 20. olim 50.) *Regibus dicat: Nolite curare in Regno veſtro, à quo teneatur, vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri? Non ad vos pertineat in Regno veſtro, quis velit eſſe ſivè religioſus, ſive ſacrilegus: quibus non poteſt dici: Non ad vos pertineat in Regno veſtro, quis velit eſſe pudicus, quis impudicus?* Uſque adeò autem verum eſt, Religionis tuendæ curam ſummis Poteſtatibus traditam, & velut à natura inſitam eſſe, ut vix ulla oſtendi poſſit Reſpublica, quæ contra impietatem, contra violatores ſuæ Religionis, Leges aliquas non condiderit, quanquam illa ſæpè Religio falſa ac ſacrilega fuerit.

CAPUT XII.

Poſito in Regibus jure vexandi impios, nulla Chriſtianis, aut ſaltem Catholicis imminere debent incommoda apud Ethnicos & Muhammedanos. Religio Chriſti manifeſtè vera, eámque tueri pertinet etiam ad Reges. Pœnæ utiles, ut Hæretici in veritatem attentiùs oculos convertant. Quam ſanctitatem in ſubjectis exigere debeant civiles Leges. Diſſenſiones in Religione politico quoque regimini noxiæ. Lactantii locus explicatus. Eccleſiæ Catholicæ aperta veritas, & potiſſimum in controverſia cum Donatiſtis.

AT, inquit Phereponus pag. 603. *Si dixeris, non licere errantibus poteſtatibus facere, quod licet rectè ſentientibus, in labyrinthum inexecrabilem te conjicies. Nam quis demum judicabit hic de errore? Credunt Ethnici, credunt Mahummedani, credunt Hæretici Principes te errare, qui te putas rectè ſentire, ac proinde te vexare debebunt, niſi fortè velis tibi ſoli ab omnibus credi, à te verò nemini; quod furioſum eſſet* Quæſtio noſtra eſt, num Regibus liceat moderatis vexationibus impios & à veritate fidei alienos ſolicitare ad amplectendam Religionem veram. Magnum incommodum, ſi id licere affirmemus, inde minatur Phereponus; arreptâ enim hâc ipsâ opinione, Ethnici, Muhammedani, ac Hæretici Principes, quibus perſuaſum eſt, ſe benè ſentire, cæteros verò à germana Religione abeſſe, in poſterum ſibi jus tribuent debacchandi in rectè ſen-

Digitized by Google

ſentientes Fateor & ego non leve futurum hujuſmodi incommodum. Sed velim ſcire, num Phereponus putat, aliquid deſinere eſſe licitum ac bonum non alia de cauſa, quàm quod eâdem ipsâ re impii & ſceleſti illicitè ac malè utantur, aut uti poſſint. Licita & bona eſt auctoritas legitimis Principibus delata puniendi ſontes & facinoroſos. Certè à ſua bonitate jus iſtud non cadit, quòd ſivè mali, ſivè errantes Principes inſontibus quandoque noceant aut nocere valeant; Religionem veram amplecti, defendere, perſuadere cæteris, & propagare, optimum cœlóque gratiſſimum eſt. Num idem dicendum de amplectentibus, tuentibus, ſuadentibus, atque propagantibus Religionem falſam, ſivè ſuperſtitionem? Iſtudne malum facere potis eſt, ut illud ceſſet, quod priùs erat, bonum eſſe? Non ergo evincit Phereponus, injuſtam illicitámve eſſe impiorum & pravè in Religione ſentientium vexationem, eò quòd eâdem auctoritate poſſit & impius in benè ſentientes uti. Sed eò ſemper deveniendum, ut quæratur, quis veram tueatur Religionem, & quis ab ipſa aberret.

Attamen, inquit ille, quis Judex erit? cui potiùs credendum? cur tibi uni cedendum, cùm tu nemini concedere velis? Quid autem aliud hîc agit Phereponus niſi ſe conjicere in intoleranda illa abſurda, quæ non ità pridem monuimus eſſe omninò vitanda? Nempè non ſine gravi ignominia Chriſtianæ Religionis neceſſe eſt ille ſibi fingat, ità doctrinæ & Eccleſiæ, quam Servator tradidit, atque fundavit, occultam eſſe veritatem & lucem, ſivè tam parum evidentes parúmque manifeſtas eſſe rationes fidei noſtræ, ut furioſus ſit (verbis Phereponi utor) qui ſibi Chriſtiano ab Ethnicis, Judæis atque Muhammedanis credi, ipſi verò nemini ex illis credere velit. Quis non miretur, ac doleat, ab homine, qui ſe Chriſtianum dicit furentes appellari Chriſtianos, cùm ſibi de veritate Religionis noſtræ tot ac tam invicta argumenta ſolidáſque rationes proferentibus credi à cæteris volunt? Quid Chriſtiani nominis hoſtes pro ſe in poſterum non dicant, ſi nunc pertinaciæ ſui erroris ità plaudentes inveniant ipſoſmet Chriſtianos? Deinde ex Phereponi ſententia conſequens erit, excuſandos eſſe, aut excuſandos credere ſe poſſe, quibus Chriſti Religio non arridet, & contra ſuperſtitio placet; nam de vera Religione nemo in terris judex eſſe poteſt, & *oportet, unuſquiſque ſequatur & faciat, quod veriſſimum & optimum, ex animi ſui ſententia, ei videtur*. Hæc ſunt Phereponi verba, poſt quæ neſcio, quî damnare ille ampliùs pergat immanem & injuſtam Ethnicorum

corum

corum ſivè Judæorum crudelitatem in Chriſtianos; nedum juſtam & moderatam Catholicorum ſeveritatem in averſos à Religione vera. Quippe tum his, tum illis optimum ex animi ſententia videbatur perſequi gentem, Deo, ut credebant, inviſam: ipſique Deo ſe præſtare obſequium arbitrabantur, cùm à ſe diſſentientes plectebant.

Reliqua perquam horrenda conſectaria, quæ hinc fluunt, iterum exponere opus non eſt. Intelliget ipſe Phereponus, ſi animo minùs nobis infenſo in ſuarum opinionum effrenem licentiam inquiret. Quòd ſi, ut Chriſtiani toties oſtenderunt, & facilè adhuc demonſtrare valent, evidenter Ethnici, Mahummedani, cæteríque id genus homines veritati repugnant, neceſſe eſt etiam, evidenter cognoſcere poſſint, ſe in juſtitiam peccare, quoties Chriſtianos ſanctiſſimæ Religioni addictos perſequuntur, & perſequi licitum putant. Neque porrò minùs conſtare poteſt, Hæreticos in errore verſari, ſimul ac eorum doctrina & credendi methodus, exigitur ad conſtantiſſimas ac certiſſimas regulas Catholicæ fidei. Quæ cùm ità ſint, ubi Principes Ethnici Muhammedani, ac Hæretici vexare inſtituant Chriſtianam atque Catholicam gentem, tanto ſe crimine illi obſtringent, quantum crimen eſt apud Deum, ab ipſa Religione Chriſti & ab Eccleſia Catholica abeſſe ac defeciſſe Catholicis verò tunc exerendæ ſunt rationes cùm fidei noſtræ, tum alienæ injuſtitiæ; quibus ſi nihil proficiatur, & errare ac ſævire pergat cœcus perſecutor: arma patientiæ tum expedienda ſunt, & illa Apoſtoli verba altè animo committenda: *Omnes, qui in Chriſto piè vivere volunt, perſecutionem patientur.* 2. Tim. III. 12. Non aliâ ratione, non alio clypeo ſeſe tutati ſunt veteres Chriſtianæ Religionis Athletæ.

Sed nullamne, inquies, curam Religionis gerere debent Principes? Ità ſe interrogat Phereponus, atque ità ſibi reſpondet pag. 603. *Maximam & quæ in hoc potiſſimum ſita eſt, ut ne quis Religionis causâ alium vexet, aut malè habeat, &c.* Ne nos quidem dicimus. vexari quemquam Religionis causâ debere ſine auctoritate Principis. Ad hoc miſſum faciamus Si igitur Phereponi judicio ſtandum eſt, nullam ferè aliam Religionis curam gerere Principes debent, niſi ut cuicumque ſubjecto liceat quam velit Religionem pacificè tueri. Dum ſibi legibúſq; civilibus morigerum habeat populum cætera Princeps contemnat, & pro nihilo ducat, Deum blaſphemari, ſacrilegis ritibus creaturas adorari, Chriſtum fabulis accenſeri, ejúſque veram Eccleſiam, & Sacramenta ut lubet proſcindi Scilicet, ſi Pherepono credimus, nullam fermè

Reli-

Religionis curam gerere debet Princeps, ſed tantùm politicæ ac temporalis tranquillitatis, quam diverſarum Religionum causâ turbari ipſe nunquam ſinet. En ut ſolùm temporalia Phereponus ſapit. Sed oblitus eſt, ut puto, in ſacris Litteris Mozem, Phinees, Heliam, Jehu, Ezechiam, Joſiam, & alios laudari propter pietatem, quòd aut lucos, & templa Idolorum diſjecerint, aut impiis ſublatis cultum ac Religionem Dei veri propagârint. Oblitus eſt, Religionem præcipuum eſſe bonum humani generis, politicè etiam conſiderati. Neque perſpexit, aliter Regem, quia homo eſt, aliter quia Rex eſt, & Rex Chriſtianus, inſervire Deo, ac æternæ hominum felicitati, debere. Quòd ſi hominum ſingulorum virtus eſt, & quoddam etiam debitum, veritatem cognitam propagare, ac bonum diffundere errorémque atque ſuperſtitionem auferre: quantò magis Regum munus id erit, quorum curæ tradita eſt vera populorum felicitas; quorum auctoritati demandatum & vitia emendare ac vellere, & virtutes, quarum prima Religio eſt, conſervare, pœnis quoque, ſi res poſcat, adhibitis?

At, reponit Phereponus pag. 604. *nullâ aliâ tutelâ indiget veritas, niſi ut ei liceat luce propriâ fulgenti oculos hominum ad ſe convertere, & firmis rationibus animos eorum allicere. Nulla erroris oppugnatio certior eſt, quàm ut perſpicuè confutetur, & liberè retegantur hallucinationes. Sic ergo faveant Magiſtratus veritati, ſic errori adverſentur. Ubicumque utrumque licebit facere, brevi de errore veritas triumphabit.* Profectò & nos dicimus, nullam erroris oppugnationem eſſe validiorem, quàm ut perſpicuè is confutetur; imò nullam aliam ejus oppugnandi rationem legitimam nos novimus; quando ipſas errantium vexationes ideò ſolùm probamus, quod à veritate devii per eas fieri ſoleant, attentiores ad perſpiciendos errores. Nullâ autem aliâ tutelâ, quàm confutatione errorum, juvandam eſſe veritatem, & etiam ſi nil aliud agas, brevi de errore ipſam eſſe ſemper triumphaturam, ſuadere quidem ſed nobis nunquam perſuadere Pherep. poterit. Nimium in noſtros omnium oculos experimenta contraria, eáque paſſim, & omnium temporum, incurrunt. Certè arbitretur, ut puto, Pherepon. cum veritate conſentire Arminianorũ opiniones. Eaſdem porrò perſpicuè expoſuerunt Arminius, Epiſcopus, Grotius, & alii non pauci: contrarias quoq; rationibus variis inſectati ſunt iidem. Numquid verò in Arminii ſentẽtiâ ingenti copiâ conceſſere conterranei ſaltem Calviniſtæ rigidiores? Nũquid Calvini dogmata de Lutheri erroribus hucuſq; triumphârunt? Num de ipſis Idololatris

atque

atque Judæis, quibuſcum verſantur Batavi? Alia innumera exempla prætermitto. Aut ergo fateatur Phereponus, veritatem ſibi ſuiſque deeſſe (quod nos credimus:) aut intelligat, non ſufficere interdum veritatis prædicationem; ſed moderatas quoque & opportunas vexationes non parum prodeſſe ad effringendam pertinaciam & cœcitatem, quam veritatis prædicationi opponere ſolent errantes. Neque ſolùm obduratæ perſtant in veteri errore mentes, ſed quotidie in novos alios diffluunt, in Hæreſes, in Schiſmata, in Septiciſmum ac Atheiſmum ipſum, ſi nullo freno, ſi nullo terrore compeſcantur. Non ergo veritatis, ſed erroris conſervatio & propagatio ex ea licentia, & pace dimanat, quam Phereponus tantopere extollit atque commendat. Confutatione autem non indiget, quòd ſubinde ille in culpam potiùs Chriſtianorum, quàm in vitioſos Ethnicorum affectus, rejiciat ſeram poſt Conſtantinum ipſum de Ethniciſmo victoriam. Nemo rerum cauſas intimè perſcrutetur, & Hiſtoriam calleat, ſecúmque reputet, quid ante & poſt Conſtantinum, & noſtrâ etiam tempeſtate factum fuerit, & fiat: cui ſtatim innoteſcere non poſſit, quàm leviter, quàm ſinè pudore, & quanta cum infamia Chriſtianæ Religionis, atque contemptu veritatis, talia nunc à Pherepono obtrudantur.

Infrà contendit idem Cenſor, imperitè ratiocinari Auguſtinum, dum in Hæreticos, atque in impias diſſenſiones juſtè exerceri poſſe rigorem legum putat, quia Apoſtolus inter opera carnis enumerat *fornicationes, immunditias, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, & hæreſes*. Inquit ergo Phereponus: *Quis ignorat, quæcumque Evangelicis Legibus damnantur, & quæ præſertim Paulus loco ab Auguſtino allato perſtringit, civilibus legibus nec ſolere plecti, nec poſſe?* Tum addit: *Leges civiles eſſe hominum conditioni attemperatas, nec ab iis eximiam quandam ſanctitatem poſtulare, ſed tantùm eam virtutem, ſinè qua Civium ſocietas incolumis eſſe non poteſt.* Auguſtinus locum Apoſtoli attulerat, ut oſtenderet, Hæreſes, & Schiſmata, & diſſenſiones in Doctrina fidei, iniquitatis eſſe fructus. Cùm verò Idolorum cultores juſtè puniri poſſe Donatiſtæ faterentur: hinc Auguſtinus Hæreticos quoque meritò vexari atque coërceri poſſe inferebat. Phereponus contrà neque Hæreſes, neque Idolorum cultum inter ea crimina recenſet, propter quæ à civilibus Legibus ſunt homines malè habendi. Quod cùm audio, mihi videor audire hominem nulli Religioni addictum, aut certè à veritate Religionis Chriſtianæ alienum,

qui jura dumtaxat politica atque temporalia populis præſcribat, nihilque de Religione vitioſa vel falſa curandum eſſe ſummis poteſtatibus dicat. Sed nos reſpondemus, pleraque ex iis, quæ per Apoſtolum damnantur, civilibus Legibus poſſe, ac ſolere interdici, atque puniri, præſertim ſi hæc vitia potiorem populi partem occupent, aut in immodicos exceſſus erumpant. Deinde dicimus, Idololatriam, Impietatem, Hæreſes, & Schiſmata, mala omnium graviſſima eſſe Quare ubi populi & Reges in Chriſti Religione, & Eccleſia deſcripti ſunt, hoc eſt, quâ Chriſtiani ſunt, & auctoritate eminent, quantùm poſſunt ſtudere debent, non ſolùm ut ne tantum bonum inter cives peſſum eat, ſed etiam ut perditum recuperetur. Numquid enim liberum eſſe, & licere impunè cuicumque debet vel temerario, vel deliranti, frangere divinitùs datas Religionis veræ Leges, & cœleſtia Dogmata falſi arguere, & impiis opinionibus animos hominum corrumpere, & Deum blaſphemiis appetere, & Sacerdotibus à Deo conſtitutis negare obſequium, & rectè ſentientes erroris per calumniam arguere, & diſſidiis prout lubet unitatem Fidei atque Eccleſiæ diſrumpere, populúmque aut exemplo aut prædicatione in errorem ac impietatem impellere? Quid fiat de ſanctiſſima Religione, ſi nullo freno compeſcenda eſt ingeniorum licentia, atque amicorum corruptio? Utique civiles Leges eximiam quandam ſanctitatem è populo non exigunt, & humanæ infirmitati indulgent. Sed qui à germana Religione abeſt, & Idolis famulatur, & ambitioſo Schiſmate dilaniat Eccleſiam Dei, non ſolùm mediocri illâ ſanctitate caret, ſed execrandâ impietate abundat, à qua niſi ante mortem ſe expediat, neque ipſi proderit mediocris ſanctitas, neque ulla virtus. Nequit autem fieri, quin & civilis ſocietas ex his etiam diſſenſionibus aliquas tandem contrahat rimas, & potiſſimùm ſi ſcriptis & eruditione error invadatur, veritas deprædicetur: quod facere jubentur Chriſtiani manifeſto ſuæ Legis præcepto, & caritatis conſilio, & juſtitiæ fiduciâ. Etenim ægrè fert unuſquiſque, ſe Deo inviſum credi propter ſuas opiniones, impiúmque idcirco, & Antichriſtum, & errantem ſeſe appellari, ſibiquè æternæ mortis pœnas ab aliter ſentientibus deputari. Hinc odia, ſimultates, atque contentiones, quas nulla Hiſtoria non refert, ipſáque experientia nunc etiam abunde teſtatur. Quid, quod ab Evangelica ipſa Lege jubemur Hæreticos, & impios, devitare, atque ab eorum abſtinere commercio, niſi aliud neceſſitas politica

tica

Digitized by Google

tica ſuadeat? Plerique autem Politicæ Diſciplinæ Magiſtri ſatis oſtendunt, Religionum diverſitatem civili etiam regnorum tranquillitati, & concordiæ nimiùm nocere. Quis igitur injuſtitiæ poſtulare audeat Reges auctoritate ſuâ uſos, ut una vera fides propagetur, ut error proſcribatur, ut unitas Religionis & Eccleſiæ cuſtodiatur, ſive inſtauretur, atque ut legitimus Chriſti grex in mille Sectas Opinionéſque contrarias atque abſurdas pro hominum arbitrio quotidie non ſcindatur; quod fieri, ſi Phereponianis conſiliis contenti ſumus, facillimè poteſt ac ſolet?

Alia ſunt, quæ congerere me vetat aliò feſtinans oratio. Sed reponit Phereponus iſta Lactantii verba è Lib. 5. Cap. 19. mihi 20. Div. Inſt. *Defendenda Religio eſt, non occidendo, ſed moriendo* (*menendo* habent alii Codices;) *non ſævitiâ, ſed patientiâ,* (*ſapientiâ* habent alii Codices;) *non ſcelere, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum* &c. *Nihil eſt tam voluntarium, quàm Religio, in qua ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Hæc, ut opinor, loca illa ſunt veterum Scriptorum, quæ nuper ajebat Phereponus, ſe poſſe; at nolle producere in ſuæ ſententiæ tutelam. Non diſſimilia ex Arnobio petere potuit, hoc eſt ab ejuſdem Lactantii Magiſtro. Equidem excipere poſſem contra iſtorum Scriptorum auctoritatem, quæ inter Chriſtianos tanti, ut conſtat, non eſt, & cui graviorum Patrum ſententiam opponere liceret: attamen reſpondere juvat, talia quidem poſſe convenire in Ethnicos, non autem in Catholicos Principes. Illis una cura erat Chriſtianam gentem non monitis, non rationibus, non doctrinâ, ſed cædibus, & immanibus tormentis vincere. Chriſtiani verò Principes gentem nondum Chriſto deditam non ſinè perſuaſione, argumentis, & caritate ad rectam fidem pertrahere conantur. Si aliquâ vi interdum utuntur, & vexationibus, moderatè & ex amore utuntur, qualis pœnarum uſus deceat patrem, ac Principem amantem, non crudelem Tyrannum. Et ne nos quidem eos unquam occidendas profitemur, ideo dumtaxat, quòd à nobis diverſa ſentiant: quippe noſtra quoque ſententia eſt, Religionem voluntariam eſſe debere

Quamobrem nihil hìc ſimile habet Catholicorum Principum uſus cum teterrima Paganorum impotentia atque crudelitate; neque Lactantii ſententia excludit ſalutarium pœnarũ uſum, quem in parentibus vel amantiſſimis contra filios reluctantes atq; errantes nemo eſt, qui vituperet

aut

Digitized by Google

aut damnet. Lactantius verò, atque Arnobius, nihil aliud deteſtabantur, quàm vim ſinè perſuaſione & ratione adhibitam, & vim crudeliſſimam, quæ invitis voluntatibus Religionem ingerat. *Non audent*, ajebat eodem loco de Ethnicis Lactantius, *quicquam de rebus docere divinis, ne & à noſtris derideantur, & à ſuis deſerantur.* Furor & ſævitia pro rationibus erant. Igitur quamvìs ſtatuamus, uti reverà ſtatuendum eſt Religionis veræ electionem voluntariam eſſe debere, atque ad illam invitos homines non eſſe adigendos; athuc tamen ſtatuendum eſt, licitum eſſe ac ſaluberrimum ſeveritatis uſum, quâ homines urgentur, ut falſam Religionem, impietatem, errorémque ſuum animadvertant, verámque Religionem rationibus victi liberè ac voluntariè poſteà amplectantur. Hoc eſt, etiamſi voluntarium eſſe debeat, virtutem & Religionem veram ſequi, nam ſinè voluntatis conſenſu virtus nulla eſt, atque Religio; attamen liberum eſſe cuicumque non debet in vitia voluntariè ferri, in impietate pacificè vivere, & à veritate ſanctâque Religione pro ſuo arbitrio deficere. Poſtremum hoc oſtendat Phereponus; oſtendat, liberum eſſe debere cuicumque maximâ ignominiâ afficere Deum, & abuti ſuâ poteſtate, qui ab impietate, ac errore omnium pernicioſiſſimo per aliquas moleſtias revocare conetur ſubjectam gentem, ipſámque facere Deo amicam; demonſtret, præter jus & fas agere, qui moderato rigore cohibeat arrogantes, ignaros, & ſceleſtos, quominus à veritate ac unitate Catholicæ Eccleſiæ tanti faciendâ ſeſe liberè divellant, & Schiſmata ac Hæreſes ità Deo inviſas conflent Denique reſpondeant Patribus, & Auguſtino in primis, tantâ argumentorum copiâ id licere, & laudandum eſſe oſtendentibus. Sed ille rem confeciſſe ſe putat, quòd unum aut alterum ex iis argumentis curſim, ut hactenus vidimus, arrodat.

Incommoda interim nobis ille minatur ex hujuſmodi ſententia. Verùm hæc abeſſe debere dicimus, quia dum attentè rationes expendantur, conſtare poteſt, & reipſa conſtat, quænam ſit vera, quænam falſa Religio; quo poſito nemo niſi cœcus & ſummè impius perſequi poteſt Religionis veræ cultores. Eò tandem ille neceſſe eſt, dilabatur, ut neget conſtare poſſe, ſive dicat incertum eſſe, cuinam ſit germana Religio. Nos contrà id falſum eſſe oſtendimus ex abſurdis, conſequentibus hujuſmodi ſententiam, Stoicis, Symmacho, aliiſque recentioribus non ingratam. Provocamus deinde ad experientiam, immo ad ipſum

ipſum Phereponum, qui negare nequeat, quin falſitas cujuſcumque Religionis à Chriſto averſæ evidenter intelligi poſſit. Quòd ſi Ethnicis, Muhammedanis, atque ipſis Hæreticis id non conſtare dicatur, ii monendi ſunt, ut attentiùs rationes Catholicorum audiant, & æquiùs judicent. Sin errorem vel ex his auditis fovere pergant, ii non placidè ferendi ſunt, qui ex affectu pravo ac pertinacia videre nolunt, quod æquius omnis judex videat Non autem damnandi, qui temperatâ aliquâ vexatione illos urgent ad intuendam veritatem noſtræ Religionis, & errorem ſuæ. Immo commendandi, qui recta in Religione perſtant, rationibúſque, ac perſuaſionibus, & prædicatione non minus demonſtrare, quàm propagare conantur rectam hanc Religionem, & ſalutari etiam ſeveritate ex officio caritatis in ſubjectam gentem utuntur, ut iſta aut erudiri ad veritatem ſe patiatur, aut ad ipſam veritatem, quam temerè deſeruit, ſe rurſus reſtituat.

Quod eſt ad Auguſtinum in Donatiſtas agentem, nihil evidentiùs eſt, quàm ipſum pro bona cauſa adversùs errorem ſcripſiſſe, & moderatum rigorem Legum jure ab ipſo fuiſſe probatum. Lepidum autem ſe nobis exhibet Phereponus, cùm pag.493. in notis ad Aug. Epiſtolam XCIII. argumenta ejuſdem pro æquitate perſecutionis in Donatiſtas factæ his verbis amoliri nititur. *Hìc & ubique ſtatuit, atque adſumit pro comperto Auguſtinus, quod in controverſia erat poſitum, ſuam nimirum Eccleſiam fuiſſe unam, excluſis Donatiſtis, Chriſti Eccleſiam. Non equidem probo Donatiſtarum Schiſma; ſed cum illis diſceptanti abſurdum fuit perpetuò id aſſumere, quod præfractè negabant.* Is fuit Donatiſtarum error, ut illius Schiſmatis injuſtitia faciliùs, quàm aliorum complurium, liquidò ſe prodere poſſet. Pleræque aliæ controverſiæ inter Chriſtianos in Juris & Opinionum diſcordia verſantur. illa in facti contentione potiſſimùm ſita erat; quare civili etiam judicio dirimi, ejúſque aſſeclæ ad formam juris communis abſolvi, ſive damnari poterant. Et reipſa, ut unum hoc dicam, Cæcilianus non ſemel objecta ſibi crimina purgavit cùm in Imperatoris Aula, tum in Conciliis Epiſcoporum. Niſi Donatiſtarum veſaniæ aliter viſum foret, jam ſublata erat Schiſmatis cauſa. Id æquus omnis rerum æſtimator tunc perſpiciebat, nunc apertè idem nos perſpicimus; & ipſe Phereponus non hìc tantùm, ſed alibi quoque Donatiſtarum Schiſma improbavit. Quid eſt ergo, quod idem Phereponus adversùs Auguſtinum nunc habet? *Aſſumit Auguſtinus pro comperto, quod in contro-*

Digitized by Google

controverſia erat poſitum. Hoc eſt, malè Auguſtinus contendit, juſtam eſſe in Donatiſtas Legum ſeveritatem, quia nondum oſtendit, injuſtam eſſe ipſorum Donatiſtarum ſeceſſionem, & Hæreſim. Qua in re lepidum, ut dixi, nobis ſe præbet Phereponus. Nam ſi conſtat illi, æquè ac reliquis noſtrorum temporum Chriſtianis, iniquè Donatiſtas delirâſſe: cur nunc ille petit, ut eadem veritas ab Auguſtino demonſtretur? ſive indignatur, quòd demonſtrata non fuerit? Si hoc unum (ut jure vexatos Donatiſtas intelligamus) Pherepono, & nobis deeſt, nempe intelligere prius, an Donatiſtæ à vera Eccleſia exciderint: jam Pherepono, jam nobis id certum eſt atque compertum. Ergo hinc arguere, Pherepono non repugnante, debemus, meritò exagitatos fuiſſe Donatiſtas protervos, & injuſtæ ſeceſſionis reos. At, inquit ille, Donatiſtæ hoc præfractè negabant; & Auguſtino demonſtrandi onus incumbebat. Quid hoc quæſo ad nos? Non Auguſtino jam è vivis ſublato, ſed nobis viventibus perſuadere Phereponus cupit, juſtum vocari non debuiſſe adhibitum adversùs Donatiſtas rigorem, quia Donatiſtæ ſe perperam egiſſe præfractè negabant, & Auguſtinus eos rationibus non convincebat. Ergo nos, cùm vel ex ipſa Pherepꝺni confeſſione liqueat, perperam Donatiſtas egiſſe, ideóque ſuperfluum ſit id ab Auguſtino demonſtrari: nos, inquam, judicare debemus, juſtis legibus compreſſam fuiſſe Donatiſtarum amentiam, licitámque fuiſſe perſecutionem illam, alioqui moderatam, quâ ſcilicet, ut cum Auguſtino loquar, *potiùs admonerentur ab errore diſcedere, quàm pro ſcelere punirentur.*

Inquiat porrò Phereponus, quidquid ſit de confeſſione mea, abſurdum ſemper fuit Auguſtino id aſſumere pro comperto, quod Donatiſtæ negabant. Mihi autem mirum videtur, hominem hunc tam inani cenſurarum genere delectari, & diſtinere Lectores. Quotus enim quiſque eſt, qui neſciat, quot ſcriptis & argumentis, & quàm evidenter Auguſtinus, vel anteà quàm Epiſtolam XCIII. ſcriberet, Donatiſtarum ſophiſmata, & errores disjecerit? Deinde in eadem Epiſtola ad Vincentium id præcipuè quærebatur, num perſecutio omnis illicita ſit? Auguſtinus autem oſtendit, eam eſſe laudandam, quæ pro veritate contra pertinaciter errantes ex officio caritatis inſtituitur. Tandem in ipſa eadem Epiſtola multa habet Auguſtinus, ex quibus intelligere poſſit quilibet veri amator, juſtitiam à Catholicis, culpam à Donatiſtis pervicacibus ſtetiſſe. Quamobrem, tametſi Auguſtinus nihil in ea Epiſtola attuliſſet

tuliſſet pro bonâ Catholicorum cauſa, abſurdè non egiſſet: quantò autem minus abſurdè egiſſe dicendus eſt, cùm & ibi unam Catholicorum Eccleſiam oſtenderit eſſe Chriſti Eccleſiam? Si Donatiſtæ id præfractè negabant: num propterea minus nocentes erant? Num eorum negotio vim Catholicorum rationum frangebat? Minimè gentium. Nunc illius controverſiæ judices ſunt æqui Lectores, & victoriam ſinè dubitatione adjudicant Catholicorum parti. Iidem quoque judicabunt, num Phereponus quidquam ſolidi hactenus deprompſerit, quod negotium faceſſere poſſit Auguſtino affirmanti, moderatam errantium in fide, & deficientium ab Eccleſia vera, vexationem licitam eſſe. Et tandem, ut ſpero, animadvertent, non Auguſtinum pro comperto adſumpſiſſe, quod in quæſtione erat, ſed quidem Phereponum graviter errare, quod ſemper pro comperto adſumat, veram Religionem, & germanam Chriſti Eccleſiam, certò cognoſci, atque evidenter apparere non poſſe in terris, atque eodem jure præditos, & in eodem incertitudinis loco eſſe quoslibet hominum cœtus, quod eſt ad Religionem.

CAPUT XIII.

In Judæos, Ethnicos, & Muhammedanos minus aſperè agendum Catholicis Regibus. Rigidiùs habere Hæreticos fas eſt. Et in eos tamen ſpiritus lenitatis eſt retinendus. Hæretici meri, Hæretici ſeditioſi. Poſtremi pœnis gravibus digni, ſed non fingenda crimina. Hæreticos alienæ ditioni ſubditos plectere non licet. Errantes alii pertinaces, alii dociles. Inter primos mitiùs habendi, qui cum lacte biberunt errorem, quàm qui ultro errorem adſciverunt. Attamen & hîc audiendæ caritatis voces, & miſericordiæ futurus locus. In errantes non pertinaces clementiùs agendum. Quæ regulæ Judicibus Catholicis hîc futuræ.

DIximus hactenus, licitam eſſe temporalem vexationem errantium in Fidei Doctrina, ut ab errore ad veritatem aſſurgant. Non tamen diximus, licere ſemper, multóque minus diximus, ſemper debere Principes

cipes pari ſeveritate mederi animis ægrotantibus. Etenim quod eſt ad eos, qui foris ſunt, hoc eſt ad Ethnicos, Muhammedanos, atque Judæos, & ſi qui ſunt horum ſimiles: Principi non licet eoſdem afficere ſuppliciis,& urgere aſperè ad veram fidem amplectendam. Fas eſt quidem publicam profeſſionem, & externum ſuperſtitionis exercitium iis interdicere, privilegiis in reliquos effuſis eos privare, atque etiam, dum converti nolint, & Regibus commodum videatur, è Regno dimittere & expellere, ut à Religionis veræ cultoribus illorum ſedes juſtiùs ac utiliùs occupentur. Cæterùm nocere eorum vitæ, eorum corporibus, eorum fortunis, illa dumtaxat de cauſa, quòd in errore pertinaciter verſentur: à Catholicæ Eccleſiæ doctrina nimium abhorret. Si quis auctoritate ſuâ, in Americanos præcipuè populos, abuſi ſunt, Religionis titulum impotentiæ, ac avaritiæ propriæ obtendentes; ii non ſolùm apud omnes malè audierunt, ſed Apoſtolicæ etiam Sedis oraculo compreſſi ſunt.

Quod eſt ad Hæreticos, quos Eccleſiæ ſubdidit Baptiſma Chriſti, nos aliis juribus utimur. Profectò ubi intelligas, eſſe veram apud Catholicos Eccleſiam & Religionem Dei, idque demonſtrari poſſe ſtatuas (quod certè nos ſtatuimus:) illico juſtitia & caritas poſtulant, ut nulli curæ parcas, quo tantum bonum in populis, jam illud liberè amplexis, ſartum tectúmque tueare. Abominandæ perduellionis crimen eſt, à veritate jam ſuſcepta deficere,& in errores pernicioſiſſimos ſeſe conjicere. Tum quis ferat intolerandam illam ambitionem,quæ & Eccleſiam diſcindit, & aſpernatur datam divinitùs Sacerdotum choro, ſummiſque Pontificibus auctoritatem? Magni ſceleris reos nemo eos non agat,qui non erráſſe contenti, alios quoque in fide & veritate ſtantes, aut prædicatione errorum, aut exemplo, polluere & ſeducere nituntur; & aures ad veritatis argumenta, ad monita Paſtorum, pertinaciſſimè claudunt; & infamant innumeris modis, ridendámque exhibent veram Chriſti Religionem atque Eccleſiam. Hìc frenis indiget humani arbitrii libertas; hìc ipſis hominibus expedit Legum rigore ac terrore compeſci; atque ut laudandæ ſunt Leges, quæ nos impiè agere vetant, ità commendandæ, quæ nos impiè credere ac ſentire non ſinunt. Si rationes, ſi perſuaſiones, aliæque mitiores Artes nihil proficiunt: non iraſcendum Medico aſperis utenti remediis, ut ſanet; ſed ægrotorum pertinaciæ,ſe aliter non permittentium ſanari ſuccenſendum eſt.

Neque

Neque tamen hîc ego ſum, ut ſuadeam, Hæreticos ab Eccleſia damnatos, morte ipsâ eſſe mulctandos. Mihi potiùs, & unicè ſumo, commendare & ſuadere ſummis Poteſtatibus moderationem hac in re & manſuetudinem S. Auguſtini, cujus nunc negotium agitur. Certè ille ſemper abfuit à ſuadendis extremis ſuppliciis in Hæreticos vel pertinaces. Quæ adhibere quanquam multorum ſententiâ & liceat, & proſit interdum, attamen ab ipſis quantum fieri poteſt abſtinendum, & ſolicitè Principibus cavendum eſt, ne aut juſtitia, aut caritas in eorum uſu quidquam lædantur. Eccleſiaſticorum autem omnium eſſe puto, Legum juſtitiam hocce in negotio mitigare potiùs, quàm accendere; & *ſpiritum lenitatis* ab Apoſtolo commendatum, non verò ſævitiam, ubique prodere; & meminiſſe, *Eccleſiaſticam lenitatem, Sacerdotali contentam judicio, cruentas refugere ultiones*, uti ait S. Leo in Epiſt. 93. Tantùm autem abeſt, ut Eccleſia ſuadeat extremam ſeveritatem in devios à fide, ut ab ipſis ſacris arceat religioſos viros, talia ſuadentes, aliquóve pacto in judicium mortis influentes Ideóque vel cùm incorrigibiles atque damnatos Hæreticos ſæcularibus Judicibus tradit, obſecrat, ut leniter in ipſos agatur: quod vellem, ſemper ex animo, & non interdum ex conſuetudine, per nonnullos factum fuiſſet. Quanquam enim dicamus, Judices, Principes, & Reges contra jus fáſque non agere, cùm in Hæreſi & impietate obfirmatos, aliorúmque ſeductores, extremis etiam plectunt pœnis; & quanquam fatendum ſit, nimiam humanitatem, ac impunitatem errantium ad errores & crimina multiplicanda inſervire, & idcircò neceſſarius ſit Legum terror, & juſtiſſima ſit pœnarum temporalium ſeveritas: nihilominus ad neminem magis, quàm ad Chriſti Sacerdotes pertinet, mitiora ſemper conſilia eligere & præbere; atque obſtare, ne plus quàm deceat, & expediat, & æquum ſit, in hujuſmodi hominum genus ſæviat ſæcularis poteſtas. Dicam enim cum Apoſtolo Heb. V. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt apud Deum; qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.*

Itaque primò animadvertendum eſt, duplici de cauſa reos eſſe poſſe Hæreticos. Altera eſt Hæreſis ipſa, ſivè error in fidei doctrina, & diſſenſio ab Eccleſia vera. Altera eſt ſeditio, & contemptus civilium Legum. Quoties ab obſequio & obedientia Regum, quam exigunt Politicæ Leges, Hæretici deficiunt, aut ſocietatis civilis jura turbant, & ſeſe

mergunt in horrenda flagitia: tum non ſecùs ac alii ſeditioſi plectendi ſunt, & coërcendi, Pherepono ipſo conſentiente atque laudante. Ex hoc potiſſimum capite quaſdam Hæreticorum Sectas & cædibus, & exiliis, aliiſque gravibus pœnis affectas ac diſſipatas novimus, ſine crudelitatis nota, ſine vituperio Principum & Judicum. Nam quæ benè conſtituta Reſpublica ferat Manichæorum, Adamitarum, Fraticellorum, Quietiſtarum, aliarúmque hujuſmodi peſtium ſordes, ſive ſunt, quæcumque de iis feruntur? Quis jure non abjiciat ac evellat de Regno ſuo opinionum illarum fautores, atque præcones, quæ moliuntur Ateiſmum, quæ licentiam peccandi faciunt, aut ad ipſam citatis equis trahunt? Donatiſtarum autem crudelia facinora tum in Catholicos, tum in ſeipſos, & Cæſarearum Legum auctoritas conculcata ab ipſis, nimium vulgata ſunt in Eccleſiaſticis Hiſtoriis. Eadem de Albigenſibus dicas, de Anabaptiſtis, de Huſſitis, de Puritanis, aliiſque hujuſmodi Hæreticis. Quod enim eſt ad Calvinianos, qui tamdiu Galliarum Regna infecerant, & ſeditionibus, turbiſque vexârunt ac diviſerunt, legendus eſt integer non ita pridem editus Liber à doctiſſimo quodam Scriptore Gallicæ Congregationis Oratorii, & ſubjectus Libris poſthumis V. Cl. Thomaſſinii de *Edictis aliiſque rationibus conſervandæ unitatis in Eccleſia Catholica.*

Neſcio igitur, quî expoſtulare de Regibus atque Principibus poſſit turbulentum hoc hominum genus, ſi pœnis gravibus, ſi exilio, ſi gladio mulctetur Num ignorant, quantopere Apoſtolus, & recta ratio nobis commendent, parere & obſequi ſummis Poteſtatibus? Tanta vis eſt illius legis, ut ne ipſis quidem Catholicis Religionis cauſa vexatis liceat ſeditiones conflare, & à Principum obſequio deſciſcere, & Politicas conculcare Leges, Fides, inquam, ſervanda Regibus & Principibus vel impiis, & Hæreticis, neque eorum uſurpanda Jura, licèt illorum Legibus Catholici non teneantur quidquam facere contra ipſam ſuam Religionem, atque conſcientiam; tunc enim non tumultus excitare, neq; armis ſe tueri, ſed collum dare gladio jubentur, potiùs quàm iniquis obtemperare præceptis. Quantò autem magis intolerandi ſunt, qui talia audent contra Dominos ſuos legitimos pro errore ac impietate tuenda? Hîc autem meminerint Reges, non conficta crimina, non ſomniatas ſeditiones, non falsò attributas conjurationes eſſe puniendas. Politicas, inquam, cauſas minimè veras adſciſcere nefas eſt, ut ſpecioſiùs alienæ Religionis homines vexen-

xen-

Digitized by Google

xentur, & Religio inviſa eliminetur. Quo titulo videant Angli, num ſui Majores unquam peccârint, cùm tot Catholicos ſuppliciis, exilio, & morte affecerunt, quanquam nullum aliud iſtis fortaſſe crimen foret, niſi eam ipſam Religionem ſanctè profiteri, quam à Romanis Pontificibus olim Britannia acceperat: Ubi verò ejuſmodi criminibus Hæretici ſeſe re ipſâ obſtrinxerint, modò eorum animi ad rebellionem ſeditionéſque nimiùm proni alioqui non inveniantur, & dum clementia Principum in Regni & Religionis perniciem minimè redundare poſſit, indulgentiâ invitante reos ad ſcelera nova: à manſuetudine Sacerdotum non abhorret, imò cum ipſa penitùs conſentit, veniam interdum pro illis & poſcere, & impetrare. Legatur in hanc rem Ep. 127. Auguſtini, quâ Donatum Africæ Proconſulem rogat, ne pro meritis facinoroſam Donatiſtarum factionē corrigat. Legantur etiam Epiſt. 158. 159. 160. Nemo autem, ut arbitror, erit, qui his lectis non laudet ac amet Auguſtini aliorúmque Catholicorum in Africa Sacerdotum lenitatem, & contrà non iraſcatur Phercpono, indignè non uno in loco ferenti, Auguſtinum Chriſti Sacerdotem apud ſeculares Judices agentem, ut mitibus potiùs quàm atrocibus pœnis Donatiſtarum comprimeretur inſania.

Alii ſunt Hæretici, quos aut voluntas benè compoſita, aut virium defectus ab inſtituendis deditionibus abhorrentes fecit. Unum in eis crimen error ſchiſma, & hæreſis. Graviſſimum ſanè crimen in Deum, in veritatem, in Eccleſiam, atque in ſe ipſos; ſed non ſemper, non ubique, non in omnibus, pari ſuppliciorum ratione, atque aſperitate plectendum. Varia itaque hîc nobis conſideranda veniunt. Primò, nefas eſt Regibus atque Principibus Hæreticos alienæ ditioni ſubditos, ſibíque nullo jure obligatos, eâ tantummodo de cauſa, quòd Hæretici ſint, & ab Eccleſia Catholica averſi, aut bello invadere, aut ullâ afficere moleſtiâ; ſivè intra ſivè extra fines regni ſui, dum conſtitutis legibus politicis iidem intra Regnum ſe alioqui inobedientes non præbeant. Hos nequaquam idcircò lædendos, cùm Evangelica doctrina, tum recta ratio, & Jus Gentium ſatis oſtendunt. Illud etiam inter Catholicos compertum, iiſdémque nititur fundamentis, non licere ſummis poteſtatibus frangere fidem datam Hæreticis ſubditis, nedum ab aliena ditione pendentibus. Pactis, inquam, fœderibúſque ſtandum eſt cum iſta quoque gente percuſſis, eíque religioſè ſervanda fides, ac ſi noſtra cum Religione omninò ſentiret; neque aliis de cauſis recedere à promiſſis licebit, quàm

Digitized by Google

quàm quibus recedere fas eſt inter ipſos Catholicos ſecundùm jura Gentium, atque naturæ.

Secundò, diſtinguenda eſt errantium cohors in pertinaces, ac minimè pertinaces. De pertinacibus ſermo nunc ſit. Magna eſt utique hominum calamitas, in errorem labi; ſed magna iniquitas, animum in ipſo obfirmare velle. Quanquam enim ideò in ſententiis abſurdis, falſis & impiis perſiſtant non raro homines, quòd ipſas ſententias & rectas, & veras, & pias arbitrentur, atque idcircò, ſi non excuſatione, at certè miſeratione aliquâ dignos ſe præbeant; nihilominus alia ex parte effugere non poſſunt abominandi criminis culpam. Facit nempe eorum arrogantia, eorum ſuperbia, atque temeritas, ne errorem ultrò adſcitum ponant, atque in caſtra veritatis immigrent aliquando. Et cur non appellemus temeritatem, atque arrogantiam ſuam, hoc eſt fallaciſſimi hominis præferre, imò opponere opinionem judicio Eccleſiæ Catholicæ. Pontificum Maximorum, Conciliorum, & Epiſcoporum, quos tamen Deus Judices nobis reliquit in Fidei controverſiis, & ad eos audiendos ire nos juſſit in ejuſmodi cauſis? Nam quod ajunt, & contendunt, ipſam Eccleſiam erroribus eſſe obnoxiam, nihil aliud eſt, quàm ſibi adimere viam omnem erroris dignoſcendi, & aſſequendæ veritatis, quam tamen unam Chriſtus ipſe nobis in hac mortali vita conſtituerat. Porrò neque de numero, neque de Eccleſiæ aliqua imagine plaudere ſibi poſſunt Hæreticorum conventicula; tum quòd abjectâ Eccleſiæ Catholicæ authoritate, cujuſcumque alterius Eccleſiæ auctoritatem abjiciant oportet; tum etiam quòd eorum Patres perperam ſoli ſeſe oppoſuerunt Conciliis veris, & veræ Eccleſiæ, eorúmque poſteri quamvis in ingentem copiam creſcant, vitium & culpam temeritatis paternæ retinent, & minuere ampliùs nequeunt.

Pertinax igitur hoc hominum genus, quod aut ſe argumenta veritatis edoceri non patiatur, aut edoctum veritati ipſi; atque ipſi Eccleſiæ veritatis columnæ reſiſtat: gravi ſe crimine obſtringit, & propptereà jure coërcetur; & coërcendum eſt; & acribus pœnis ejus pervicaciam (ſi aliis noceat) ſivè emendare, ſivè punire juſtiſſimum fuerit. Sed Juſtitiæ dumtaxat non eſt hîc habenda ratio. Caritatis quoque Chriſtianæ præcepta atque concilia occurſare in primis debent oculis Principum, & Regum. Quamobrem conſiderandum eſt rurſus, duplicem eſſe poſſe iſtorum Hæreticorum pertinacium turbam. Hi errorem, & Hæreſim, unà cum lacte biberũt; iſti jam adulti, Priores à nulla Religione

ad

ad alteram defecere. ſed quam pueri didicerunt, hanc poſteà tueri pergunt. Poſteriores inconſtantia delectavit; infortunium, ſi de una fallaci Religione in alteram fallaciorē latûs mutârunt; at graviſſimũ ac pernicioſiſſimũ crimen, ſi de vera deſciverunt in falſã. Dico ergo, illorũ in errore pervicaciã aliter, hoc eſt longè mitius, quàm iſtorũ eſſe habendam. Siquidem ignorare, & non ſentire nemo poteſt, quàm altas radices in animis mortalium agat à teneris unguiculis inſpirata cujuſcumque Religionis opinio. Sit licèt falſa, impia, atque ridenda Religio; dum accepta ſit à parentibus filiorum amantiſſimis, dum antiquitate aliquâ cõſtet, dum tenellis cordibus inſcripta fuerit: in naturam, ut ità dicam, tranſit; quantâque facilitate impreſſa fuit, tantâ viciſſim difficultate exculpi atque expelli inde poteſt. Nimium vulgaria ſunt iſtius veritatis exempla, ut hîc referre ſit opus. Quis ergo tantam hanc hominum infelicitatem potiùs quàm temeritatem ſupremis plectendam ſuppliciis facilè pronuntiet? Imò quis miſeratione digniſſimam non affirmet? Hos doceri, hoc terrere fas eſt; & quoties in antiquo errore obfirmatiſſimo animo perſtent, ipſique fulgentiſſimæ veritati reſiſtant, eis negare privilegia, incommodíſque etiam, & exilio illos mulctare pro errorum gravitate, & varia conditione temporum, utile, licitúmque puto. Sed iſti ab iis ſemper diſcernendi, qui ſtudio culpâque tantùm propriâ in errorem ſe præcipites dedêre. Ne punire gladio velis, quòd iſti ut aliter eſſet efficere, cùm naſcerentur & educarentur, minimè potuerunt. Quanquam enim poſteà poſſint, & pervicaciter nolint; ab eadem tamen infelicitate nativitatis atque educationis hæc ipſa deſcendit in errore pertinacia.

Tertiò, ad eos quod attinet, qui de veritate ac unitate Eccleſiæ Catholicæ in hæreſes erroréſque adulti defecêre, & auctoritatem ſummorum Sacerdotum aſpernantur, atque irrident: alia convenit ſeveritatis ratio. Eorum vitio, ac temeritate factum eſt, ut laberentur in tenebras, ſibíque atque Eccleſiæ veræ nocerent. Eorum ſuperbiâ deinde fit, ut in falſitate perſtent, & ad lucem rurſus non aſſurgant. Ideò quidem plerique non aſſurgunt, quòd putent, ſe contra conſcientiam acturos, & Deo diſplicituros, ſi ad veterem ſententiam revertantur, iterúmque cum Catholica Eccleſia conſentiant; ſed temerè id putant, & eorum culpâ factum eſt, & fit, ut ſic putent. Porrò quemadmodum ebrius & perditus amator pœnam criminum, ebrietatem & amorem conſequentium, non effugiunt, quia cauſam

hujuſmodi criminum ipſi volentes elegerunt; ità & qui lubens errori mentem mancipavit, culpandus deinde eſt, quòd ad ipſum errorem dignoſcendum atque ejurandum induci non poſſit. Sibi imputet, qui optimam opinionem in peſſimam commutavit, ſi nequeat de peſſima in optimam reverti. Optimam autem rurſum inveniet, ſi livorem ponat, ſi attentum ſe præbeat vocibus veritatis: quod cùm facere nolit, magno ſe crimine profectò obſtringit. Quid ſi non erráſſe iſte contentus, errorem quoque evulget, litteríſque conſignet, ac prædicatione perſuadeat? Hujuſmodi hominem ſocietati humanæ pernicioſiſſimum ferat, excuſet abſolvat, qui velit; non excuſabunt, neque ferent, quibus notum eſt, quantùm bonum ſit in Religione vera, ſi in veritate ſtare, quantúmque malum ab ipſa diſcedere. Quid ſi ſemel iſte emendatus ac toleratus, in ejuratis erroribus iterùm deprehendatur? Nemo non videt, quid aſperi mereatur perverſa iſthæc hominis voluntas, & illuſoria pœnitentia, & periculoſa contagio.

Attamen & hîc audire juvat caritatis voces, etiam atque etiam commendantis, ut quàm difficillimè, quàm rariſſimè ad extrema Hæreticorum atque Apoſtatarum vel pertinacium ſupplicia deveniatur. Caritate ergo hortante, reorum perſonam priùs induere debent ſupremi Judices, & Magiſtratus; quod cùm fiat, non tam proni ſubinde erunt ad arripiendam ſecurim, non tam lenti ad miſericordiam impertiendam. Culpam autem Hæreticorum quorundam etſi non tollit, aliqua tamen ex parte minuit conſideranda in iis voluntas. Non improba planè, non prorſus vitiata in illis eſt interdum hujuſmodi potentia. Vellent veritatem ſervare, Deo placere, & errorem effugere; dúmque etiam pro errore ac impietate pervicaciter pugnant, ſe gratum Deo facere perſuaſum habent, ſuæque obſequuntur conſcientiæ. Culpam quidem, ut diximus, ne ſic quidem apud homines, eóque minùs apud Deum, effugiunt, cùm in cauſa ſit ipſa eorum voluntas, ne errorem dignoſcant & Hæreſim exuant; ſed non parum extenuare poteſt culpam ipſa hæc eadem voluntatis in bonum, & verum inclinatio. Peccat in iis intellectus potiſſimum. Omnia autem delicta, quæ ob impetum affectuum, atque errorem intellectûs patrantur, quippe quòd in ipſis non præcedit omninò libera electio mitiùs punienda ſunt, & veniam æquiùs impetrant, quàm quæ proficiſcuntur à prorſus libera electione, & perverſitate voluntatis. Hæretici autem, vel pertinaces, cum errore intellectûs, & cum ipſa voluntatis per-

pervicacia plerumque conjunctum habent probum aliquem ipſius voluntatis affectum. Indue ergo parumper Hæretici perſonam; neque miraberis, tam ſerò, aut nunquam expediri mentem poſſe à præjudicatis opinionibus, quas certas, Deóque gratas putes. Excogita hominis nativam calamitatem, quem tot impediunt tenebræ, cui etiam volenti adeò difficilè veritas perſuadetur. Si tibi ſimilis error accidiſſet, & deponere impium putares, nihil fortaſſe differres à pertinaci illius erroris patrono. Reliquorum criminum reos conſcientia ipſa ferè ſemper accuſat, uſque adeò ut ſe ultrò pœnis & morte dignos aut fateantur, aut ſentiant. Contrà non pauci Hæretici ſuum crimen neque agnoſcunt, neque ſibi exprobrant, idque ut faciant, ſupplicia plerumque facere non poſſunt. Imò contra conſcientiam, & adverſus Deum ſe facturos ii crederent, ſi à ſua ſententia in contrariam diſcederent, ac tormenta priùs non ſuſtinerent. Cum eorum ergo crimine multa infelicitas conjuncta eſt, & non parum involuntarii, & proba aliqua voluntas ac indoles: quæ omnia caritatis Chriſtianæ memorem à nimia ſeveritate retinere, & ad miſericordiam impellere meritò debent ac poſſunt.

Prætereà ſolicitè cuicumque Chriſtiano Magiſtratui curandum eſt, ut ſuos fratres lucretur, & ab æternis pœnis arceat. Cui muneri non deeſt, quiſquis facinoroſos extremo ſupplicio plectit; nam ex iſtis nullus ferè eſt, qui ſceleris ſui turpitudinem non agnoſcat, & pœnitentiâ ductus è vita non abeat, & mortem ipſam corporis in animæ ſuæ utilitatem non vertat, aut vertere poſſit. Hæretico autem pertinaci, in quem lictor animadvertit, omnis præcluditur ad ſalutem via; tempúſque reſipiſcendi aufertur. Ille quidem vitio ac pertinaciâ ſuâ pereat, ſed culpâ nequaquam cognitâ; atque adeò chriſtianæ manſuetudinis foret ſuſtinere potiùs quàm urgere ultrò feſtinantem in æterna ſupplicia. Quis enim ſcit, an non aliquando eidem daturus *ſit Deus pœnitentiam*, ut cum Apoſtolo loquar 2. ad Tim. 2. *ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcendum à diaboli laqueis, à quo captivus tenetur ad ipſius voluntatem?* Ad hæc deterrimus ille mortis terror facit, ut apertis Hæreticis fictos non rarò habeamus Catholicos. Quòd ſi poſtremum ſupplicium intrepidè à nonnullis feratur, ipſe error latiùs interdum ſerpit, cùm incauti homines non animorum pertinaciæ, ſed veritatis virtuti ac fiduciæ tribuant miſeram illam in tormentis & morte conſtantiâ. Exempla in hanc rem plurima ſuppetunt. Non hîc tamen diſſimulandum eſt, hujuſmodi

homines, ſi vivere diutius ſinantur inter gentem Orthodoxam, publicæ rei nocere poſſe prædicatione errorum. Et ſanè periculum iſtud impigrè avertendum. Tunc enim ad ipſam caritatem Chriſtianam ſpectat, plurium ſaluti proſpicere,quàm unius.Sed ubi aliter conſulere poſſit Princeps reipublicæ,quàm ſublato è vivis pertinace Hæretico: tunc erit gratiſſimum caritati, quòd & iſtum incolumem ſervet ad emendationis ac pœnitentiæ ſpem Inſpiciendum ergo,an non carceres, exilia & aliæ ſalutares pœnæ, & anathemata,quibus errans à fidelium conſortio amoveatur,& Monaſteria,queis ad pœnitentiam ac diſciplinam includatur, idonea ſint remedia, ut cohibeatur à veneno ſpargendo,& ad ſaniorem mentem infelix ille ſenſim perducatur. Caritas tandem nihil intentatum relinquit,quo ſi fieri poteſt, à temporali ac ſpiritali morte fratrem defendat, ac liberet; & cùm pœnitentem certè necari non ſinat,ideo pœnitentiam hominis,quanquam ſeram, libentiùs exſpectari cupit,quàm ejus pertinaciam citò puniri.

Succedit alia errantium phalanx,nempe non pertinaciũ. Primò autem animadvertere opus eſt,propriè hæreſim appellari non poſſe,à qua abſit animi pertinacia.Cujus placiti certiſſimas rationes non eſt, cur nos congeramus, quando eas alibi à graviſſimis Theologis luculentiſſimè digeſtas habere Lector poteſt.Quamobrem cùm hoc hominum genus Hæreticos nuncupamus,ex uſu potiùs,quàm ex ratione loquimur. Eadem verò animi docilitas illud inter Catholicos obtinuit,ac obtinet, ut neminem ſinè pertinacia errantẽ ſupremi Magiſtratus morte puniant, puniendùmve cenſeant. Rectè ſanè.Utì enim dictum eſt,non ideo Hæreticis pervicacibus vita interdum eripitur, quòd errent, atque à veritate defecerint, ſed quòd moniti atque edocti germanam fidem, pertinaciſſimè deliramenta ſua aut prædicare,aut fovere pergunt; h. e. infelici mentis errori voluntatis crimen adjiciunt. Si ergo quiſquam à fide, aut ab unitate Eccleſiæ excidat,monitúſque poſteà reſipiſcat,& edoctus intelligat, fateatur, ac ejuret falſam doctrinam: meritò voluntati ejus bonæ malum intellectûs errorem indulget Eccleſia.Æquum nihilominus eſt,ut homini pœnitentiâ erroris ducto injungantur ſalutaria aliquot pœnitentiæ genera, quibus aut Deum ſibi propitium facere,aut ſcandala præterita reparare, aut certos in poſterum de vera ſua pœnitentia, & non fictâ emendatione, fideles reddere poſſit. Proinde & hoc rectiſſimè conſtitutum eſt, ut ſponte ſuâ ſeſe accuſantes, ac pœnitentes, omnium

mi-

Digitized by Google

mitiſſimè habeantur; reliqui pro erroris, & ſcandali, & pertinaciæ præeuntis diverſitate diverſis ſubjiciantur pœnitentiæ ſpeciebus.

Quod hìc tamen commendandum in primis videtur, illud eſt, ut Chriſtianæ caritatis, atque prudentiæ maxima cura habeatur à Quæſitoribus Hæreticæ pravitatis. Rectiſſimè inſtituta fuit, noſtriſque etiam temporibus utiliſſima eſt horum auctoritas, quippe ſuccreſcens facilè vulgi ſuperſtitio, & ingeniorũ temeritas non raro comprimuntur, & à Domini tritico zizaniâ arcentur. Optimis præterea legibus conſtat eorum facultas, (& placidis etiam, ſaltem apud Italos) ut plus inter nos ſeveritatis in proſpectu, quàm in receſſu, invenias. Sed periculum etiam ſubeſt, ne quis auctoritate legibúſque ſanctiſſimis ob immoderatum zelum, nimiámque aſperitatem abutatur. Dicam id, quod mecum dicant, ut ſpero, me ſapientiores; dicam, quod dicunt & faciunt optimi Quæſitores, atque exoptant, ut fiat à cæteris ſodalibus ſuis. Neceſſaria ſemper eſt accuratiſſima diligentia, quæ nihil erroris, nihil ſuperſtitionis aut pullulare, aut vigere ſinat. Neceſſaria quoque ſeveritas ſæpè eſt, ne nimiâ indulgentiâ animum ſceleribus addat. Sed non eò uſque procedere diligentia debet, ut vel leviſſimis de cauſis, & meris de ſuſpicionibus, carceres, & alia incommoda fidelibus creentur. Neque talis ac tanta eſſe debet ſeveritas, ut caritatem, & manſuetudinem Chriſtianam unquam obliviſcatur, & à ſe abjiciat. Aſperos ſe præbeant in judiciis civiles Magiſtratus; nihil nos moramur ſæculi ritum. At certè Eccleſiaſticos Judices, & Chriſti Sacerdotes, & Chriſtianæ Legis, hoc eſt caritatis & manſuetudinis Præcones ſimul, atque exemplaria, omnium maximè lenitas, ac benignitas decet; torvum autem ſupercilium & immitis animus omnino dedecet. Neque enim Epiſcopos tantùm, ſed cæteros etiam Eccleſiæ Miniſtros, exigere Apoſtolus mihi videtur *non ſuperbos, non vinolentos, non percuſſores,* (id eſt, non linguâ, non contumeliis, non acerbitate quemquam ferientes,) *non turpis lucri cupidos, ſed hoſpitales, benignos, ſobrios, juſtos, ſanctos.* Idem etiam in 2. ad Tim. 2. egregia illa verba, & altè noſtris omnium animis inſigenda habet: *Servum autem Domini non oportet litigare, ſive pugnare; ſed manſuetum eſſe ad OMNES* (ſive ἤπιον, benevolum, placidum, lenem, & humanum erga omnes,) *docibilem, patientem, cum modeſtia ſive lenitate corripientẽ eos, qui reſiſtunt veritati.* Quod ſi manſuetudinem, & patientiam, & lenitatem, & humanitatem enixè commendat Apoſtolus vel in eos, qui, ut habet

 vulga-

Digitized by Google

vulgatus Interpres, *veritati reſiſtunt*, & ſunt in errore pertinaces: quantò enixiùs credendus eſt manſuetudinem eandem commendâſſe erga illos, qui non reſiſtunt veritati, ſed errorem, ſimul ac edocentur, ponunt, & in veritatis caſtra libentiſſimè redeunt? Et quidem Apoſtolica Sedes medicinale tribunal hoc eſſe voluit, non aſperitatis, atque inclementiæ. Cavendum ergo, ne turbidi affectus, ne ira, ne ambitio exercendæ potentiæ, ne feritas hic locum habeant; curandum, ut captandæ famæ, & zeli non levis oſtentandi cupido, quò poſteà ad ampliora munera facilior ſit aditus, in miſeræ gentis perniciem & incommodum vertatur; denique ſtudendum, ut ſicubi peccandum ſit, ex benignitate potiùs nimia, quàm ex nimio rigore peccetur. Quòd ſi Italicæ Inquiſitionis Magiſtratibus qui mitiſſimi omnium ſunt, aut minore ſaltem, quàm reliqui ſeveritate utuntur, dicimus, caritatem præ oculis ſemper eſſe futuram: quantò magìs commendandum id erit Hiſpanicæ Inquiſitionis Præſidibus, immo Luſitanæ, ſi vera fortè ſunt, quæ de illorum rigore feruntur?

Itaque primò ſuſpiciones meræ, & leviuſculi rumores de alieno errore, ſive ſuperſtitione, ac Hæreſi, ſatìs eſſe non debent, ut cuiquam negotium faceſſas, & vincula inferas. Quanquam & hoç referre ſupervacaneum fortaſſis eſt; video enim apud nos non ſinè prævia eáque gravi cognitione rerum procedi. Secundò error in iis eſſe rebus & controverſiis poteſt, quas nondum Eccleſiæ, aut Concilia ſtatuerint. Fac iſta deinde ſtatuantur ac dirimantur ſupremo Eccleſiæ oraculo: à crudelitate ac injuſtitia non abeſſet, qui Theologo, ſive Scriptori aliter ante judicium Eccleſiaſticum ſentienti, Hæreſim objiceret, ipſúmque malè propterea haberet. Utique is erravit, ſed excuſabili errore; tunc enim verè crimen eſt, ab Eccleſia, & Doctrina Chriſti diſſentire, cùm homini conſtat, quænam ſit Eccleſiæ mens, & doctrina Chriſti. Hoc autem notum, certúmve eſſe homini antea non poterat, tacente ac tolerante Eccleſiâ. Et profectò, ſi judicandum ſecùs foret: dedecoris & Hæreſis notam nonnullis Sanctis Patribus inureremus, è quorum calamo & mente ſententiæ quædam exciderunt, quas deinde Eccleſia non tulit. Sed nihil ex eorum ſanctitate idcirco imminutum, quia nihil antea illa de re fuerat conſtitutum. Facit eadem ratio, ut Vincentium Lirinenſem, Caſſianum, alióſque Semipelagianis Opinionibus olim addictos, è Sanctorum faſtis, ſive è Ca-

è Catholicorum albo non expungamus; ſiquidem floruêre ante Arauſicanam Synodum, cujus decreta ſi quiſquam poſtea contempſiſſet, tum ſolùm culpandus meritò & anathemate percutiendus fuiſſet. Idem fiet, ſi quando Romani Pontifices, atque Concilia, nonnullas ex iis de divina Gratia & libero Arbitrio ſententiis, quæ nunc in Scholis impunè obtinent, aliquando proſcribant.

Tertiò, errare etiam homines & Scriptores poſſunt in ipſam Chriſti & Eccleſiæ doctrinam. Quod cùm accidit, conſiderandum eſt, num ex ignorantia & incuria, an verò ex perverſa voluntate, deditáque operâ, ſe conjecerint in errorem ſibi certè perniciosum. Si apertis oculis à Dogmate Catholico diſceſſum eſt, nemo neget, quin hujuſmodi crimen caſtigatione ſit in primis dignum. Sed longè mitior ultro ad pœnitentiam venienti caſtigatio erit; longè autem durior agnoſcenti quidem errorem ſuum, ſed urgente metu pœnarum, & nonniſi ex alieno impulſu. Ità veræ Eccleſiæ ac Religionis deſertores, dum ſponte, & non mendaci pœnitentiâ ducti, ad gremium fidei revertuntur, minimè graves pœnas ſubire coguntur. Et contrà ſeveriùs mulctati, qui Magiſtratuum vigilantiâ deprehenſi, terrorem exſpectârunt melioris ſententiæ magiſtrum. Attamen vel in his expendere juvat minorem majorémve in defectione pravitatem voluntatis. Multos enim non odium Catholicæ communionis, ſive doctrinæ, non ingenii ambitio, non contemptus Eccleſiæ, ad Hæreſim traxit; ſed humani alii affectus, aut Præſidum ſeveritas, aut diſciplinæ impatientia: quæ ſanè imminuere quandoque poſſunt voluntatis ſcelus, quod eſt ad læſam fidem, majorémque propterea mereri miſericordiæ menſuram.

At alios ignorantia ſola, & incuria errantes fecit. Quis enim eſt, qui ſcire omnia, nihil oblviſci, & nunquam errare ſibi tribuat? Sed quicumque errat, animo interim veræ Fidei & Eccleſiæ Catholicæ conjunctiſſimo, falſa Dogmata non amplexurus, non propugnaturus, ſi ea ſciret averſa à Schola Chriſti, & à diſciplina, ac mente Eccleſiæ, & ubi ſcit, ea illico execrans: cur puniendus, cur rigidè excipiendus apud homines, cùm nullo apud Deum crimine idcirco is teneatur, niſi de Dogmatis iis præcipuis ſit res, quæ neſcire ſuapte naturâ peccatum eſt, & neſcire Chriſtianus homo non debet? Exploranda igitur ſedulò eſt errantium voluntas; quòd ſi promptus in obſequium fidei & Eccleſiæ, illorum animus deprehenditur,

vel

vel dum errant: edocendi ſunt veram ſententiam, monendi ut à ſermonibus abſtineant graviſſimarum rerum, dum ſibi majorem prius non comparârint Eruditionem Theologicam; & excuſanda facilè ingenii infirmitas, aut ignorantiæ inconſultus error. Non autem continuò in vincula conjiciendi ſunt, non diu detinendi, atque vexandi, neque populo ſpectaculum miſerabile daturi. Hominem vidimus rudi minervâ, cui exciderat, alium eſſe à vulgari noſtro purgatorium ignem. Communibus quidem ſuffragiis innocens evaſit, ſed poſt non paucos carceris dies, & non ſinè ingenti rerum ſuarum incommodo. Prudentiæ potiùs, & caritatis erat, hunc accitum monere, ne talibus ſeſe immiſceret, & verbis tantummodo arguere, ad canendam palinodiam jam paratiſſimum, quanquam & hæc quæſtio ex iis ſit, quæ adhuc in ancipiti poſitæ, nondum Eccleſiæ calculo fuêre diremptæ. Errant enim multi, quia non Theologi; errant & ipſi quandoque Theologi, quia tunc non errare, ſed cùm Eccleſia ſentire ſe putant. Privatæ verò objurgationes ſatìs plerumque forent, ac eſſe deberent ad medicinam errantium. Alioqui ſi levibus de cauſis in carcerem, & in roſtra, homines rapere velis, & præſertim rudes, ac Theologiæ abſtruſioris, melioriſque Diſciplinæ ignaros: verendum eſt, ne caritatis tribunal apud optimos ob nimium rigorem malè audire incipiat, & ex terrore potiùs, quàm ex amore Chriſtiani in poſterum ſimus: quod à mente Apoſtolicæ Sedis, & meliorum profectò abhorret.

Quid ſi eos divexare velimus, qui in Opinionibus aut Philoſophicis, aut Hiſtoricis, aut Aſtronomicis, aut etiam Theologicis, ſed nondum ab Eccleſia, ſive à Romanis Pontificibus, ſive à Concilio quopiam proſcriptis, errare nobis videntur? Facilè contra jus, nedum contra caritatem, hæc agendi ratio pugnabit. Numquid enim tua opinio, ab illorum opinione diverſa, ideo verior & ſanior eſt, quia tu potentior, quàm illi? Ne tu quidem, ut puto, id arbitrêre. Sola divinarum Scripturarum, & Eccleſiæ mens cognita facere poteſt, ut tu de veritate ſententiæ tuæ, illi de errore ſuo certi ſitis. At cùm non illi minus, quàm tu, contendant, opiniones ſuas conſentire cum ſacrarum Literarum & Eccleſiæ doctrina, cùmque Eccleſia, utì prædixi, mentem ſuam nondum hìc explicuerit: propterea hujuſmodi opinionum propugnatio nondum crimen evaſit, pœnis & carcere exagitandum. Quis enim te certum facit, Eccleſiam contra illos potiùs, quàm contra te, eſſe

ali-

aliquando pronuntiaturam? Et ii quidem fortaſſe in errore verſentur. Sed quamdiu latet Eccleſiæ oraculum, eique parere ac cedere, ſimul ac prodeat, paratiſſimi ſunt homines: ab officio veri & obſequentis Chriſtiani minimè per illos diſceditur, & apud Deum non peccatur; & error ille (materialis, ut ità dicam, non verò formalis) nondum carceribus aliiſve corporeis incomodis caſtigandus erit. Quamobrem ut non audeam quaſcumque Carteſii Opiniones Theologiæ Catholicæ conſonas appellare, multóque minus præſtare; attamen cùm hoc ille, ejúſque aſſeclæ, ſibi perſuadeant, & ſuis etiam rationibus oſtendere conentur: vix intelligerem, cur adversùs eos rigorem adhibere placeret, priuſquam Eccleſia opiniones hujuſmodi ſuo decreto proſcripſerit, atque damnârit. Utique Carteſii Libros nonnullos cùm Romanus Pontifex, tum Academiæ quædam nigro thetâ confixerunt. Sed numquid hæreſibus ſcatent, quicumque Libri configuntur? Num ſententiæ omnes, quas carteſius literis conſignavit, errorem ac hæreſim ſapiunt, ut ſingulas abominari, ac rejicere ſit opus? Cùm hoc à fidelibus Eccleſia expetit, ſolet ſententias, ſigillatim enuntiatas, hæreſis, aut falſitatis damnare. Antequam damnet, earum patronis bona fides eripi non poteſt, dum tamen opiniones tueantur reverà dubias, hoc eſt nondum definitas, & à definitis apertè non effluentes, & in iis tuendis ſe ab Eccleſia diſſentire non putent. Neque privatorum objurgationes facere poſſunt, ut bonæ fidei privilegia in ipſis ceſſent, multóque minus cùm ſuſpicio adeſt, ne privati homines ad eas opiniones damnandas ferantur amore potiùs privatæ cujuſpiam Scholæ, quàm certâ cognitione veritatis, quæ adhuc latet, ſive fiduciâ proferendi ab Eccleſia decreti. Locum hìc habere poſſunt, quæ de Ariſtotelis fortuna in Chriſtianorum Scholis apud Veteres feruntur, & quæ olim contigêre in celebri controverſia *de Divinis Auxiliis*, & *de Scientia media*.

Sed nos aliò properamus.

C A-

CAPUT XIV.

Zelus ineruditus, & nimia Licentia in Fidei & Diſciplinæ negotiis. Quos peſſimos effectus ille pariat. Scientia & Prudentia ſi à Zelo abſint, quid ſequi inde poſſit. Zelus ineruditus Novatorum. Quomodo regendus Zelus. Licentia opinandi in Religione nimis nocet. Ejus exempla in Phereponi Libris.

MUlta ſunt, quæ ad inveniendam veritatem obſtant; multa, quæ inventam in publicum efferri non ſinunt. Ignorantia, præjudicatæ opiniones, ambitio, impotentia, terrenorum bonorum amor, dedecoris timor, auri & gloriæ ſitis nimia, atque alii effrenes animi effectus, quotidie veritati bellum indicunt, & errori patrocinantur. Ego Librum concludam, duobus præcipue commemoratis, quorum unum pauci ferè conſiderant, aut animadvertunt, in quot exceſſus, & incommoda vergat, & vergere poſſit; alterum omnes paſſim & cognoſcunt, & deteſtantur, cùm tamen ab eo non pauci abſtinere neſciant, ſéque illo teneri non ſentiant. Zelum ineruditum intelligo, & nimiam licentiam in Fidei & diſciplinæ negotiis. Ille ſuperſtitionem, grave ſcilicet malum, procreat; iſta Hæreſes, & Schiſmata, graviſſima nempe mala, quorum incommoda brevi oratione perſequi, & frena ſimul proponere eſt opus. Quod attinet ad ineruditum zelum, dicimus, nomine zeli ſignificari honeſtum illud & laudabile ſtudium, quo accendimur ad colendum Deum ejúſque ſervos honorandos, & ad illius Legem, & veram Religionem tuendam atque propagandam. Sed optimus hic hominum affectus, cæterorum affectuum, atque ipſarum virtutum more, in peſſimos exceſſus interdum excurrere poteſt, & in illaudanda facinora. Quod tum contingit, cùm homines pio quidem zelo ardentes, ſed ſcientiâ deſtituti, id peragunt, quod ipſi divinæ Legi, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, & documentis rectæ rationis, & prudentiæ, & caritati adverſatur. Teſtimonium perhibente Paulo ad Rom. X. *Judæi Zelum Dei habebant*; ſed ille *zelus* non *ſecundùm ſcientiam* erat. Tuebantur mordicùs Moſaicam Legem, atque in ipſius ritibus collocabant potiſſimam ſalu-

ſalutis ſpem, & maximum hominis penſum. At qui zelum Dei habebant, non habebant ſcientiam Dei; quare Dei honorem potiùs oppugnabant, ejúſque legem perſequebantur. Neque aliter ſe olim geſſerat ipſe Paulus, cùm *paternarum æmulator*, ſive *Zelator traditionum ſupra multos coætaneos ſuos*, devaſtabat Eccleſiam Chriſti. Eodem imprudenti zelo Scribas & Phariſæos abundâſſe, nonnunquam etiam Diſcipulos Servatoris laborâſſe, ex Evangelio diſcimus. Hinc Aug. de Civ. Dei. Lib. 10, Cap. 12. tam ſecundo quàm pravo ſenſu zelum accipi ait in divinis Scripturis. *Sicut enim*, inquit, *zelus in bono poſitus eſt, ubi legitur: Zelus domûs tuæ comedit me; ità è contrario in malo, ubi dicitur: Zelus occupavit plebem ineruditam.* Illud igitur, quod ſolet ac poteſt deſtruere honeſtiſſimam indolem zeli, ignorantia eſt, inſipientia, ac ineruditio: quæ mala cùm in plebe crebriùs inoleſcant, facilè etiam in eadem zelus immoderatus & pernicioſus vim obtinet. Ubi neſcias, quibus moribus, quibus ritibus, ac artibus Deus velit ſe coli, Sanctos ſuos honorari, Legem ſervari, ac defendi, virtutes exerceri: quid mirum, ſi pius ille tuus ardor in abſona interdum feratur, atque indigna, quæ Deo placeant, quo ipſo tempore tantopere curas, ut per ea placeas Deo? ſinè prudentia, ſinè ſcientia plus nocere, quàm prodeſſe poteſt zelus non privatis tantùm hominibus, ſed reipublicæ ipſi. Hinc egregiè ſanctus Bernardus Serm. 49. ſuper Cantic. *Importabilis*, inquit, *abſque ſcientia eſt zelus. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio caritatis. Semper quidem zelus abſque ſcientia minus efficax, minúſque utilis invenitur, plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur. Quò igitur zelus fervidior, ac vehementior ſpiritus, profuſiórque caritas, eò vigilantiori opus ſcientiâ eſt, quæ zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet caritatem.*

Et quid quæſo non fecit ineruditus zelus? quid quotidie non facit? ſanctam Religionem amplificare, Idola fugere ac deteſtari, ad zelum verè Chriſtianum pertinet. Sed ipſum dedecebat, interdum Ethnicis rerum potientibus inſultare, eorum fana evertere, eorum Idola conterere, minimè conſentientibus in eam rem Principibus; dedecebat Judæis ſubjectis contumelias, & dira tormenta atque incommoda inferre, aut filios invitis parentibus eripere, ſacro Baptiſmate abluendos; & alia hujuſmodi audere. Zelotis Chriſtiani eſt, cultum Deo O. M. ſemper, & ubique, & ferventiſſimè præſtare; ejúſque amorem,

ac

Digitized by Google

ac reverentiam inſtillare populis. Verum ab hac præſtantiſſima virtute abhorrebat, Deum colere inopportunis locis, atque temporibus, ornamentis luxum potiùs quàm gravitatem referentibus, Muſicis concentibus magis intemperantiam quàm pietatem conciliantibus, ritibúſq; ab Eccleſia nondum probatis, imò nonnunquam ab ipſa improbatis. Abhorrebat, Myſteria pietatis, & Sacramenta impiis atque infidelibus prodere; & ex ipſis ridenda potiùs quàm veneranda exhibere populo ſpectacula; & immoderatam peccatoribus à Deo polliceri indulgentiam, aut eoſdem nimiâ ſeveritate in deſperationem agere, aut ſpem ſalutis omnem ponere in quibuſdam levibus externæ pietatis inſtitutionibus, quod Phariſæi olim quoque faciebant. Zelus noſter eò etiam ferri debet, ut non difficiles nos præbeamus ad credenda ſanctorum Hominum geſta, virtutes, ac miracula, quæ ab Hiſtoricis fide dignis memoriæ traduntur. Sed iſte zelus honeſtos virtutis fines prætergreditur, ubi nos nimiùm faciles efficit ad credenda quæcumque prodigia, ſeu ut apertiùs loquar, ad probandas fabulas omnes, aut leves anicularum narratiunculas de admirandis quorumdam Sanctorum operibus, aut antiquitates fictas, aut Lipſana non ſatis probatæ fidei. Sanctis ipſis Martyribus, & reliquis Beatis, & Deiparæ potiſſimùm debemus honorem non exiguum, quippe in illis, licèt conſervis noſtris, honoramus dona Dei, & gratiam Chriſti, atque adeò ipſum Deum, qui & ex eorum interceſſione plura in homines beneficia ſpargit. Sed immoderato, & minimè laudabili zelo ardebit, quiſquis talem ipſis honorem defert, qualis uni Deo convenit; aut ab ipſis ità poſcit ac exſpectat non temporalia ſolùm munera, ſed ipſam peccatorum remiſſionem, & vitam æternam, ut illos ex interceſſoribus facere Deos videatur; aut omnia pietatis officia in iſtis potiùs ſibi demerendis, quàm in Deo placando, collocat; & ipſos iis nimiis laudibus extollit, quas perfecta diſciplina ægrè ferat, immo ipſi è cœlis minimè probare credendi ſunt; eorúmque Imagines, & ſacras Reliquias, & Dies Feſtos cultu immodico proſequitur.

At non alia de cauſa homines hìc errant, quàm quia carent ſcientiâ, atque prudentiâ, h.e. ignorant, quid, & quando, & quomodo agendum ſit, ut rectè agant. Pio amore cœleſtium & Religionis æſtuant, ſed amorem iſtum in abſurda & pernicioſa efferre ſæpè ſolet, ac poteſt moderatricis ſcientiæ penuria. Hinc in popello, in indoctis, illiteratis,

Digitized by Google

ratis, atque mulieribus, frequentiores ſunt zeli exceſſus, quippe in iſtis ignorantia communior. Ipſos etiam literis & ſcientiâ excultos homines exuberans ardor nonnunquam extra orbitas rapit, aut rapere videtur. Cur hoc quæſo? Quia non ſatis bonis literis non ſatis ſcientiæ, operam dederunt, aut quia ſcientiæ multæ exiguam ſapientiam, atque prudentiam minorem, conjungunt. Quapropter nihil magis commendandum eſt Eccleſiæ Præpoſitis, quàm ut impenſum in Eccleſiaſticam eruditionem ſtudium conferant, quò ſingula tum ad Chriſti doctrinam, tum ad Diſciplinam ſpectantia rectè ipſi ſciant, & alios docere ſubinde poſſint. Meminerint, quid per Oſeam Prophetam Deus olim edixerit Oſ. IV. 6. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam. Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Proinde neceſſe ſaltem eſt, ut Eccleſiarum Paſtores ſupremi Miniſtros ſibi adſciſcant, aut homines ad conſilium adhibeant, quibus conſummata ſit iſtius eruditionis peritia. Alioqui ſi zelus ineruditus, & in plebe potiſſimùm, ſedulò nō coërceatur, ſuperſtitio immane malū, & æquè ac ipſæ Hæreſes formidandum, invalebit, ſanctiſſimæq; Religionis vultū ſumopere deformabit. Monſtrum iſtud, ſuperſtitionem, inquam, ignorantia parit, zelus immoderatus nutrit ac fovet. Quod enim omnium peſſimum eſt, hujuſmodi inſipientis zeli culpâ ſæpè fit, ut abuſus inveteratos, pietatis referentes ſpeciem, nemo tollere, aut tolli ſuſtineat. Immo ſi qui melioris notæ eruditi voce aut calamo in ſuperſtitionem aut gliſcentem aut vetuſtam inſurgere cupiunt, interdum aut ne hiſcere quidem ſinuntur, aut certè parum Chriſtiani animi famam in ſe concitant, & ſcandala ſtatim excitare poſſe creduntur. Ergo quis non intelligat, quanta ſit neceſſitas eruditionis & ſcientiæ, ne veritas lædatur, ac ſupprimatur, néve ſuperſtitio regnet? Neque verò putes ad tantum negotium ſufficere Scholaſticorum Theologiam. Dogmaticâ hìc opus eſt in primis, & non mediocri controverſiarum, quas cum Hæreticis habemus, peritiâ; ità enim ſinceris hominibus meliùs innoteſcit, qui ſint fines tum veræ doctrinæ, tum diſciplinæ melioris, quos una Eccleſia Catholica fideliter ſervat, Hæretici pertinaciter contrariis hinc inde ſententiis, aut etiam inerudititi incautè quidem, ſed parum laudabiliter, prætergrediuntur. Itaque tum Conciliorum, tum Romanorum Pontificum, tum ſanctorum Patrum documenta accuratè conſulenda ſunt in hunc finem, & non facilè deinde peccabitur. Tandem credendum eſt, poſſe Deum quidem tole-
 rare,

rare, non autem probare zelum ſinè ſcientia delirantem; nam ut ut ipſi pius affectus placeat, fieri tamen non poteſt, quin ipſi contrà diſpliceat parum pius prodendæ hujus affectionis modus.

Diſſimulare autem nequeo alterum ſcientiæ neglectæ, aut ignorantiæ dominantis effectum in hominibus piis. Undique pericula ipſi timent, undique ſcandalum patiuntur Quoties homines Deo dicatos conſpiciunt æquè ac ſæculi cultores, vitiis effluentes, & luxuriâ fœdos, & mammonæ potiùs quàm Dei laudibus addictos: tum mirantur, ac horrent, atque ex intimis præcordiis dolent, ac indignantur ſuorum temporum conditionem. Si Epiſcopos, ſi Sacerdotes deprehendunt ſanguini diligentiùs, quàm altari ſervientes, & ambitione turgidos, & ſacris in ſuam rem abutentes, & Simonis veneno afflatos: quid non muſſitant? quid non conqueruntur? Priora Eccleſiæ ſæcula ante eorum oculos, atque in eorum labiis continuò recurrunt De Religione primæva multùm excidiſſe tum dictitant. Imò in pietate nonnunquam frigeſcere idcirco illos videas; ſenſim quippe decreſcit in eorum animis veneratio atque exiſtimatio non tantùm Sacerdotalis ac Monaſtici Ordinis, ſed Religionis ipſius. Eò etiam quandoq; ſe rapi ſinunt, ut perſuadere ſibi nequeant, aut veram, aut ſanctiſſimam eſſe Religionem illam, quam adeò nefariis moribus negare, & flocci pendere videntur illi, quorum præ cæteris eſſet eam & dictis probare & factis Quòd ſi apud Hæreticorum quoſdam ſplendidiorem fortè pietatis, aliarúmq; virtutum ſpeciem intuentur: tum ſuſpicio aboritur, ne apud illos germana, apud nos vitiata Religio habeatur. Et quidnam, quæſo, tot populos à Catholicæ Eccleſiæ ſinu proximè præteritis ſæculis abſtraxit, & in Lutheri, aut Calvini caſtra conjecit? Ignorantia iſta, zelus iſte ineruditus, & ſcandali patiendi nimia facultas. Non erant (fatendum eſt) ii Sacerdotum mores, quos & Religio, & inſtitutum vitæ poſcebant. Superſtitio aliqua in populis; avaritia & luxuria in non paucis Eccleſiaſticis viris, nimiùm prominebant, ut occultari, aut diſſimulari jam poſſent Igitur ubi adversùs iſta declamatum eſt, zelo Dei exarſit ineruditus populus, ſibíque cenſuit ab ea Eccleſia diſcedendum, cujus ſanctitatem fruſtra requirebat in pleriſque Paſtoribus.

At miſeri infeliciſſimè errârunt. A Paſtoribus fugientes, quos lupos credebant, ſecuti ſunt lupos Paſtoralem præſeferentes perſonam. Etenim undenam didicerunt, propter perverſos Sacerdotum mores ab Eccleſia Dei veri receſſionem

nem eſſe faciendam? Contendebant quidem eorum temporum Pſeudo-prophetæ, Romanæ quoque Eccleſiæ doctrinam eſſe corruptam. Verùm quî de tanti momenti re, de qua etiamnum diſputatur utrinque à doctiſſimis & clariſſimis ingeniis, tam citò judicare potuerunt homines indocti, rudes, & à ſtudiis Theologiæ prorſus alieni? Morum corruptio tunc patentiſſima, & diſciplinæ abuſus, vel oculis plebis indoctæ conſpicui, in cauſa fuerunt, ut doctrinam quoque Romanæ Eccleſiæ corruptam ſomniarent, & crederent. Ergo cavendum iis erat, ne ſcandala tantùm in ſuis cordibus poſſent, ut non mores dumtaxat, ſed etiam malè moratos Paſtores, ipſámque Paſtorum Eccleſiam, atque Religionem, deſerendam arbitrarentur. Id non cavendum minùs deinceps; erunt enim vitia, donec homines; & ut prædixerit Chriſtus futuram hanc morum corruptionem, attamen edixit, non eſſe noſtrûm, bonos piſces à malis ſeparare, atque à tritico paleas. Ad iſta ſanè nequit quin ingemiſcat vir pius ac eruditus; ſed nullum inde ſibi ſcandalum creari patitur. Scandala quippe creat facinorum novitas, hanc autem ſcientia, ſive eruditio tollere poteſt ac ſolet, Apoſtolorum tempora intuere; tria, imò quatuor, & quinque priora Eccleſiæ ſæcula contemplare. Nunc imperita gens à Chriſtianis iis, & præſertim ab Eccleſiæ Paſtoribus, omnem iniquitatem exulâſſe ſibi perſuadet. Secùs teſtantur ipſæ Literæ ſacræ, ipſi ſancti Patres, ac præcipuè Cyprianus, Nazianzenus, Hieronymus, Salvianus. Subſecuta ſunt tempora longè pejora prioribus, ſed meliora tandem evasêre, ut ſi Chriſtiana Reſpublica ætatis noſtræ cum multis aliis præcedentibus ſæculis conferatur, habeat unde ſibi jure gratuletur, & divinæ miſericordiæ referat gratias.

Zelum ineruditum alterum illud incomodum ferè ſemper conſequitur, de quo aliàs conqueſti ſumus, & quod hìc repetere non puto ſupervacaneum; nimia videlicet formido, ne quicumque minùs cum vulgo ſapit, ac aliter loquitur quàm vulgus, Religioni & Eccleſiæ ſanctiſſimæ exitium creet. Nequit emunctæ naris eruditus, quin abuſus in Eccleſiaſticam diſciplinam identidem irrepentes animadvertat; quomodo enim maculæ iſtæ ſe ſubducant oculis legentium monumenta ſummorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum? Ars critica, neceſſarium in Eccleſia Dei flagellum ad impoſturam omnem, erroréſque tollendos, erudito homini interdum aperit, quæ ſint conficta miracula, qui apocryphi ac ſuppoſititii Libri, quidve à magni etiam

nominis ſcriptoribus in Hiſtoria & eruditione Eccleſiaſtica peccetur. Si quis tamen zelo ſecundùm ſcientiam incitatus, quod Majores noſtri cum laude fecerunt, facere & ipſe velit, hoc eſt, aut voce aut ſcriptis hujuſmodi abuſus ac peccata prodat, ac eliminare nitatur, non modeſtiam, non prudentiam oblitus: ignara gens non raró exhorreſcit, & ejuſmodi eruditos ſuſpicione gravat non temeritatis ſolùm, ſed etiam languentis pietatis, fideíque etiam titubantis. Verùm hiſce eruditis, ut cordi ſummopere eſſe debet, ſcandalis quantùm fieri poteſt, occaſionem omnem præripere, itá patienter ferenda ſunt talia piæ ignorantiæ deliria Nullæ ſunt, tametſi optimæ leges, nulla auctoritas legitima, quibus abuti non poſſit, ac ſoleat Magiſtratuum incuria, ignorantia, impotentia. Sed non propterea optimæ leges abrogandæ, optima inſtituta vituperanda, quòd iis abutantur nonnulli. Adversùs hoſce abuſus, modeſtè tamen, ac prudenter, ſcribere piis eruditis licet, ut ſimul eorum odium, & Legum ac Magiſtratuum reverentia inſpiretur. Quod cùm faciunt eruditi, iis eſſe debet ſatis, meliorem hominum partem, ſi non majorem, ſuis habere faventem ſcriptis, zelóque plaudentem. Nimium quippe Eccleſiæ conducit tales literatos habere, ſuperſtitionis, perverſæ diſciplinæ, piorúmque commentorum inimicos, & veritatis ſemper amantes Hæc vera pietas eſt, hic germanus zelus, quem Catholici Epiſcopi in Conciliis ubique produnt, quem Patres commendant, & carum habet in primis Apoſtolica Sedes. Quæ conſideratio mihi quoque animos addidit, ut quæ hactenus diſſerui, diſſimulanda non cenſerem, & ſpem fecit fore ut némini ſaltem ex melioribus conſilium meum diſpliceret, quando non ambitio, non captandæ famæ, aut maledicendi pruritus ullus, non Paſtorum, Legúmque rectiſſimarum contemptus, neque mei ipſius, ſed unius Eccleſiæ, Religioníſque Catholicæ amor, pro qua omnibus vigilandum eſſe puto, & ego lubentiſſimè ſanguinem darem, mihi ut hæc ſcriberem, auctor fuit, utinam alicui utilia, utinam nemini pernicioſa.

Nemini, inquam, pernicioſa; nam in oppoſitum huic exceſſum atque abuſum equidem ſentio homines labi poſſe, atque interdum labi, vel cùm in ipſius Catholicæ Eccleſiæ ſinu degunt. Eſt autem alter exceſſus licentia opinionum tum in fidei ac diſciplinæ negotio, tum in Eccleſiaſtica eruditione pertractanda. Facilè intelligunt homines non rudi minervâ, nimios interdum ac intolerabiles frenos

nos

hos adhiberi ingeniis, vitio videlicet Magiſtratuum, ſuâ poteſtate, optimiſque legibus abutentium. Sed æque deinde non intelligunt, qui ſint legitimi freni, omnibus Chriſtianis jure ferendi, & quouſque procedere meritò ac prudenter poſſit ingeniorum libertas. Hinc ergo totius Antiquitatis, ſanctorumque Patrum, & Eccleſiæ ipſius contemptus, hinc errores, ac temerariæ opiniones; ſique in iis obfirmetur animus, hinc Schiſmata, ac Hæreſes, à quibus tamen ut ſemper caveamus, non ſolicitè ſolùm monuit Apoſtolus, ſed caritas, juſtitia, ac prudentia apertiſſimè præcipiunt. Hos autem ingeniorum frenos itidem videor mihi ſatìs expreſſiſſe in hoc Libro. Quare nunc rogo Lectores meos, ut non minùs diligenter perſpiciant, quid juris ac libertatis futurum ſit ingeniis humanis in tanti momenti rebus, quàm quid freni. Utrinque veritati nocere poſſumus, vel nimium, vel nimis parum nobis tribuendo. Quò doctiores erimus, magíſque in Dogmatica, ac Polemica Theologia, atque in eruditione antiqua verſati, eò cautiùs ac moderatius in ſtudiis ac opinionibus noſtris procedemus. Ignorantia hinc, inde ſuperbia, ſuperſtitioſos pariter ac temerarios faciunt. Mediæ ſtant ſcientia, ac humilitas Chriſtiana. Faciunt iſtæ eruditos, atque Theologos, verè perfectos ac religioſos. Illud autem certum eſt, nos nunquam ex temeritate erraturos, ſi magìs, quàm nos ipſos, famámque noſtram, diligamus decorem domus Dei, hoc eſt, amemus Eccleſiam Catholicam, ejúſque tutelæ ac laudi ubique ſtudeamus, ejúſque judicio omnia noſtra cùm dicta tum facta obſequentiſſimè ſubjiciamus, ejúſque Præſidibus ſacris ad ubique obtemperandum paratiſſimi ſimus. Hoc votum eſt mihi, hoc mihi ſtatutum. Similia à reliquis opto. Quis enim tandem fructus literarum, ſi deſtruas, non ædifices? Equidem errare poſſum ex ingenii infirmitate, non poſſum ex obſequii ac voluntatis defectu.

Non verò longiori ſermone perſequar, quid in his poſſit audere humanæ mentis ambitio, atque ingeniorum licentia: inſtar omnium conſiderandum mihi elegi unum Joannem Phereponum, cujus Animadverſiones in Opera ſancti Auguſtini, ſi non perpetuum, at certè non leve præbent hujus infelicitatis argumentum atque exemplum. Et hominis quidem conſilium ego non miror, cùm potiùs mirandum eſſe debeat, cur non omnes ab Apoſtolicæ Sedis, Catholicæque Fidei doctrina & communione alieni, paria, imò pejora non audeant. Nam ubi Eccleſiam audire

deſieris, Conciliorúmq; ac Patrum excuſſeris obſequium, tuóque judicio nullum aliud eſſe ſuperius tibi perſuadeas præter verbum Dei ſcriptum, quod uti experientia fidem facit, unuſquiſque ad arbitrium, captúmque tuum facilè contorquere novit: quid te amplius impedire poteſt, quominus quodcumque lubet, quodcumque menti tuæ veriſimile occurrit, amplectare ac teneas, & contraria quæque deſpicias atque repudies? Phereponus autem ità ſe interdum contra Auguſtinum, immo contra omnium Catholicorum ſententias, gerit, ut qui ejus principiis utatur, atque licentiam opinandi imitetur, mirum ſit, qui abſtinere ſe jam poſſit ab oppugnandis in poſterum vel ipſis Literis ſacris, ſive à revocandis in dubium reliquis Chriſtianæ Fidei Myſteriis. Nam quò non proruat relictus ſibi hominum literatorum animus, & potiſſimum ſi Criticâ Arte Linguarúmque Orientalium peritiâ ſit quiſquam turgidus, & immoderatè ad dubitandum de rebus quibuſcumque pronus, & novitatis, ſuarúmque opinionum pertinaciſſimus amator? Pertinet igitur tum ad publicam utilitatem, tum ad Eccleſiæ ſanctæ, & Auguſtini defenſionem, tum etiam ad eruditorum documentum, intueri in Pheréponi Animadverſionibus nimiam ingenii humani libertatem. Et ejus quidem ſententias nonnullas, prout occaſio tulit, hactenus confutavimus. Reliquas deinceps, quæ confutatione indigere videantur, ſingillatim recenſebimus, & pro virili profligare nitemur.

DE INGENIORUM MODERATIONE IN RELIGIONIS NEGOTIO.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Quid de Peccato Originali ſentiant Remonſtrantes ac Sociniani. Nulla injuſtitia Deo tribuitur per Catholicorum ſententiam de Originali Peccato. Cùm potuerit Deus ab initio condere naturam hominis talem, qualis nunc naſcitur, potuit etiam ex Adami Peccato ſinere mala in hominum genus effluere. Auctoritate ſacrarum Literarum confirmatur Dogma de Originali Peccato. Apoſtoli locus ab interpretatione Pherepomi vindicatus.

INITIUM facimus à controverſia de Peccato originali, è qua, velut è capite cujuſdam catenæ, pendent reliquæ ferè omnes controverſiæ de Gratia & libero Arbitrio, & de Natura innocenti, lapsâ & reparatâ, quæ inter Pelagianos ac Semipelagianos ex una parte, Lutheranos & Calvinianos ex altera verſantur, Catholicis medium iter tenentibus. Hìc autem videas Arminianos, ſive Remonſtrantes, parum à Pelagio abludere; Socinianos cum eodem prorſus ſapere, imò duriora, quàm

 ipſum

ipſum tradidiſſe. *Peccato originali ineſſe privationem Juſtitiæ originalis, & inordinatam ad peccandum proclivitatem*, fatetur Joannes Arnoldus Corvinus, hoc eſt ex Remonſtrantibus unus, in Lib. contra Molin. c. 8 pag. 118. Iidem Remonſtrantes in Apologia ſua c. 7. fol. 84. addunt: *Peccatum Adami à Deo imputatum dici poſſe poſteris ejus, quatenus Deus poſteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium ſe reddidit, obnoxios naſci voluit, &c.* At poſteà ſubdunt, ſe *peccatum originale nec habere pro peccato propriè dicto; quòd poſteros Adami odio Dei dignos faciat; nec pro malo, quòd per modum propriè dictæ pœnæ ab Adamo in poſteros dimanet.* Quare peccatum hoc affirmare non audent malum culpæ, aut malum pœnæ Socinus verò in Prælection. Theol. c. 4. & in Dialog. de Juſtific. tanquam *fabulam Judaicam & ab Antichriſto in Eccleſiam introductam.* Peccatum originis irridet, cui conſonat Smalzius unà cum reliquis ejuſdem Socini aſſeclis, ità ut una eorum ſententia eſſe videatur, nihil niſi exemplo poſteris nocuiſſe Adamum peccantem. Arminiumne, an Socinum hìc ſequatur Phereponus, ſtatuere neſcio. Illud certum, ut in aliis opinionibus non paucis, ità in hac Pelagio adhærere Phereponum, & non Auguſtino tantùm, ſed Eccleſiæ Catholicæ ipſum patentiſſimè adverſari. Mihi verò certiſſimum eſt, idémque ſpero & Lectoribus æquis futurum, longiſſimè ipſum à veritate receſſiſſe.

Catholicorum doctrinam de peccato originali oppugnabat Julianus, quaſi per ipſam infinita Dei juſtitia læderetur. Qui enim juſtus Deus parentis primi culpam imputare velit poſteris, eámque in nobis punire, cùm tamen conſenſu voluntatis noſtræ nihil ad ipſam contulerimus? Auguſtinus autem Lib. I. num. 3. Oper. Imperfect contra Julianum ità ſcribebat: *Vos quod dicitis; potiùs non poteſt ullâ juſtitiæ ratione defendi, quia miſeria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu uſque ad obitum videmus alienum; non pertinet ad Omnipotentis juſtum judicium, ſi non eſt originale peccatum.* Igitur S. Doctor putabat, divinam juſtitiam defendi non poſſe, niſi humanæ corruptionis ac miſeriæ cauſam ab ipſo hominum peccato originali peteremus: quod & alibi ſæpè repetit. Ad hæc Phereponus: *Atqui hoc tantùm de infantibus aut puerulis dicere debuit; nam majores natu ſat actualium peccatorũ admittunt, ut hujus vitæ miſeriis digni ſint. Sed ponamus eum, ut debuit, de infantibus dumtaxat, aut puerulis locutum; Peccatum originale, ut ab Auguſtino explicatur, commodam nullam rationem defendendæ Juſtitiæ divinæ ſuppeditat; cum qua nullo modo poteſt conſiſtere, ut exiſtimabant adverſarii Auguſtini, quos nuſquam rectè*

rectè confutavit. En expeditam viam cujuſcumque quæſtionis dirimendæ, quanquam difficillimæ, & inter ingenia præſtantiſſima dudum agitatæ. Satis eſt pronuntiare ſententiam dictatoriâ voce. Alii rationes excogitabunt, & argumenta contraria diſſolvent.

Sed ut preſſiùs ſcriptori huic reſpondeamus, priùs Lectori ſedulò ad memoriam revocanda ſunt quædam. Nemo eſt, qui vel in ſemetipſo non ſentiat innumera cùm animi, tum corporis mala, eáque omnibus communia non videat, támque altis radicibus in nobis fixa, & ab ipſa ſtatim nativitate pullulantia, ut ea homini ingenita fateri cogamur. Corpus, inquam, mille ærumnis, doloribus, morbis, ac periculis; & morti denique obnoxium eſt. Animum ignorantiâ infeliciſſimâ gravat, ac fœdat. Proni, & penè abrepti vel ab ipſa pueritia in vitium, difficillimi & ſupra modum inertes ad virtutem, terram ſemper cogitamus, rarò cœlum, & avaritiâ, luxuriâ, ac ambitione exæſtuantes, voluptatibus unicè ſtudemus, commodíſque noſtris, licèt inhoneſtis, pejora longè acturi, niſi nos humanarum potiùs quàm divinarum legum terror compeſceret. Hæc vel ipſi Chriſtiani, & Sancti in ſe experiuntur, qui & aliam legem ſentiunt in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, qui quotidiè cum tentationibus confligtantur, & ſæpè concupiſcentia vincente vincuntur. Quantò autem magis tanta humani generis miſeria, & ad peccandum proclivitas, & rebellio appetituum, ac pugna in rationem, emineat, & conſpiciatur in barbaris, aut ſine Lege, aut ſine vera Chriſti Lege, & Gratia viventibus, in comperto eſt. Non vacat hîc varios populorum mores; & innumeranda hominum vitia, & incommoda, oratione percurrere. Unuſquiſque ſibi teſtis in re tam patenti eſſe poteſt. Illud dicam, vel ipſos Ethnicos, Ariſtotelem puta, ac Ciceronem, tantam hominum miſeriam contemplantes, non potuiſſe quin exclamarent, naturam, non ut matrem, ſed ut novercam, ergà nos ſe geſſiſſe. Hæc ubi conſiderata fuerint, è veſtigio ſuboritur in animis noſtris ſciendi ardor, unde tanta in nos malorum atque miſeriarum procella derivetur. Cùm quiſque ſanus Manichæorũ deliria irridiat, reſtat ut hominem vel ità à Deo in prima inſtitutione creatum, vel propter culpam aliquam ſuam in tot incidiſſe miſerias affirmemus. Prima ſententia Pelagianos habuit Patronos; altera Catholicos.

Pelagiani contendebant, quod & nunc eorum aſſecla Phereponus contendit, Catholicorum ſententiam cum Juſtitia Dei conſentire non poſſe. Contrà Auguſtino aliiſque

ipſum tradidiſſe. *Peccato originali ineſſe privationem Juſtitiæ originalis, & inordinatam ad peccandum proclivitatem*, fatetur Joannes Arnoldus Corvinus, hoc eſt ex Remonſtrantibus unus, in Lib. contra Molin. c. 8. pag. 118. Iidem Remonſtrantes in Apologia ſua c. 7. fol. 84. addunt: *Peccatum Adami à Deo imputatum dici poſſe poſteris ejus, quatenus Deus poſteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium ſe reddidit, obnoxios naſci voluit, &c.* At poſteà ſubdunt, ſe *peccatum originale nec habere pro peccato propriè dicto, quòd poſteros Adami odio Dei dignos faciat; nec pro malo, quòd per modum propriè dictæ pœnæ ab Adamo in poſteros dimanet.* Quare peccatum hoc affirmare non audent malum culpæ, aut malum pœnæ. Socinus verò in Prælection. Theol. c. 4. & in Dialog. de Juſtific. tanquam *fabulam Judaicam & ab Antichriſto in Eccleſiam introductam*. Peccatum originis irridet, cui conſonat Smalzius unà cum reliquis ejuſdem Socini aſſeclis, ità ut una eorum ſententia eſſe videatur, nihil niſi exemplo poſteris nocuiſſe Adamum peccantem. Arminiumne, an Socinum hìc ſequatur Phereponus, ſtatuere neſcio. Illud certum, ut in aliis opinionibus non paucis, ità in hac Pelagio adhærere Phereponum, & non Auguſtino tantùm, ſed Eccleſiæ Catholicæ ipſum patentiſſimè adverſari. Mihi verò certiſſimum eſt, idémque ſpero & Lectoribus æquis futurum, longiſſimè ipſum à veritate receſſiſſe.

Catholicorum doctrinam de peccato originali oppugnabat Julianus, quaſi per ipſam infinita Dei juſtitia læderetur. Qui enim juſtus Deus parentis primi culpam imputare velit poſteris, eámque in nobis punire, cùm tamen conſenſu voluntatis noſtræ nihil ad ipſam contulerimus? Auguſtin. autem Lib. I. num. 3. Oper. Imperfect. contra Julianum ità ſcribebat: *Vos quod dicitis, potiùs non poteſt ullâ juſtitiæ ratione defendi, quia miſeria generis humani, à qua nullum hominum ab exortu uſque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad Omnipotentis juſtum judicium, ſi non eſt originale peccatum.* Igitur S. Doctor putabat, divinam juſtitiam defendi non poſſe, niſi humanæ corruptionis ac miſeriæ cauſam ab ipſo hominum peccato originali peteremus: quod & alibi ſæpè repetit. Ad hæc Phereponus: *Atqui hoc tantùm de infantibus aut puerulis dicere debuit; nam majores natu ſat actualium peccatorũ admittunt, ut hujus vitæ miſeriis digni ſint. Sed ponamus eum, ut debuit, de infantibus dumtaxat, aut puerulis locutum. Peccatum originale, ut ab Auguſtino explicatur, commodam nullam rationem defendendæ Juſtitiæ divinæ ſuppeditat; cum qua nullo modo poteſt conſiſtere, ut exiſtimabant adverſarii Auguſtini, quos nuſquam*

rectè confutavit. En expeditam viam cujuſcumque quæſtionis dirimendæ, quanquam difficillimæ, & inter ingenia præſtantiſſima dudum agitatæ. Satis eſt pronuntiare ſententiam dictatoriâ voce. Alii rationes excogitabunt, & argumenta contraria diſſolvent.

Sed ut preſſiùs ſcriptori huic reſpondeamus, priùs Lectori ſedulò ad memoriam revocanda ſunt quædam. Nemo eſt, qui vel in ſemetipſo non ſentiat innumera cùm animi, tum corporis mala, eáque omnibus communia non videat, támque altis radicibus in nobis fixa, & ab ipſa ſtatim nativitate pullulantia, ut ea homini ingenita fateri cogamur. Corpus, inquàm, mille ærumnis, doloribus, morbis, ac periculis; & morti denique obnoxium eſt. Animum ignorantiâ infeliciſſimâ gravat, ac fœdat. Proni, & penè abrepti vel ab ipſa pueritia in vitium, difficillimi & ſupra modum inertes ad virtutem, terram ſemper cogitamus, rarò cœlum, & avaritiâ, luxuriâ, ac ambitione exæſtuantes, voluptatibus unicè ſtudemus, commodíſque noſtris, licèt inhoneſtis, pejora longè acturi, niſi nos humanarum potiùs quàm divinarum legum terror compeſceret. Hæc vel ipſi Chriſtiani, & Sancti in ſe experiuntur, qui & aliam legem ſentiunt in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, qui quotidiè cum tentationibus conflictantur, & ſæpè concupiſcentia vincente vincuntur. Quantò autem magis tanta humani generis miſeria, & ad peccandum proclivitas, & rebellio appetituum, ac pugna in rationem, emineat, & conſpiciatur in barbaris, aut ſine Lege, aut ſine vera Chriſti Lege, & Gratia viventibus, in comperto eſt. Non vacat hîc varios populorum mores, & innumeranda hominum vitia, & incommoda, oratione percurrere. Unuſquiſque ſibi teſtis in re tam patenti eſſe poteſt. Illud dicam, vel ipſos Ethnicos, Ariſtotelem puta, ac Ciceronem, tantam hominum miſeriam contemplantes, non potuiſſe quin exclamarent, naturam, non ut matrem, ſed ut novercam, erga nos ſe geſſiſſe. Hæc ubi conſiderata fuerint, è veſtigio ſubotitur in animis noſtris ſciendi ardor, unde tanta in nos malorum atque miſeriarum procella derivetur. Cùm quiſque ſanus Manichæorū deliria irridiat, reſtat ut hominem vel ità à Deo in prima inſtitutione creatum, vel propter culpam aliquam ſuam in tot incidiſſe miſerias affirmemus. Prima ſententia Pelagianos habuit Patronos; altera Catholicos.

Pelagiani contendebant, quod & nunc eorum aſſecla Phereponus contendit, Catholicorum ſententiam cum Juſtitia Dei conſentire non poſſe. Contrà Auguſtino aliiſque

Catholicis viſa eſt Pelagiana opinio Ideæ, quam de Deo habemus, penitùs contraria. Nam quo pacto Deus, qui hominem perfectum, rectum, ac felicem creare potuit, potiùs tam infirmum, vitiiſque deditum, & alienum ab amore ſummi boni creare voluit? Quî opus manuum ſuarum vel ante peccata actualia miſerum fecit, ejúſque naturam in ipſa peccata adeò proclivem, & averſam à virtute creavit? Cur poſuit, ut habetur Eccleſiaſtici 40. *Jugum grave ſuper filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum*? Immensè bonus, Sapiens, & Benignus, id ſine aliqua hominum culpa facere noluit; infinitè Juſtus id facere non potuit. Hæc illi. Verùm alii Theologi Catholici, iíque potiori jure affirmârunt, ac affirmant, *potuiſſe Deum condere talem ab initio hominem, qualis nunc naſcitur.* Ipſemet Sanctùs Auguſtinus in hac eadem ſententia fuit; nam Lib. 3. de Lib. Arb. Cap. 20. ajebat: *Si anima talis eſſe cœpit, non ſolùm ante peccatum, ſed ante omnem vitam ſuam, qualis alia poſt vitam culpabilem facta eſt; non parvum bonum habet, unde Conditori ſuo gratias agat.* Lege reliquâ idem Auguſtinus in Lib. 1. Cap. 9. Retract. eandem ſententiam confirmat, inquiens: *Ignorantia & difficultas* (duo nempè hominum graviſſima mala) *etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſit culpandus Deus, ſed laudandus eſſet.* Quæ retractationum verba iterum repetit in Lib. de Bono Perſever. Cap. XI.

Quòd ſi juſtus & laudandus eſſet Deus, ſi talem, qualis nunc eſt, hominum naturam creâſſet, ſique Phereponus, ut arbitror, idem fatetur, imò contendit: quid eſt quod ipſe, ejúſque Majores Pelagiani, Juſtitiam divinam Catholicorum opinione dictitant lædi, & cogitatione aſſequi non poſſe videntur, quomodo Auguſtini hypotheſis, imò theſis conſiſtere queat cum ejuſdem divinæ Juſtitiæ evidentiſſimâ notione? Iiſdem teſtantibus, divinæ Bonitati atque Juſtitiæ contrarium non eſt, naturam noſtram ab initio tot ſubjeciſſe ærumnis, cum tanta proclivitate ad malum, tantâque difficultate ad bonum, tametſi nulla hominum culpa præceſſerit. Ergo multò minùs divinæ Juſtitiæ repugnat tot in nos mala congerere unius peccati præcedentis intuitu. Juſtus ergo, & bonus, & laudandus in utraque hypotheſi Deus. Hæc ſola intercedit diverſitas: quidquid Pelagiani adferre poſſunt pro tuenda Juſtitia ac Bonitate divina in hypotheſi ſua, illud ad eandem tuendam in Pypotheſi Catholicorum inſervit. Quidquid verò Catholici pro ſua habent, non æquè à Pelagianis pro ſua opi-

opinione uſurpari poteſt; faciliùs enim Catholici Juſtitiam ac Bonitatem Dei ſartam nobis tectámque exhibent, tot humanæ naturæ miſeriis non à primæva inſtitutione ac voluntate Dei boni, ſed à primorum parentum culpa derivatis, quàm ſi talem, qualis nunc eſt, naturam ab initio creatam affirment. Et hoc ſinceri, ſagacéſque viri non intelligere nequeunt.

Reſtat ergo inquirendum, num reverà humanam naturam Deus tam imbecillem ac miſeram ab initio condiderit, quod Pelagiani opinantur; an ejuſdem naturæ corruptio pœna ſit primi peccati, quod Catholici affirmant. Ut habetur Eccleſiaſt 7. *Fecit Deus ab initio hominem rectum*, & ad imaginem ſuam creavit, & in eximia beatitudine collocavit. Deinde, quidquid nonnulli ſomnient, adeò perſpicua ſunt Geneſis verba Cap. 2. ut certiſſimum eſſe debeat, primos humani generis parentes, ſi divino præcepto parere voluiſſent (quo nihil faciliùs ipſis tum fuit) à naturali morte futuros fuiſſe immunes. Uti certum quoque eſt, peccârunt, eorúmque inobedientiam ſecuta eſt mortis naturalis inevitabilis pœna, & quærendi panis cum ſudore neceſſitas, & partus fœminei dolores, & rebellio belluarũ, quas hominum nutui ſubjecerat primùm Creator, ut alia mala atque incommoda omittam. Experientia verò dubitare nos non ſinit, quin eadem mors, & multiplex calamitatum genus in nobis eorum poſteris perduret. Ergo nos luimus primi peccati pœnas, luúntque vel ipſi infantes, quanquam nullius peccati actualis rei. Ergo primorum parentum culpâ iratum & nos Deum ſentimus, & peccâſſe cum Adamo quodammo dicendi ſumus; à qua ira & culpa nos liberare non poteſt, niſi regenerationis Sacramentum, & Gratia Chriſti Servatoris. Propterea Regius Pſaltes in Pſ. 50. ajebat: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; ſivè in *iniquitate*, & in *peccato*, uti Hebraica Exemplaria habent. Apoſtolus verò ad Epheſ. 2. *Eramus*, inquit, *& nos natura filii iræ, ſicut & cæteri.* καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς Et ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Etiam Sanctus Joannes Cap. 3. Evang. *Qui*, ait, *non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum*, μένει ἐπ' αὐτὸν; ubi vides non dici, iram Dei venire ſuper eum, ſed *manere* ſuper eum, qui jam antea fuerat. Ut alia Scripturarum loca prætermittam, quæ in hanc rem afferri ſolent, memorabilem iſtum inſtar omnium referam, quem Apoſtolus ad Rom. Cap. V. 12. habet. *Propterea*, inquit, *ſicut*

per

per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Quibus ex verbis intelligimus, cùm Adamo omnes homines peccâſſe, & propter illum peccatum mortem in omnes homines pertranſire, hoc eſt, communis mortis cauſam fuiſſe unius hominis, ſivè unius Adami peccatum. Infrà idem Apoſtolus ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ità per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* En Adami inobedientia, quæ unà multos conſtituit peccatores; uti multos juſtos obedientia Chriſti. Vide reliqua ejuſdem Cap. V. ad Rom. quæ Catholicorum ſententiam diſertiſſimè produnt, ac firmant, & ſine ipſa rectè explicari non poſſunt. Tandem accedit, vel antequam Pelagiana Hæreſis exoriretur, & lis de Peccato originali ferveret, veteres Patres non aliter quàm Auguſtinum ſenſiſſe; quanquam parcè admodum de illa re fuerint locuti. Egregia in hanc rem occurrunt teſtimonia Juſtini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Athanaſii, Hilarii, Baſilii, Ambroſii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Reticii, Olympii, & aliorum, quos prætereo, ut dubitari non poſſit, quin antiquiſſima hæc ſit Eccleſiæ veræ Traditio, cum divinis Scripturis omninò conſentiens. Nunc videamus, an quidquam Phereponus proferat; quo tam antiquum, tantâque firmitate conſtitutum dogma dejici poſſit.

Dixerat Auguſtinus Lib. de Correpť. & Gratia Cap. 6. *Peccata quidem iſta originalia ideò dicuntur aliena, quòd ea ſinguli de parentibus trahunt, ſed non ſine cauſâ dicuntur & noſtra, quia in illo uno omnes ſicut dixit Apoſtolus, peccaverunt.* Excipit iſta verba Phereponus animadverſione hujuſmodi. *Verùm in hac controverſia noſtrà dicuntur, non tralatitio ſenſu, ſed proprio, peccata; nam ſermo hìc eſt de peccatis, propter quæ non tralatitias, ſed propriè dictas pœnas, ex divina, hoc eſt, perfectiſſima Juſtitia, dare poſſimus: quia ab iis abſtinere potuimus, nec iis, niſi culpâ noſtrâ propriè dictâ, ſuccubuimus.* Cæterùm dicere pergit Phereponus, peccata parentum *noſtra* dici non poſſe, ità ut propterea corripi, & plecti jure queamus. Addit, neque Apoſtolum dicere, nos *in Adamo peccâſſe, quemadmodum paſſim Græci ſermonis imperitus dictitat Auguſtinus.* Quod ut palam fiat, Apoſtoli verba Rom. V. 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, quæ vulgatus Interpres vertit, *in quo omnes peccaverunt*, Phereponus ipſe vertit, *quia omnes peccârunt.* Cujus verſionis rationem hanc reddit,

reddit, inquiens: *Vertimus cum Deſiderio Eraſmo* ἐφ' ᾧ *Quia, non in quo, quia alioquin hiulca eſt ratio, & dura.* Equidem, ut hinc iter inſtituamus, expectabam ab homine Critico aut veterum Græcorum auctoritatem, aut rationes ex intima Linguæ Græcæ peritia petitas, quibus hæc ſua Paulini loci Interpretatio confirmaretur. Sed ille unum nobis obtrudit Eraſmum, virum certè in Græco ſermone minimè hoſpitem, ſed in quæſtione de *Peccato Originali* planè Pelagianum, quique nihil non molitus eſt, ut in alium ſenſum hæc, & ſuperiora Apoſtoli verba invita detorqueret. Eraſmi ſtudium hac in re infeliciſſimũ alii caſtigârunt. Verùm quis ſtylum Pauli vel leviter novit, qui non etiam didicerit ſimiles ſermonis ſtructuras, duras in ſpeciem, & parum (uti delicatis videtur) elegantes, Apoſtolo eſſe familiares? Deinde Theophylactus, Oecumenius, & alii procul dubio Græcæ Linguæ peritiſſimi, ἐφ' ᾧ interpretantur *in quo Adamo*. Quamobrem niſi qui ab anticipatis judiciis, turbidíſque affectibus judicio uti prohibetur, nemo alius hoc in loco memorâſſet *imperitiam Græci ſermonis*, eámque objeciſſet Auguſtino, verba iſta cum Græcorum ipſorum conſenſu *in quo* interpretanti.

Quod tamen hîc attentiùs conſiderandum eſt, illud eſt, vel per ipſam Eraſmi ac Phereponi interpretationem nihil roboris demi huic loco, ſivè huic fortiſſimo Catholicorum & Auguſtini argumento. Fingamus Apoſtolum dicere: *ſic & in omnes homines mors tranſiit, quia omnes peccârunt.* Non hîc de ſolis peccatis actualibus loqui Paulus poteſt, uti Phereponus perſuadere nobis vellet; nam cùm dicat, morti omnes homines eſſe obnoxios, & reapsè mori hac de cauſa, quòd omnes peccârint, certúmque ſit, infantes nullius actualis peccati reos ſæpè de vita decedere: neceſſe eſt, ut aliquod peccatum ſit vel in ipſis infantibus, cujus causâ malum illud ſubeant. Hoc autem nullum aliud eſſe poteſt, quàm primorum parentum inobedientia & culpa, propagata in poſteros omnes, per quam *peccatores conſtituti ſunt*, vel infantes, *& regnavit mors ab Adam uſque ad Moſem, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*; quippe *unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Niſi hoc ſtatuas, ſibi non conſtabit Apoſtolus, qui cùm alibi appellat *ſtipendium peccati Mortem*, tum hîc ſignificare vult, ideò omnes homines mori, quia omnes peccârunt; quare ſi nullum in infantibus peccatum admittamus, aut ipſi morituri non eſſent, aut argumentum Apoſtoli elumbe deprehenderetur. Sed Phereponus non au-

auſus affirmare præfractè, germanam eſſe interpretationem ſuam, ad aliam anchoram ſe conjecit. *Fac*, inquit, *hoc non eſſe perſpicuum: profectò verſio, quam ſequitur Auguſtinus, non ità certa eſt, ut poſſit is locus, quaſi clarus urgeri; cùm præſertim ex eo fermè ſolo, aut potiſſimo, colligatur dogma, quod tot difficultatibus premitur, ut vix ullas alias majores in dogmate Theologico invenire poſſe putem.* Phereponus ergo mente aſſequi non valet, quî Deus juſtiſſimus peccata parentum filiis tribuat, & in filiis puniat, cùm filiorum voluntas nihil contulerit ad parentum inobedientiam; proinde altè clamat: *peccata parentum noſtra dici nequeunt, ità ut propter ea corripi, & plecti jure queamus.* At nil mirum iſta ab homine dici, cui non ſecùs ac Socinianis, illud continuò perverſum videtur, quod ingenio non placet, quanquam diſertiſſimis, neque Metaphoricis verbis in Scriptura ſacra enuntietur. Prope eſt, ut dicam, nolle hujuſmodi homines ſentire, quod Paulus ſentit; ſed neceſſe eſſe ut Paulus ſentiat, quod ipſis commodum videtur, & Deus agat, prout ipſis lubet. At profectò feliciùs ſaperent, ſi in ſimili cauſa dictum ſibi ab Apoſtolo putarent Rom. IX. 20. *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?* &c. Et Cap. XI. 33. *O altitudo divitiarum*, &c. Cùm lumini rectæ rationis evidenter adverſari deprehenduntur Scripturæ ſacræ verba, tum certè commodum alium ſenſum intimè latentem inde jubemur deducere. At quando ità compoſita ſunt ſacrarum Literarum teſtimonia, ut pateat, nihil aliud divinos Scriptores ſignificare voluiſſe, quàm quod verba ſonant, & ad iſtam ſignificationem accedit vetuſtiſſimæ Traditionis conſenſus, & dogma illud ſupra quidem humanam rationem eſt, ſed non contra ipſam; tum nefas eſt eludere mentem divinorum Librorum non alia de cauſa, quàm quod mente aſſequi non poſſumus conſilia, & voluntatem, & opera Dei.

Cæterùm ut fateamur in quæſtione de Peccato originali occurrere quædam non ſatis pervia hominum infirmæ rationi, nihil tamen eſt, quod contra ipſam rationem pugnet. Cùm enim peccatum iſtud conſiſtat in privatione juſtitiæ originalis, à juſto Deo nequaquam abhorret, originali juſtitiâ privatos homines nunc naſci cauſâ primi peccati, quando juſtus itidem fuiſſet Deus, ſi vel ab initio, & ante Adami peccatum, eamdem nobis juſtitiam denegâſſet, eamdémque & animi, & rationis, & corporis infirmitatem in nobis regnare ſiviſſet. Et omnium homi-

num

num reverà peccatum iſtud eſt, non actuale quidem, ſed habituale, ſivè morale; nam voluntas omnium hominum, non phyſicè quidem, ſed moraliter, conjunctæ fuêre cum voluntate primi parentis, idque ex decreto & pacto Creatoris noſtri: quod profectò neque potentiæ, neque ſapientiæ, neque Juſtitiæ Dei repugnat, nam ne in ipſis quidem terrenis univerſitatibus hujus rei exempla deſunt, & in ipſis tamen Juſtitiam minimè deſideramus, uti neque in divino Circumciſionis præcepto Gen. 17. non inveniet, ut puto, Phereponus ipſe. Apoſtolus autem diſertè docet, *in omnes homines per unius delictum condemnationem* veniſſe, & *omnes peccâſſe*, & per inobedientiam unius hominis peccatores conſtitutos fuiſſe multos, & mortem eſſe effectum, ſtipendium, & aculeum peccati: quæ omnia ſatis evincunt, ubi ad infantes interdum morientes reſpiciamus, peccatum aliquod originale per propagationem ex Adamo in omnes deſcendere, & noſtrûm omnium eſſe appellandum. Tandem peccatum iſtud in ratione culpæ omnium leviſſimum eſt; neque neceſſe eſt credere, ipſum poſt corporis mortem pari cum actualibus peccatis ſupplicio eſſe puniendum; nam & ipſe Auguſtinus Lib. 1. de Peccator. merit. Cap. 16. §. 21. ait: *Poteſt proinde rectè dici, parvulos ſine Baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros.* Et lib 5. Cap 11. §. 44. contra Julianum, *parvulos*, ait, *ſine Chriſti Baptiſmate morientes, non tantâ pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potiùs expediret*, ipſóſque *in damnatione omnium leviſſima futuros.*

CAPUT II.

Inſantes miſeri causâ unius Adami peccantis. Baptiſmus eis neceſſarius ex Traditione probatur. Antiquitas Sponſorum pro infantibus in Baptiſmo contra Phereponum oſtenditur auctoritate Tertulliani, qui neceſſitatem Pædobaptiſmi agnovit. Et in veteri Lege parvulis Proſelytis adhibitus Baptiſmus, & varia apud Judæos Baptiſmatum genera. S. Cyprianus Peccati Originalis aſſertor perperam à Pherepono negatus.

PHereponus tamen, quod eſt ad infantes, & pueros, aliâ opinione tenetur. Nam pag. 621. Animadverſ.

in Op.

in Op.Imperf.contra Jul. objicit ſibi illorum miſerias, quæ nobis argumentum præbent intelligendi originalis Peccati. Tum reſpondet: *Satiùs eſſet multò dicere, te neſcire, cur innoxii miſeri ſint, quàm ut facias eos noxios, invenire hypotheſim, quæ tot difficultatibus laborat.* Quaſi Auguſtinus, aut alii hanc hypotheſim invenerint, & eam anteà non tradiderit Apoſtolus ſatis apertè. *Multò ſatiùs eſſet*, ut hoc repetam, Apoſtolo credere, & venerari divinum conſilium, quàm infirmæ rationi tantùm deferre, ut divinitùs tradita nolis alia de cauſa credere, quàm quod intelligere neſcias. *Sed quid ſunt*, pergit Phereponus, *hæ infantium puerorúmque breviſſimæ miſeriæ, ſi cum æterna beatitudine, quibus eas Deus penſat, conferantur? Nihil prorſus, aut ſi quid nihilo poſſet eſſe minùs. Itaque quòd Deus eas ab illis in hac vita non amolitur, mirum videri nequit.* Hinc intelligimus, Phereponum infantibus ac pueris vel ſine ſacramento regenerationis è vita decedentibus, æternam in Cœlis beatitudinem liberaliter concedere. Non auſi ſunt Pelagiani; niſi medium quemdam locum inter cœlorum regnum, & gehennam, aſſignare hujuſmodi puerulis, felicem quidem, ſed tamen ab æterna cœlitum felicitate alieniſſimum. Sociniani patere ipſis fores Cœli volunt, & execrantur *Pædobaptiſmum.* Miniſtrari verò eiſdem hoc Sacramentum in ſuis cœtibus moleſtè non ferunt Remonſtrantes; ſed ipſum ſacramentum neceſſarium illis ad deatitudinem æternam non cenſent. Anabaptiſtæ, Calviniſtæ, aliique id genus Novatores ab ea opinione aut parum, aut nihil abludunt. At ego non ſuſcepi controverſias omnes, quæ inter Catholicos ex una & innumeros Hæreticos ex altera parte intercedunt, diffusè agitandas. Eſſet hoc majoris otii, ac inſtituti diverſi. Jam verò, quod eſt ad quæſtionem de Baptiſmi neceſſitate in ipſis parvulis, luculentiſſimè illam complures è noſtris expedivere, afferentes loca quædam Scripturarum, & certiſſima quædam principia Orthodoxæ Religionis è quibus rectè deduci poteſt illa neceſſitas. Antiquiſſimam certè, atque adeò Apoſtolicam Traditionem, *Pædobaptiſmi* teſtem ſimul ac laudatricem habemus. Quare ſecundùm Traditionis legitimæ regulas, à Catholicis fortiſſime aſſertas pueris ac infantibus neceſſarium eſt divinum lavacrum, ut Regnum cœlorum, ſi illâ ætate decedant, conſequi valeant.

Cùm tamen Phereponus pag.495. in notis ad Epiſtolam Auguſtini XCVII. olim 129. §. 9. videatur aliquid dicere contra *Pædobaptiſmi* antiquitatem, ejus verba audiēda ſunt

Quis,

Quis, ait, *intelligat ſuſceptorem infantis baptizandi, cùm pro infante reſponderet Credo, hoc velle: Baptiſmum, vel Sacramentum fidei ſuſcipio? Quis non videt, primùm formulam illam antiquam Baptiſmi eſſe inſtitutam in uſum adultorum, qui ſoli primùm Baptiſmum ſuſcipiebant, deinde translatam etiam ad infantes?* Utique nos nequaquam videmus, quod tamen tantâ confidentiâ Phereponus videndum affirmat. Meram conjecturam, omni veterum auctoritate deſtitutam; neſcio quî velit homo ille, ut pro evidenti veritate accipiamus. Nos ab Apoſtolis ipſis, ut infantium Baptiſmum, ità & ritum ſpondendi pro iis derivamus, tum quòd id affirmant vetuſtiſſimi Patrum, tum etiam quòd Eccleſia univerſa omnibus retrò temporibus eam conſuetudinem ſervavit. Quid contrà Phereponus affert, niſi unum illud, quod animo jam præjudicavit, & quod ſponte concidat ſi negetur? Operæ autem pretium eſt duorum veterum Scriptorum loca proferre, ne & nos ſine tabulis ac auctoritate agere videamur, Sanctus Irenæus Lib. 2. Cap. 39. de Chriſto Domino hæc habet: *Omnes venit per ſeipſum ſalvare, omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores.* Hîc vides alludere Irenæum ad Servatoris verba Joan. III 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum cœlorum.* Vides, *infantes*, *& parvulos* per Chriſtum renaſci ex aqua; & Spiritu Sancto. Quod autem eſt ad infantium & puerorum Suſceptores, audi Tertullianum in Lib. de Baptiſmo Cap. 18. ſuadentem, ut differatur in ætatem maturiorem Baptiſmus. *Itaque*, ait, *pro cujuſque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi utilior eſt: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt Sponſores etiam periculo ingeri? Quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli* Ergo Tertulliani etiam ævo obtinuiſſe, ac in uſu fuiſſe patet non infantium dumtaxat Baptiſmum, ſed & formulam ab eorum ſuſceptoribus nunc quoque adhibitam; ideò quippe Sponſores appellati fuêre. Neutrum porrò novitatis damnat Tertullianus Cùmque is altero dumtaxat ab Apoſtolorum morte ſeculo vixerit; Irenæus verò ipſos Apoſtolorum auditores habuerit Magiſtros; & auctor uterque ſit, Baptiſmum infantium in Eccleſia Dei jam tunc fuiſſe uſurpatum: quis non intelligat, ruere Phereponi ſententiam, atque conjecturam, & perperam ab Apoſtolorum ætate atque inſtitutione ſejungi *Pædobaptiſmum*, & formulam ſpondendi pro illis?

Sed, inquies, Pædobaptiſmus fuit vel Tertulliani ævo

in Op. Imperf. contra Jul. objicit ſibi illorum miſerias, quæ nobis argumentum præbent intelligendi originalis Peccati. Tum reſpondet: *Satiùs eſſet multò dicere, te neſcire, cur innoxii miſeri ſint, quàm ut facias eos noxios, invenire hypotheſim, quæ tot difficultatibus laborat.* Quaſi Auguſtinus, aut alii hanc hypotheſim invenerint, & eam anteà non tradiderit Apoſtolus ſatis apertè. *Multò ſatiùs eſſet*, ut hoc repetam, Apoſtolo credere, & venerari divinum conſilium, quàm infirmæ rationi tantùm deferre, ut divinitùs tradita nolis alia de cauſa credere, quàm quod intelligere neſcias. *Sed quid ſunt*, pergit Phereponus, *hæ infantium puerorúmque breviſſimæ miſeriæ, ſi cum æterna beatitudine, quibus eas Deus penſat, conferantur? Nihil prorſus, aut ſi quid nihilo poſſet eſſe minùs. Itaque quòd Deus eas ab illis in hac vita non amolitur, mirum videri nequit.* Hinc intelligimus, Phereponum infantibus ac pueris vel ſine ſacramento regenerationis è vita decedentibus, æternam in Cœlis beatitudinem liberaliter concedere. Non auſi ſunt Pelagiani; niſi medium quemdam locum inter cœlorum regnum, & gehennam, aſſignare hujuſmodi puerulis, felicem quidem, ſed tamen ab æterna cœlitum felicitate alieniſſimum. Sociniani patere ipſis fores Cœli volunt, & execrantur *Pædobaptiſmum.* Miniſtrari verò eiſdem hoc Sacramentum in ſuis cœtibus moleſtè non ferunt Remonſtrantes; ſed ipſum ſacramentum neceſſarium illis ad deatitudinem æternam non cenſent Anabaptiſtæ, Calviniſtæ, aliíque id genus Novatores ab ea opinione aut parum, aut nihil abludunt. At ego non ſuſcepi controverſias omnes, quæ inter Catholicos ex una & innumeros Hæreticos ex altera parte intercedunt, diffusè agitandas. Eſſet hoc majoris otii, ac inſtituti diverſi. Jam verò, quod eſt ad quæſtionem de Baptiſmi neceſſitate in ipſis parvulis, luculentiſſimè illam complures è noſtris expedivere, afferentes loca quædam Scripturarum, & certiſſima quædam principia Orthodoxæ Religionis è quibus rectè deduci poteſt illa neceſſitas. Antiquiſſimam certè, atque adeò Apoſtolicam Traditionem, *Pædobaptiſmi* teſtem ſimul ac laudatricem habemus. Quare ſecundùm Traditionis legitimæ regulas, à Catholicis fortiſſime aſſertas pueris ac infantibus neceſſarium eſt divinum lavacrum, ut Regnum cœlorum, ſi illâ ætate decedant, conſequi valeant.

Cùm tamen Phereponus pag. 495. in notis ad Epiſtolam Auguſtini XCVII. olim 129. §. 9. videatur aliquid dicere contra *Pædobaptiſmi* antiquitatem, ejus verba audiēda ſunt

Quis,

Quis, ait, *intelligat ſuſceptorem infantis baptizandi, cùm pro infante reſponderet Credo, hoc velle: Baptiſmum, vel Sacramentum fidei ſuſcipio? Quis non videt, primùm formulam illam antiquam Baptiſmi eſſe inſtitutam in uſum adultorum, qui ſoli primùm Baptiſmum ſuſcipiebant, deinde translatam etiam ad infantes?* Utique nos nequaquam videmus, quod tamen tantâ confidentiâ Phereponus videndum affirmat. Meram conjecturam, omni veterum auctoritate deſtitutam; neſcio quî velit homo ille, ut pro evidenti veritate accipiamus. Nos ab Apoſtolis ipſis, ut infantium Baptiſmum, ità & ritum ſpondendi pro iis derivamus, tum quòd id affirmant vetuſtiſſimi Patrum, tum etiam quòd Eccleſia univerſa omnibus retrò temporibus eam conſuetudinem ſervavit. Quid contrà Phereponus affert, niſi unum illud, quod animo jam præjudicavit, & quod ſpontè concidat, ſi negetur? Operæ autem pretium eſt duorum veterum Scriptorum loca proferre, ne & nos ſine tabulis ac auctoritate agere videamur. Sanctus Irenæus Lib. 2. Cap. 39. de Chriſto Domino hæc habet: *Omnes venit per ſeipſum ſalvare, omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores.* Hîc vides alludere Irenæum ad Servatoris verba Joan. III 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum cœlorum.* Vides, *infantes*, *& parvulos* per Chriſtum renaſci ex aqua, & Spiritu Sancto. Quod autem eſt ad infantium & puerorum Suſceptores, audi Tertullianum in Lib. de Baptiſmo Cap. 18. ſuadentem, ut differatur in ætatem maturiorem Baptiſmus. *Itaque*, ait, *pro cujuſque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi utilior eſt: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt Sponſores etiam periculo ingeri? Quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli.* Ergo Tertulliani etiam ævo obtinuiſſe, ac in uſu fuiſſe patet non infantium dumtaxat Baptiſmum, ſed & formulam ab eorum ſuſceptoribus nunc quoque adhibitam; ideò quippe Sponſores appellati fuêre. Neutrum porrò novitatis damnat Tertullianus. Cùmque is altero dumtaxat ab Apoſtolorum morte ſeculo vixerit; Irenæus verò ipſos Apoſtolorum auditores habuerit Magiſtros; & auctor uterque ſit, Baptiſmum infantium in Eccleſia Dei jam tunc fuiſſe uſurpatum: quis non intelligat, ruere Phereponi ſententiam, atque conjecturam, & perperam ab Apoſtolorum ætate atque inſtitutione ſejungi *Pædobaptiſmum*, & formulam ſpondendi pro illis?

Sed, inquies, Pædobaptiſmus fuit vel Tertulliani ævo

 im-

in Op. Imperf. contra Jul. objicit ſibi illorum miſerias, quæ nobis argumentum præbent intelligendi originalis Peccati. Tum reſpondet: *Satiùs eſſet multò dicere, te neſcire, cur innoxii miſeri ſint, quàm ut facias eos noxios, invenire hypotheſim, quæ tot difficultatibus laborat.* Quaſi Auguſtinus, aut alii hanc hypotheſim invenerint, & eam anteà non tradiderit Apoſtolus ſatis apertè. *Multò ſatiùs eſſet*, ut hoc repetam, Apoſtolo credere, & venerari divinum conſilium, quàm infirmæ rationi tantùm deferre, ut divinitùs tradita nolis alia de cauſa credere, quàm quod intelligere neſcias. *Sed quid ſunt*, pergit Phereponus, *hæ infantium puerorúmque breviſſimæ miſeriæ, ſi cum æterna beatitudine, quibus eas Deus penſat, conferantur? Nihil prorſus, aut ſi quid nihilo poſſet eſſe minùs. Itaque quòd Deus eas ab illis in hac vita non amolitur, mirum videri nequit.* Hinc intelligimus, Phereponum infantibus ac pueris vel ſine ſacramento regenerationis è vita decedentibus, æternam in Cœlis beatitudinem liberaliter concedere. Non auſi ſunt Pelagiani; niſi medium quemdam locum inter cœlorum regnum, & gehennam, aſſignare hujuſmodi puerulis, felicem quidem, ſed tamen ab æterna cœlitum felicitate alieniſſimum. Sociniani patere ipſis fores Cœli volunt, & execrantur *Pædobaptiſmum.* Miniſtrari verò eiſdem hoc Sacramentum in ſuis cœtibus moleſtè non ferunt Remonſtrantes; ſed ipſum ſacramentum neceſſarium illis ad deatitudinem æternam non cenſent. Anabaptiſtæ, Calviniſtæ, aliíque id genus Novatores ab ea opinione aut parum, aut nihil abludunt. At ego non ſuſcepi controverſias omnes, quæ inter Catholicos ex una & innumeros Hæreticos ex altera parte intercedunt, diffusè agitandas. Eſſet hoc majoris otii, ac inſtituti diverſi. Jam verò, quod eſt ad quæſtionem de Baptiſmi neceſſitate in ipſis parvulis, luculentiſſimè illam complures è noſtris expedivere, afferentes loca quædam Scripturarum, & certiſſima quædam principia Orthodoxæ Religionis è quibus rectè deduci poteſt illa neceſſitas. Antiquiſſimam certè, atque adeò Apoſtolicam Traditionem, *Pædobaptiſmi* teſtem ſimul ac laudatricem habemus. Quare ſecundùm Traditionis legitimæ regulas, à Catholicis fortiſſime aſſertas pueris ac infantibus neceſſarium eſt divinum lavacrum, ut Regnum cœlorum, ſi illâ ætate decedant, conſequi valeant.

Cùm tamen Phereponus pag. 495. in notis ad Epiſtolam Auguſtini XCVII. olim 129. §. 9. videatur aliquid dicere contra *Pædobaptiſmi* antiquitatem, ejus verba audiēda ſunt

Quis,

Quis, ait, *intelligat ſuſceptorem infantis baptizandi, cùm pro infante reſponderet Credo, hoc velle: Baptiſmum, vel Sacramentum fidei ſuſcipio? Quis non videt, primùm formulam illam antiquam Baptiſmi eſſe inſtitutam in uſum adultorum, qui ſoli primùm Baptiſmum ſuſcipiebant, deinde translatam etiam ad infantes?* Utique nos nequaquam videmus, quod tamen tantâ confidentiâ Phereponus videndum affirmat. Meram conjecturam, omni veterum auctoritate deſtitutam; neſcio quî velit homo ille, ut pro evidenti veritate accipiamus. Nos ab Apoſtolis ipſis, ut infantium Baptiſmum, ità & ritum ſpondendi pro iis derivamus, tùm quòd id affirmant vetuſtiſſimi Patrum, tum etiam quòd Eccleſia univerſa omnibus retrò temporibus eam conſuetudinem ſervavit. Quid contrà Phereponus affert, niſi unum illud, quod animo jam præjudicavit, & quod ſpontè concidat ſi negetur? Operæ autem pretium eſt duorum veterum Scriptorum loca proferre, ne & nos ſine tabulis ac auctoritate agere videamur, Sanctus Irenæus Lib. 2. Cap. 39. de Chriſto Domino hæc habet: *Omnes venit per ſeipſum ſalvare, omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores.* Hîc vides alludere Irenæum ad Servatoris verba Joan. III 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum cœlorum.* Vides, *infantes, & parvulos* per Chriſtum renaſci ex aqua, & Spiritu Sancto. Quod autem eſt ad infantium & puerorum Suſceptores, audi Tertullianum in Lib. de Baptiſmo Cap. 18. ſuadentem, ut differatur in ætatem maturiorem Baptiſmus. *Itaque*, ait, *pro cujuſque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi utilior eſt: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt Sponſores etiam periculo ingeri? Quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli* Ergo Tertulliani etiam ævo obtinuiſſe, ac in uſu fuiſſe patet non infantium dumtaxat Baptiſmum, ſed & formulam ab eorum ſuſceptoribus nunc quoque adhibitam; ideò quippe Sponſores appellati fuêre. Neutrum porrò novitatis damnat Tertullianus. Cùmque is altero dumtaxat ab Apoſtolorum morte ſeculo vixerit; Irenæus verò ipſos Apoſtolorum auditores habuerit Magiſtros; & auctor uterque ſit, Baptiſmum infantium in Eccleſia Dei jam tunc fuiſſe uſurpatum: quis non intelligat, ruere Phereponi ſententiam, atque conjecturam, & perperam ab Apoſtolorum ætate atque inſtitutione ſejungi *Pædobaptiſmum*, & formulam ſpondendi pro illis?

Sed, inquies, Pædobaptiſmus fuit vel Tertulliani ævo

improbatus. Imò, ne quid diſſimulem, afferam hæc ipſius Tertulliani verba ex Cap eodem: *Quid ſi ſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Non hoc negamus. At hæc non tollunt, quin Eccleſiæ Catholicæ jam tum fuerit mos præter adultos baptizandi etiam parvulos. Tertullianus ex propria ſententia hunc morem ſublatum cupit, ut alibi ſæpè, itâ & hîc à ſuo effreni ingenio abreptus, & privatæ opinioni nimis indulgens. Nam S. Cyprianus, & reliqui Patrum, atque Epiſcoporum, Baptiſmi in annos majores aut in mortis periculum dilationem concorditer rejecêre, laudato ſemper infantium Baptiſmo. Infrà auctor eſt idem Tertullianus, Baptiſmum quoque *innuptorum* eſſe *procraſtinandum*; & tandem abſurdè concludit: *Si qui pondus intelligant Baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quàm dilationem.* Nullus Catholicorum ità unquam ſenſit. Cæterùm ſi mortis periculum ingrueret, minimè negandum, aut differendum regenerationis Sacramentum alibi docet ipſe Tertullianus, & Cap. 12. ejuſdem Libri de Bapt. fatetur, *nemini ſine Baptiſmo competere ſalutem*; & in hoc eodem Cap de parvulis, ait: *Nôrint petere ſalutem, ut petenti dediſſe videaris.* Quæ ſatis eſſe poſſunt, ut ex ejus quoque ſententia neceſſitas & uſus Baptiſmi vel in infantibus probetur. At ille vocat parvulorum ætatem *innocentem*, hoc eſt ab actualibus peccatis immunem; nam ex hac ipſa rationis ſpecie vel poſt Tertullianum, & quarto potiſſimum ſeculo, ſanctiſſimum lavacrum differre conſueverunt è Chriſtianis non pauci, & ipſe Auguſtinus diſtulit, quanquam contagium mortis antiquæ, & maculam originalem omnes faterentur omnibus Adæ filiis ineſſe. Niſi periculum mortis Baptiſmum ſuſcipere coëgiſſet, ejus conſecutio differebatur, quò peccata ſimul actualia poſteà delerentur. Quid? quòd maculam originalem ne ipſe quidem inficiatus eſt Tertullianus? Humanas certè animas non ſolùm immundas, ſed etiam peccatrices ille vocat, donec Baptiſmo Chriſti mundentur. Sunt ejus verba Lib de Anima Cap. 40. *Omnis anima eouſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur: tamdiu immunda, quamdiu recenſeatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate.* Lib. I. Cap 1. de cultu Fœminar. ait omnes mulieres *de Eva trahere ignominiam primi delicti, & invidiam perditionis humanæ. Vivit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſæculo; vivat & reatus neceſſe eſt.* Et Cap. 3. de Teſtim. animæ de ſatana ait: *Per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis*

tionis

tionis traducem fecit. Lib.V.Cap.17. contra Marcionem, hominem videlicet peſtilentiſſimum, à quo Deus traducebatur tanquam peccati auctor, ità idem Tertullianus ſcribit: *Apoſtolus, iracundiæ filii fuimus, inquit ſed naturâ...... Cùm dicit: Fuimus naturâ filii iracundiæ, ...iræ filios ad naturam retulit, non ad Creatorem. Ad ſummam ſubjungens: Sicut & cæteri, qui utique filii Dei non ſunt: apparet communi naturæ omnium hominum & delicta, & concupiſcentias carnis, & incredulitatem, & iracundiam reputare? diabolo tamen captante naturam, quam & ipſe jam infecit delicti ſemine illato.* Hæc ea ſunt, ut vel ſine interprete prodere poſſint, Scriptorem Afrum diverſam hîc à cæteris Catholicis non induiſſe opinionem.

Verùm Phereponus in animadv. ad Epiſt. 157. Auguſtini olim 89. §. 1. pag. 497. alia habet. Celebrem Apoſtoli locum Rom. V. ſuprà à nobis productum Pelagianis oppoſuerat Auguſtinus, utpote affirmantibus, ſine peccato hominem naſci. Quid ad hæc Phereponus? *Hunc*, inquit, *locum Pauli pertinere ad adultos tantùm, qui peccatum Adami imitantur oſtenderunt dudum viri doctiſſimi.* Tum paucis interjectis addit, *cò confidentiùs hîc loqui Auguſtinum, quò minùs probare poterat, quæ hic habet. Locus Pauli Rom. V obſcurior eſt, quàm ut à tam proletario Interprete explicari poſſit.* Phereponum libenter interrogarem, num illorum hominum ingenium ipſe probet, qui nullum ſibi frenum ſtatuunt in fidei quæſtionibus, & pro ſuo modulo ſentire, ac interpretari divinas Scripturas conſtituunt; tum ſua placita, tanquam certiſſima, vultu imperterrito venditare; adverſarios verò non ſemel contemnere, eiſque reponere pro rationibus contumelias. Verùm, his dimiſſis, cuinam Patrum controverſiarum perito perſuadebit ille, *dudum viros doctiſſimos oſtendiſſe*, ad adultos tantùm pertinere locum illum Apoſtoli? Pelagiani quidem olim, tum Eraſmus, aliique ejus gregis ſenſêre, peccatum ex Adamo non propagatione, ſed imitatione, in hunc mundum intrâſſe, & adultos tantùm, non quòd filii ſint Adami, ſed quòd ipſum imitati ſint, omnes peccâſſe. At merum hoc fuit illorum commentum, ac effugium, & mera conjectura, quam ſine ratione ulla gravi, ſine majorum auctoritate excogitatam, ſuæ opinioni accommodârunt, Apoſtoli mente ejúſq; verborum ſenſu, ipsâq; ratione reluctante, uti S. Auguſtinus variis in locis, & innumeri ſubinde Catholici, & plerique etiam è Proteſtantibus demonſtrârunt: quod ignorare Phereponus nequaquam poteſt. Iſtius verò hominis nequeas non mirari ingenium, qui hinc anſam ſumit appellandi Auguſtini proletarii Interpretis. Videant alii, an

viro liberali ac honeſto conſentaneum ſit hujuſmodi conviciis excipere Auguſtinum incomparabilis ingenii, ſanctitatis, & doctrinæ virum. Certè hic locus, minùs etiam quàm reliqui, contumeliis patebat. Quamnam enim Linguæ Græcæ imperitiam Auguſtino objicere hîc poſſis? Nihil habet ille, quod eruditiſſimi deinde inter Catholicos Theologi ac Interpretes non habeant, & ſentiendum decernant. Num audeat Phereponus proletarios Interpretes appellare tot clariſſima ingenia in hac re Auguſtino concordia? Si non audet, cur ſibi hîc licitum putat, unum Auguſtinum tanto contemptu repellere, nihil tamen aliud ſentientem, quàm quod tot doctiſſimi viri ſentiunt ac ſentiendum eſſe nos quoque brevibus nuper oſtendebamus?

Nunquam Auguſtinus probavit infantibus Baptiſmum præſcribi à Chriſto, aut Apoſtolis, ne pereant. Sunt hæc ejuſdem Phereponi verba pag. 497. ad citatam Auguſtini Epiſt. CLVII, olim 89. Similia habet ille ad Ep, 175. olim 90. §. 6. pag. 519. At Auguſtinus oſtendit, non ex apertiſſimis quidem Chriſti, aut Apoſtolorum verbis ſcriptis, ſed ex vetuſtiſſimæ Traditionis teſtimonio & univerſalis Eccleſiæ uſu (ut alias rationes taceam) præſcriptum à Chriſto fuiſſe parvulorum Baptiſmum. Nunquam verò Pelagiani oſtenderunt, contrariam fuiſſe Chriſti aut Apoſtolorum mentem. Utri parti nunc eſt credendum? Utra pars dicenda eſt inopiâ rationum laborare? Sincerus quiſque fateatur, ad Pelagianos reddendæ rationis onus hîc pertinere Numquid enim minùs Chriſto, & Apoſtolis Chriſti nomine aliquid ſcripto proponentibus, quàm ſine ſcriptis & per legitimam Traditionem loquentibus, habenda eſt fides? Nos verò palam fecimus, ſaltem per Traditionem ſine ſcriptis *Pædobaptiſmum* ab Apoſtolis eſſe præſcriptum. Probent Pelagiani, aliter ſe rem hanc habere; probent, nihil aliud credendum eſſe, quàm quod in Scripturis ſacris apertè propoſitum eſt; probent, futilem eſſe interpretationem nonnullorum Scripturæ locorum, è quibus Catholici deducunt neceſſitatem baptizandi parvulos. In hujuſmodi quæſtionibus illud nos uſurpamus, quod vetuſtiſſimus Scriptor Tertullianus in ſimili ajebat Lib. de Corona Cap. 3. *Hanc ſi nulla Scriptura determinavit, certè conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de Traditione manavit. Quomodo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum priùs non eſt? Etiam in Traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, auctoritas ſcripta. Ergo quæramus, an Traditio niſi ſcripta non debeat recipi.* Lege reliqua; lege in hanc rem cæteros Patres. Præterea num ſtolidi, ac moriones, ac amentes adulti à ſacro

fronte

fronte arcendi, quòd manifeſtè à Chriſto aut ab Apoſtolis præſcriptum ipſis Baptiſmum non invenimus?

Corollarii loco ad iſta accedat Circumciſionis conſideratio, & antiquiſſimus Judæorum ritus in recipiendis ex Ethniciſmo ad Moſis legem hominibus Infantes ex veteris Legis præcepto in fœdus Iſraeliticum ingrediebantur per Sacramentum Circumciſionis, Deóque grati per ipſum conſtituebantur. Odium Dei, & pœnæ etiam propoſitæ fuêre in eos, quibus tale Sacramentum non conferebatur. Etiamſi infantes non intelligerent, quàm magnum bonum ſibi inde contingeret, ex pacto tamen Dei illud bonum in ipſos manare non ceſſabat. Quamobrem collatus quoque Baptiſmus parvulis, ſuum in ipſis producere effectum poteſt ac debet, vel ſine actuali fide; neque adulta ætas illis expectanda eſt, ut ſanctificentur, & Deo placeant; ipſiſque ſine lavacro ſanctiſſimo decedentibus, æquè ac adultis, deerit fœderis novi gratia in regenerationis Sacramento conſtituta. Deinde Baptiſmus Evangelicus, ut eruditis quibuſdam videtur, quid novum apud Judæos non fuit. Cùm enim Ethnici homines fiebant *geretſedech*, hoc eſt, *Proſelyti Juſtitiæ*, ſivè *juſti*, atque inter Judæos cooptabantur, non ſola Circumciſio, ſed & baptiſmus conferebatur eiſdem. Hinc apud Hebræos vulgatum axioma: *Non eſt quis Proſelytus, uſque dum circumcidatur, & baptizetur*, Maimonides in Iſſure Biah Cap. 13. & alibi, Gemara Babylonica variis in locis, Moſes Mikotzi Præcept. Negat. 116. R. Joſeph Karo in Schulcan Aruch Lib. Jore dea. Cap. 268. aliique Judæi Scriptores, non ſolùm teſtantur, vigere adhuc in Synagoga hunc morem, ſed & ipſum referunt ad tempora uſque Davidis, ac Salomonis. Eò etiam pertinere poteſt locus quidam Arriani in Epictetum Lib. 2. Cap. 9. Ex iiſdem autem Hebræis Auctoribus pariter diſcimus, cùm olim fuiſſe baptizatos, tum etiamnum baptizandos eſſe una cum parentibus parvulos Proſelytos ex Synedrii ſententia. Vide laudatam Gemaram Babylon. tit. Erubh. & ibi Gloſſam, & Maimonidem in Avadim Cap 8 & Gemaram Hieroſol. tit. Jevamoth, & Lightfootum, & alios Judaicæ eruditionis illuſtratores. Itaque uti ſine Circumciſione, ità ſine Baptiſmo, eóque unico, & ab aliis vulgaribus Judæorum luſtrationibus ac lotionibus diverſo, nemo vel antiquitus inter Proſelytos deſcribebatur. Quam Rabbinorum Traditionem juvat adhibitus à Joanne Præcurſore Baptiſmus, ut ad vitam novam Judæos perduceret. Non enim Synedrium ab eo per nuntios quæſivit, quid ſibi vellet ille Bap-

tiſſimus, ſed ſolùm quâ auctoritate ipſe baptizaret. *Dixerunt ei:*(ſunt verba Jo.I.25.) *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus neque Elias, neque Propheta?* Scilicet illa baptizandi ratio nova non erat,ac ignota,ſed frequens, ac uſitata,& in parvulis uſurpata. Propteréaque miratus nemo eſt tantùm gentis confluxum ad Baptiſmum Joannis. Apoſtolus quoque Heb. IX. 10. commemorat varia Baptiſmata inter Judæos uſurpata.

Ergo generis humani Reparator Chriſtus antiquatâ ſolùm Circumciſione, Baptiſmum retinuit, qualis in uſu apud Judæos erat, non rem novam inſtituens, ſed jam uſitatam ad aliud munus,finémque nobiliorem erigens,& vivificâ veréque ſalutari gratiâ donans, ut ſicut olim ad Judaicam Religionem, ità in poſterum ad Chriſtianam per verum hoc Sacramentum tranſirent Infideles, atque iterum naſcerentur.Ideóque nihil neceſſe erat,conceptis verbis populo ac Apoſtolis præcipere *Pædobaptiſmum*, ſed ſatis fuit generaliter indicere Baptiſmi uſum, atq; neceſſitatem. Per ſæcula præcedentia, & Chriſti etiam tempore, vulgatiſſima erat parvulorum æquè ac adultorum luſtratio,cùm adReligionem Dei veri,& ad regenerationem tranſitus fiebat. Satis ergo conſtabat, præſcripto per Chriſtum Baptiſmo,quis foret abluendus. Atque adeò in re adeò nota ſuperfluum erat hoc edicere,poſtquam dixerat Jeſus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Si ejuſmodi conſuetudinem abolere ipſe voluiſſet, eam potiùs prohibere debuiſſet apertis verbis.Rectè itidem conjicere hinc poſſumus, parvulos aliquot chriſtiano fonte fuiſſe mundanos,cùm,in Act. Apoſt. XVI.15.& 33.paterfamilias baptizatus dicitur *cum omni domo ejus*;aut ſaltem inferre licet,parvulos,ſi aderant, & ipſos fuiſſe baptizandos;hoc enim de more à Judæis fiebat, cùm recipiebantur Proſelyti. Quod enim eſt ad locum Matth. XXVIII. 19.*Euntes ergo docete omnes gentes,baptizantes eos*,quē Anabaptiſtæ nobis opponūt, quaſi ii tantùm dicantur baptizandi,qui priùs fuerint edocti,evaneſcit ex vi Græcorum verborum. Μαθητεύσατε inquit Chriſtus, πάντα τὰ ἔθνη. Hoc eſt, non propriè *docete*, ſed *diſcipulos facite*, ſcilicet in diſciplinam meam,& in fœdus novum, per Sacramentum regenerationis adducite omnes gentes. Tum ſubſequitur διδάσκοντες, *docentes eos ſervare omnia &c.* ut videas, Baptiſmum præire poſſe doctrinæ, & Diſcipulos poſſe fieri illos etiam,quos à diſcendo infirma ætas avertit, cùm ideò *Diſcipuli* per Baptiſmum fiant,ut poſtea doceantur.

Quæ Phereponus notat ad Ep.CLVI.Auguſtini pag.498. conſi-

conſilia tantummodo ſunt, & phaleræ, & voces hominis, quibus nulla ratio adnexa eſt, ne gravioribus titulis utar. Si hoc pacto exſibilare adverſariorum opiniones, vincere quoque eſt: vicit Phereponus. Sed meritò exſibilandus ille, ſi unico *ἀυτος ἔφα* & propoſitis tantùm ſuis, hoc eſt exoletis Pelagianorum opinionibus, agitatiſſimas quæſtiones ſe dirimere, & Sententias Catholicas tanto pondere ſtantes proſternere poſſe putat. Et tamen id ipſi in more poſitum eſt Pag. item 520 in notis ad Ep. 176. iterum vellicare ille pergit locum Apoſtoli ad Rom, V & ἐφ᾽ ᾧ eſſe *quia*, vel eò *quod*, non in *quo* contendit, exempla innuens in 2. ad Cor. V. 4, & ad Philipp, III. 12. At in citato loco Epiſt, 2. ad Cor. ego nihil tale reperio. Alterum exemplum iis tenebris circumfuſum eſt, ut adhuc rem noſtram in medio relinquat, quanquam non minùs quàm anteà, uti ſuprà diximus, conſtet, firmúmque ſit Catholicum dogma, tametſi interpretatio illa præferatur. Locum item alium Epiſt. I. ad Cor. XV. 22. Catholicis erepturus ad ſuam mentem explicat Phereponus, atque eâ ratione loca iſta eſſe procul dubio explicanda perſuaſurus Lectoribus ſuis, monet, *viros ac Theologos doctiſſimos* ità ſenſiſſe, atque oſtendiſſe. Hos autem etſi ille non nominet, nemo non intelligit eſſe gregarios Pelagii, Arminii, Socini, atque etiam Calvini. Alibi quoque, hoc eſt pag. 549. locum Jo. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit &c.* memorans, ſatis liquere ait intelligendum de adultis tantùm, non autem & de infantibus. Nos contrà aſſirmamus, longè doctiores viros tum inter Catholicos, tum inter ipſos Proteſtantes contrarium oſtendiſſe, & ab iſtis proſtrata jamdudum fuiſſe quælibet Pelagii commenta: quam in rem & nos aliqua attulimus Proſtrant Libri. Noſtris palmam negabit Phereponus Ipſam patiatur & nos negare ſuis. Lectores ſinceri, & nullo partium ſtudio adducti, dum omnia legerint, facilè judicabunt, nos fumos non venditare, ſed Apoſtolicam doctrinam conſtanti ac univerſali Eccleſiæ Traditione firmatam. Pag 549. in Animadv. ad Ser. CCXCIV. §. 6. 12. 17. & 19 Phereponus quæ alibi non ſemel contra *Pædobaptiſmum*, & *Originalis peccati* veritatem dixerat, aliis verbis repetit, quare ſine reſponſione dimittendus eſt.

Quod autem eſt ad S Cypriani verba ex Epiſt. LXIV ad Fidum, quibus S Auguſtinus utitur in eodem Sermone ad confirmandum Dogma de *Originali Peccato*, ea tam perſpicua ſunt, ut ſibi melius fuiſſet Cenſor conſulturus, ſi quæ ad ipſa eludenda adfert, prorſus omiſiſſet. *Quidni*, ait, *licuit Pelagianis rejicere Cypriani auctoritatem in hoc negotio*;

ut Auguſtino licuit , *quod attinet ad Baptiſmum Hæreticorum* ? Tum addit, multò clariùs, atque conſtantius S Cyprianum affirmâſſe, Hæreticos eſſe baptizandos, quàm dari Peccatum originis: Si Pelagiani licitum ſibi cenſuiſſent, quod noſtrorum temporumm Novatores contra fas omne licitum ſibi putant, nempè non Cyprianum tantummodo, ſed reliquos Patres, & omnem legitimam Traditionem reſpuere ac irridere: rejeciſſent profectò Cypriani auctoritatem in iſta controverſia, non exſpectato Phereponi conſilio At illis , quàm recentioribus Hæreticis , major erga ſacras Traditiones reverentia erat, & melius intelligebatur quàm ſtabili quoque fundamento nitantur dogmata ab Apoſtolorum Traditione deſcendentia. Imò nervos omnes intenderunt & ipſi, ut oſtenderent, Majorum Traditionem ſibi potiùs, quàm Auguſtino favere. Utcumque tamen Pelagianis in pretio fuerit vetuſtiſſimæ Traditionis auctoritas (non enim victas dedere manus documentis in hanc rem ex Catholicorum parte productis) illud mihi certum, perperam à Pherepono componi auctoritatem Cypriani affirmantis *Originale peccatum*, cum Cypriano contendente rurſus baptizandos eſſe Hæreticos. In priore ſententia nihil aliud affirmavit Sanctus Cyprianus, quàm quod univerſa tum ante ſe, tum poſt ſe ad Pelagium uſque Eccleſia Chriſti; quæ ſub cœlo eſt, affirmavit & concorditer tradidit, & *Pædobaptiſmò* ſemper uſurpato ſe credere ſignificavit. Quamobrem Cypriani hac de re ſententia non unius hominis erat, ſed univerſæ Catholicæ Eccleſiæ ſententia, atq; adeò ineluctabili auctoritate conſtabat. Verùm Cyprianus contendens, Hæreticos eſſe rebaptizandos, ſi Agrippinum, & Africanæ Diœceſis Epiſcopos, & nonnullos item Aſiaticos Præſules excipias , qui Cypriano aut præivere ; aut conſenſêre, neminem alium ipſe habuit ſuæ opinionis aſſertorem. Non ipſa ſolùm Eccleſiarum Caput Romana Eccleſia ſed reliquæ ferè omnes cùm Orientis, tum Occidentis Eccleſiæ & Traditionem vetuſtiſſimam, & conſuetudinem perennem Cypriano contrariam tenebant. Quid plura ? Ne ipſe quidem glorioſus Martyr Cyprianus in ſuis Conciliis negare potuit, quin conſuetudo recipiendi ſine Baptiſmo Hæreticos in Eccleſia Dei ante ſuam conſtitutionem obtineret. Itaque altera hæc S. Cypriani ſententia paucorum erat, non Eccleſiæ Catholicæ ſententia atque Traditio ; ac proinde licuit Auguſtino, imò neceſſe fuit hîc Cypriani auctoritatem rejicere, ne veneranda totius Eccleſiæ Cathol. & Concilii univerſalis auctoritas ; firmiſſimis etiã

in

in iſta quæſtione armata rationibus, à ſe rejiceretur: quod Catholico homini nefas perpetuò fuit.

Deinde non dicit (Cyprianus) *in infantes tranſire ullam labem internam, quâ eorum facultates ſint vitiatæ; ſed tantùm trahere eos contagionem mortis ab Adamo, quia ex patre mortali nonniſi mortales naſcuntur: quod multum abeſt à ſententia Auguſtini.* Sunt iſta Phereponi verba, ſed Phereponi litigare potius amantis, quàm veritatis inveniendæ ſoliciti. In Cypriani verbis hæc nimiùm aperta eſt; ità ut aut ultro oculos clauſiſſe dicendus ſit, aut oculis reverà careat, qui eam non cernit. Ità ſcribit ſanctus Cyprianus in laudata Epiſt. LXIV. ad Fidum ſcripta A. C. 253. *Si etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multùm ante peccantibus, cùm poſteà crediderint, remiſſa peccatorum datur, & Baptiſmo atque à gratia nemo prohibetur: quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit; niſi quod ſecundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit; quòd illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata.* Apertiſſimè diſtinguit hìc ſanctus Epiſcopus infantes ab adultis. Hos actualium criminum reos dicit; illos unius tantùm peccati; quod poſteri originale deinde appellârunt. Utroſque à Baptiſmo non eſſe prohibendos affirmat, in quo gratia divina utriſque confertur, & datur remiſſa peccatorum. Quid eſt, quod Phereponus ſcribit; & à Cypriano non dici, *in infantes tranſire ullam labem internam*, hoc eſt nullum animæ inhærens peccatum, ſed mortis ſolùm naturalis neceſſitatem? Cyprianus diſertè pronuntiat infantes *nihil peccâſſe, niſi quod contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxerunt*; id eſt, non actualibus quidem culpis iram divinam in ſe concitâſſe, ſed tamen eſſe reos peccati primi parentis, quia ab ipſo carnaliter ſunt nati. Diſertè, inquam, dicit, ipſos etiam peccâſſe, quia peccatum contraxêre Adami. Dicit ipſos *accipere remiſſam peccatorum*, ipſiſque *remitti, non propria*, hoc eſt, non actualia, ſed *aliena peccata*, id eſt peccatum Adami, qui actualiter peccando fecit, ut omnes poſteri vel recens nati peccatores eſſent, ac indigerent remiſſione peccatorum per ſalutarem Baptiſmi aquam. Ubi verò expreſsè Cyprianus ait, infantes ante ſuſceptum Baptiſmum carere *Gratiâ Dei*, ità in eadem Epiſtola non ſemel addit, ipſos egere *miſericordiâ Dei*, eorumque animas ſinè Baptiſmo decedentes *perdi*. *Quantum in nobis eſt*, ait, *ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt*. Si Adami reatus in infantibus habitat; ſi animæ illorum per-

 duntur,

duntur, ubi ſinè Baptiſmo decedant, ſique *remiſſam peccatorum accipiunt*: ergo neceſſe eſt, in infantes tranſire labem aliquam internam, atque peccatum, quod animæ ſit proprium. Neceſſitatem mortis corporeæ utique non tollit Baptiſmus; ergo tollit ſolum *peccatum originale* ex anima, atque hoc peccatum illud eſt, quod Cypriano dicitur *contagium mortis antiquæ*.

Sed Phereponus dicere pergit: *Deniq; rhetoricè potiùs fortaſſe dixit remitti aliena peccata, quàm didacticè. Ac ſanè nec imputari, nec remitti aliena peccata, ſi propriè loquamur, à juſto judice poſſunt. Satis eſt multa Oratorum Eccleſiaſticorum dicta eſſe vel diluto ſenſu vera; cùm ſatis conſtet eos minimè accuratè loqui ſolitos.* Habeat ſibi Phereponus alibi Criticam iſtam regulam; nihil enim illa ad rem præſentem facere poteſt. Etſi rhetoricè locutus hic fuerit S. Cyprianus, ejus tamen mens apertiſſimè ſe prodit, & ſenſus didacticus elucet: quod & contingit in reliquis Rhetoricis coloribus ab omni perito Rhetore adhibitis. Si verbis didacticis, non rhetoricis, hìc doctrinam Catholicorum Catholicus Epiſcopus exprimit. Cùm nihil boni aut mali egerint infantes, reverà nullum *proprium actuale peccatum* habent, quod ſibi remittatur. Ex Apoſtolica tamen ac univerſali Eccleſiæ Traditione peccatum habent, & indigent gratiâ & gloriâ Dei. Hoc autem peccatum nihil aliud eſt, quàm Adami peccatum in omnes homines deſcendens in condemnationem; alienum, quia non ab infantibus, ſed à ſolis protoplaſtis actualiter perpetratum. Hinc propriè ac ſinè Rhetorico colore dictum eſt, *non propria, ſed aliena peccata, remitti* parvulis undâ ſalutari ablutis. Cæterùm, quod Phereponus tum hìc, tum alibi eamdem ingeminat cantilenam, videlicet imputari à juſto Deo aliena peccata non poſſe, quaſi veteres ac recentes Catholicæ Eccleſiæ Theologi de tuenda Juſtitia Dei nihil ſoliciti, ſatìs hoc nondum animadverterint: rogandi ſunt Lectores, ut quod in hujus controverſiæ exordio nos paucis innuimus, multóque magìs quod S. Auguſtinus, S. Thomas, cæteríque Patres ac Theologi noſtri hanc in rem latè conſcripsêre, legant. Tum enim intelligent hæc rectè cum divina Juſtitia componi, & contra non ſolùm ſuis difficultatibus, quod attinet ad Providentiam, Bonitatem, ac Juſtitiam Dei laborare ſententiam Pelagianorum, ſed ipſam quoque adverſari Eccleſiæ totius Traditioni, & Apoſtoli verbis. Atque hactenus de hujuſmodi controverſia.

C A-

CAPUT III.

Concupiſcentia non bonum, ſed malum homini. Quid Libidinis generale nomen interdum apud Auguſtinum ſonet. Libido carnis, qualis nunc eſt, malum pœnæ, & non peccatum proprium eſt. Non venit ab inſtitutione naturæ innocentis, ſed peccati primi pœna fuit. Differt ab appetentia cibi & potûs. Pernicioſa homini, ut is animal rationale eſt. Pudor nuditatis in ſtatu naturæ innocentis locum non habuit, ſed poſt Adami lapſum effluxit, & inſitus nunc omnium naturæ. Fuiſſet & in terreſtri Paradiſo voluptas carnis, ſed non inimica & infeſta rationi. Niſi Adamus peccáſſet, neque Libidini turbidæ, neque aliis malis obnoxium foret genus humanum Scripturâ teſte.

JUlianum Pelagianæ Hæreſis primipilum cùm alias ob cauſas S. Auguſtinus eloquentiſſimè ac nervoſiſſimè exagitabat, tum ob illam in primis, quòd ſe humanæ concupiſcentiæ atque libidinis laudatorem præſtitiſſet. Poſtremis hiſce temporibus inventi ſunt, qui contra eumdem Auguſtinum, imò contra Catholicam Eccleſiam, Julianum ejúſque conclamatam ſententiam iterum tuerentur, inter quos non ultimam aciem Phereponus nunc ducit. In eo ſita fuit controverſia. Julianus *Concupiſcentiam Bonum* naturæ appellabat, *quo Bono benè utitur, qui modum tenet; quo Bono malè utitur, qui modum non tenet; quo Bono melius non utitur, qui etiam ipſum modum, ſanctæ Virginitatis amore, contempſerit.* Auguſtinus contrà Concupiſcentiam ſemper malum eſſe contendebat; quare Lib. 3. adversùs Julian. Cap. 21. ità reponebat: *Concupiſcentiæ carnalis qui modum tenet, malo benè utitur; qui modum non tenet, malo malè utitur; qui autem etiam ipſum modum, ſanctæ Virginitatis amore, contempſerit, malo melius non utitur.* Innumera ſunt, quæ Auguſtinus variis in Libris, & benè longo ſermone contexit, ut ſuam hanc ſententiam confirmet. Sed nos, quæ Phereponus contra habeat, jam recenſeamus. Dixerat Auguſtinus in Lib. 1. Cap. 3 de libero Arbitrio, *Libidinem in adulterio malum eſſe.* Phereponus in Animadv. ad hunc locum pag. 482. primò dubium non eſſe ait, quin

mala ſit in adulterio libido, ſed non alia de cauſa, niſi quia adulterium ipſum eſt malum, quippe quòd ab illo ſocietas humana planè perturbetur, atque adeò vetitum ſit, hominum causâ, quibus vehementer nocet. *Alioqui*, deinde ſcribit, *libido, ſeu cupiditas alterius ſexûs, nihil habet per ſe mali, ſi intra limites à Deo, immo & ab ipſa ratione, præſcriptos maneat.* Quare inquit, Auguſtinum minus commodè indicâſſe, cur malum ſit adulterium, cùm ejus malitiæ cauſam à libidinis malitia derivavit. At Phereponus animadvertere attentiùs debuit, quid hoc in loco per *Libidinis* nomen ſignificare voluerit ſanctus Auguſtinus. Non *cupiditatem* luxurioſam, ſive carnalem *alterius ſexûs*, ſed quidem pravam quamcumque cupiditatem, atque concupiſcentiam hìc libidinem appellavit. Ut enim idem Auguſtinus Lib 14 Cap. 15. de Civ. Dei ſcribebat: *Libido generale vocabulum eſt omnis cupiditatis*, immo & iræ, & jactantiæ, & pervicaciæ, aliiſque hujuſmodi perverſis animi affectibus Cicerone teſte convenit, quanquam pro venereo appetitu uſitatiùs accipiatur. Cupiditas, quâ homo inclinatur ad aliquid appetendum contra Rationem, contra Juſtitiam, Pietatem, Temperantiam, aliáſque Virtutes & contra Leges à Deo & à ratione conſtitutas, libido eſt, libido appellari poteſt. Quæ profectò concupiſcentia, ſive libido, cùm in adulterio quoque deprehendatur, juſtitiam quippe, ac ſocietatis humanæ jura, & Sacramenti fœdus, adulter contemnit ac lædit: commodè propterea & verè in ejus malitiam retulit Auguſtinus adulterii malitiam. Ipſemet eodem Cap. 3. Lib. 1. de libero Arbitrio apertè prodit, quid ſentiat, ità ſcribens: *Ut intelligas libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit, id eum CUPERE, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Vides, non turbidum carnis motum, ſed pravum animi affectum, ſive alienum à ratione recta appetitum, vocabulo *libidinis* hìc deſignari. Tum addit Evodius: *Clarum eſt enim, jam nihil aliud quàm libidinem in toto maleſaciendi genere dominari.* Cui protinus Auguſtinus: *Sciſne etiam iſtam libidinem alio nomine cupiditatem vocari?* Melius ergo & commodius libidinis pravitatem conſtituimus cauſam illius pravitatis, quæ in adulterio eſt; fieri enim poteſt, ut quis ſit adulter, humanæque proinde ſocietatis ordinem turbet, & nihilominus tum ipſe, tum ejus opus culpâ ac malitiâ careat: quod fit, cum ex ignorantia

rantia invincibili agitur. Et quare tunc adulterium malum non eſt, niſi quia tunc libido, ſive pravus animi appetitus, in ignoranter operante minimè dominatur? Itaque nihil erat, cur hìc Auguſtinum edocere meliora Pherepo-nus vellet, multóque minus cur in commendationem venereæ libidinis tranſgrederetur, cui nullus hìc locus erat.

Sed quoniam illius oratio nos eò quoque abripit, videamus, quî probet novus iſte Pelagianorum patronus, libidinem carnis, ſive cupiditatem alterius ſexûs, *nihil habere per ſe mali.* En ejus verba pag 482 *Ità conſtituta ſunt à Deo omnium animalium corpora, ut cùm adoleverunt, ea cupiditas in iis, mechanico impetu, excitetur, non aliter ac cupiditas edendi aut bibendi. Conſectarium eſt naturæ corporis, quale à Deo creatum eſt, ut ex brutis, & ex ipſo conſilio propagationis generum intelligere eſt.* Ratio igitur, quare malum non ſit, dicenda libido, ſi Pherepono credimus, ea eſt, quòd naturalis motus ſit, à Deo conſtitutus, nihil certè niſi bonum créante. Eadem repetit ille, pag. 528. in Notis ad Lib 9. Cap. 10. de Gen. ad Lit. Nam cum dixiſſet ſanctus Auguſtinus, honeſtius meliúſque credi, ità fuiſſe primorum parentum corpora conſtituta in terreſtri Paradiſo, *ut appetitum carnalis voluptatis non haberent, qualem nunc habent iſta corpora*: Phereponus talia apponit: *Appetitus ille, ut liquet vel ex brutis, tam naturalis eſt, quàm appetentia cibi, aut potûs, voluptaſque, quàm experimur, cùm comedimus eſurientes, vel bibimus ſitientes. Non puto ſanè, quemquam dicturum, ſitim, aut famem, voluptatemque, quam in iis explendis experimur, effectus eſſe peccati. Figmenta mera ſunt, quæ hìc & alibi dicuntur.* Ità brevibus rem expedit Phereponus, & longas Auguſtini commentationes nullo negotio proſternit, & rotundâ ſententiâ exſibilat. Experiamur, an benè ſedeat homini iſti confidentia tanta.

Cùm Auguſtinus libidinem carnis malum appellat, animadvertendum primò eſt, quo ſenſu illic *mali* nomen ſit accipiendum. Ut autem Auguſtinus ipſe auctor eſt Lib. 1. Cap. 1. de Lib. Arb. *Duobus modis appellare ſolemus malum; uno, cùm malè quemquam feciſſe dicimus, alio, cùm mali aliquid eſſe perpeſſum.* Eo recidere poteſt, quanquam diverſo ſub intuitu, illa diviſio mali, quam idem Auguſtinus, ac cæteri Theologi frequenter uſurpant, nimirum aliud eſſe malum culpæ, aliud malum pœnæ. Prius malum inquinat animum, Deóque hominem inviſum facit, & Peccatum dicitur. Alterum tantummodo excruciat, aut lædit animum,

mum, ſive corpus hominis. Certum eſt, Auguſtinum
nimè inter priora mala, ſed quidem inter ſecunda, com
tare libidinem. Quanquam enim concupiſcentiam hu
nam generaliter ſumptam, cujus pars ac ſpecies eſt ipſa
nalis libido, Auguſtinus interdum cum Apoſtolo pe
tum vocet, nunquam tamen aut Apoſtolus, aut Augu
nus hujuſmodi vocabulo ſignificare voluerunt, concu
ſcentiam verè & propriè peccatum in hominibus eſſe,
peccatum ideo appellant, *quia ex peccato eſt* (originali vi
licet) *& ad peccatum inclinat*, ſicuti Synodus Trident
nos docuit Seſſ. V. & ipſe Auguſtinus antea docuerat L
1. Cap. 23. de Nupt. & Concup. & in Libris contra Ju
num, & Lib. 1. Cap. 12. contra duas Epiſtolas Pelag. &
aliis Libris. Proinde ſublatis omnibus in ſacro Baptiſn
te culpis, atque peccatis, adhuc reſtare in homine con
piſcentiam Auguſtinus affirmat, non quòd propter ipſ
rei ampliùs ſimus, ſed ut cum ipſa confligamus in poſ
rum, ne fiamus rei. Quamobrem, ſi Pherepono viſus fo
tè eſt Auguſtinus tunc libidinem appellâſſe proprium
verum peccatum, cùm eam in malorum aciem retuli
ſciat, ſe quidem improbare Calvini ac Lutheri comme
tum, non autem Auguſtini mentem.

Statuit igitur Auguſtinus adversùs Pelagianos, concu
ſcentiam, & libidinem carnis non eſſe naturale Dei donu
non eſſe à Deo creatam in primis parentibus talem, qua
poſt eorum peccatum fuit; & qualis adhuc ſentitur ab h
minibus. Primi peccati infelix fructus illa eſt, vitiúmq
corruptæ, non innocentis, naturæ, ac propterea malu
pœnæ, malum homini moleſtum, quo nos careremus,
culpâ caruiſſent primi omnium parentes. Quis autem
bidinem, qualem nunc in membris ſuis humanum gen
ſentit, naturale bonum putet, quæ nos ad peccandum pe
vicaciter incitat, quæ contra legem mentis atque ratio
tam ſæpè pugnat, quæ continentiæ & virginitati infeſt
ſima eſt, quam quilibet vir pius ſentire ſe dolet, ac por
ſentire nollet, quæ demum pudoris atque erubeſcent
materia eſt, atque argumentum? At hæc nihil Pherepo
obſtant, quominus inter naturalia bona libidinem re
rat. *Appetitus ille*, inquit, *tam naturalis eſt, quàm appete
tia cibi aut potûs.* Mechanico autem impetu non min
brutorum, quàm hominum corpora ad libidinem, & p
libidinem ad generis propagationem moventur. Er
non eſt effectus primi peccati libido. Ità Pherepon
Quod eſt ad comparationem libidinis cum fame & ſiti
reſpo

reſpondemus, Cenſorem demonſtrare prius debuiſſe, famem quoque, ac ſitim, quales nunc ab hominibus ſentiuntur, tales quoque futuras fuiſſe in innocentiæ ſtatu, atque in illa ſumma felicitate, in qua Deus Adamum creavit. Ad Catholicam fidem ſpectat credere, primos parentes morituros non fuiſſe, niſi peccâſſent. Cùm fames, & ſitis, mala utique omnium judicio in hoc præſenti hominum ſtatu gravia, præter acerrimum dolorem, mortem quoque corpori inferre nunc poſſint: cur mechanicâ etiam vi homines, in terreſtri Paradiſo alioqui non morituros, compellere fames & ſitis non potuiſſent, atque interdum non compuliſſent ad mortem? Aut ergo Deus in ſtatu naturæ innocentis famem & ſitim, conſectaria naturæ corporis non fecit; aut ſi fecit, tales, quales nunc experimur, ne homo ſentiret, effecit

Sed ut à quæſtione iſta æquivocationem omnem amoveamus, dicimus, hominem ſub duplici ratione eſſe conſiderandum, nempe aut quatenus homo eſt animal, aut quatenus eſt animal ratione præditum. Nutriri, augeri, propagationem quærere, delectari in operationibus ſenſitivis, ac in ipſa venire, & appetere cibum ac potum, & alia id genus, homini ut animali naturalia ſunt, & in Adamo etiam fuiſſent. Atque idcirco bona ea ſunt à Deo, uti bonum quoque à Deo emanans ſunt vis generativa, & vaſa generationis, & ſeminis efficacia, & honeſta ſenſuum voluptas, & commixtio corporum ad licitam propagationem humani generis, atque alia ejuſmodi. Immo ipſe genitalium motus *bonum naturæ* in ſe eſt; *nunquam* enim *motum genitalium* Auguſtinus *reprehendit generaliter*, tanquam naturæ *malum* ac vitium, uti Julianus eidem objiciebat, *ſed illum motum reprehendit, quem facit concupiſcentia, quâ caro concupiſcit adversùs ſpiritum, quam velut bonum defendebat* Julianus. Utor ipſius Auguſtini verbis lib. 4. Cap. 13. contra eumdem Julianum. Secundò, in libidine, ac in aliis quibuſcumque motibus animalitatis, ac inferioris appetitûs, conſiderari poteſt, effrenis illa membrorum, & affectuum concitatio, quæ vel repugnante voluntate hominis fit in homine, quæ pudorem ingerit, & ad peccatum incitat ac rapit, ut ea faciamus, quæ facere nollemus, mentémque ac rationem in actibus libidinoſis turbidâ ſuâ delectatione abſorbet, & de ſua dignitate dejicit. Hoc illud eſt, quod malum appellat Auguſtinus, & nos cum Auguſtino malum eſſe homini, quatenus animal rationale eſt, affirmamus. Quo malo in primi ſceleris

leris pœnam mulctati ſunt poſteri Adami, Deo non quidem hoc malum creante, ſed ſinente, ut efflueret è conſtitutione corporis divinis donis ſpoliati, poſtquam à divina gratia, ac primævâ innocentiâ Adamus peccando exciderat. Quapropter nihil eſt, quòd Phereponus exemplum brutorum adhibeat, oſtenſurus, libidinoſos humani corporis motus malum non eſſe. In animabus brutis nullum deformitatis ſenſum libido creat, nihil pudoris ingerit, nihil cum ratione pugnat, quippe quod ratione pecudes ipſi carent. Conformis potiùs eorum naturæ eſt hujuſmodi motus concupiſcentiæ, ut bonum quoque ac perfectio in iis appellari jure poſſit. At in animalibus ratione præditis, & ratione utentibus, malum, vitium, defectus, & corruptio naturæ libido eſt, quippe ad inhoneſta, & rationi contraria hominem ſolicitans, & ad ea impellens, quæ naturam hominis, quatenus rationale animal eſt, omnino dedecent. *In pecoribus*, inquit Auguſtinus Lib.4. Cap. 14. contra Julianum, *malum non eſt Concupiſcentia, quia non adversùs ſpiritum concupiſcit, ſed eorum potiùs oblectat ſpiritum.* Vide & eundem Lib. de Pecc. Orig. Cap.40. & Lib. Oper. imperf. Cap.56. Ergo qui ſe hominem eſſe recordatur, non ſentire, non fateri nequit, quin Concupiſcentia carnis, qualis nunc ſentitur, unde tot inteſtinas patimur pugnas, quas etiam Apoſtolus in ſe olim deplorabat, malum ſit homini, quatenus ratione prædito, ejúſque naturæ incommodum, ac vitium.

Quandoquidem verò negare ne nos quidem volumus, aut poſſumus, quin hujuſmodi malum in ſtatu quoque naturæ puræ locum habere potuerit, ità ut culpanda ne ſic quidem foret Creatoris juſtiſſimi voluntas, qui tale vitium è corporis conſtitutione effluere vel in puris naturalibus permiſiſſet; imò cùm neque diſceptare velimus, an tantæ vires in ſtatu Naturæ puræ carnali concupiſcentiæ eſſe potuerint, quantæ nunc à nobis ſentiuntur: ſupereſt ſolùm, ut inquiramus, feceritne Deus reverà, an non, in primordio rerum hominem adeò inordinatis motibus concupiſcentiæ obnoxium. Phereponus cum Pelagianis affirmat. Catholici cum Auguſtino negant. Id oſtendimus primò, quia magìs decuit divinam bonitatem atque juſtitiam, ità hominem innocentem condere, ut corpus animo, inferiora ſuperioribus placidè ſubdita forent: quod certè ſecùs nunc evenit in iſto corruptæ naturæ ſtatu. Deinde cùm conſtet, Adamum in maxima cùm animi, tum corporis felicitate à Deo fuiſſe creatum, quis eam in iis membris pugnam, cúm-

que

que peccati fomitem, eáſque concupiſcentiæ vires in illo fuiſſe credat, quæ nunc maximam vel hominibus piis & infelicitatem & periculum animæ creant? Sed quod rem evidentiùs tangit, hæc de primis parentibus ſcripta ſunt Gen. 2. ỳ. 25. *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet, uxor ejus, & non erubeſcebant.* Nihil igitur pudoris nuditas innocentibus hominibus attulerat non aliâ de cauſa, niſi quia nullum adhuc præter voluntatis arbitrium in membris ſuis motum, nullam carnis rebellionem, nullum inteſtinum membrorum bellum contra mentis legem ſenſerant. At poſtquam Deo inobedientes peccârunt, uti habetur Gen. 3, ỳ. 7. *Aperti ſunt oculi amborum; cúmque noviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi perizomata.* Profectò aliud novi in ſe, ac in membris ſuis animadvertere primi homines non potuêre, cujus illos pudere inciperet, niſi libidinis motus vel invitâ voluntate factos. Tum ſentire cœperunt ſui peccati pœnam, tum ſe divinis donis ſpoliatos deprehenderunt, tum puduit illos novæ deformitatis, ideóque *perizomata*, ſive *ſuccinctoria*, atque *femoralia*, *chagoroth*, ſibi concinnârunt, ut ſuis aliorúmque oculis pudoris aut laſciviæ materiem ſubtraherent. Ergo tum primùm nata eſt turbida illa libido, inflictáq; hominibus primis in pœnam primi peccati à juſto Deo fervere ſinitur in eorum poſteris, cùm anteà non niſi ex imperio aut conſenſu mentis atque rationis ea membra moverentur, quibus homo ad generationem utitur.

Quid quæſo ad hæc tam luculenta divinæ Scripturæ verba reponit Phereponus? Scripſerat Auguſtinus Lib. 13. Cap. 13 de Civ. Dei hæc de primis parentibus: *Senſerunt ergo novum motum inobedientis carnis ſuæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.* Hujuſmodi opinionem *commentum* Phereponus ſtatim vocat. Tum ait pag. 583. *Ne quid aliud hic dicam, non debuit dicere, ſenſerunt, ſed ſenſit Adamus, nam motus aut nullus fuit in Eva aut certè minimè conſpicuus, & qui eam in ruborem dare poſſet.* Telum hoc vetus eſt è Juliani pharetra petitum, ſed ab Auguſtino jamdiu protritum Lib. 4. Cap. 13. contra eundem Julianum. Attamen cùm nos moneat Cenſor, ut de nuditate primorum parentum cùm alios Interpretes, tum præſertim Joannem Clericum conſulamus: illi habendæ gratiæ, quòd ex interpretum vulgo aliquem ſeligat, in quem edocendi nos onus transferat. Et ego quidem novi Joannem Clericum, virum & eruditione & ingenio critico reverà celebrem, ſed licentia quoque opinandi, æquè famoſum, adeóque in ſanctos Patres animatum, ut

 cùm

cùm ipſum audis, alterum, imò ipſum Phereponum audire te putes. Varias Interpres ille Interpretum ſententias congerit ad explicandam primorum parentum nuditatem, & perizomata; tum probare videtur, qui dicat, *nudum* in eo loco nihil aliud ſignificare quàm *peccatorem*, ſeu hominem qui ſe peccâſſe animadverterit. Nobis non iraſcatur Phereponus, ſi novum hunc ſuum divinarum Litterarum Interpretem dicimus interpretatione ſua ridendos incredulis exhibere aut Moſem divinum illius Hiſtoriæ Scriptorem, aut ipſos parentes primos. Cognoverunt nempè iſti ſe peccatores eſſe, atque ideò minùs honeſtas corporis partes velavêre cinctoriis; ſivè, ut ipſe conjicit, tectum, ſub quo habitarent, ſibi compoſuerunt. Quis hæc audiens non rideat aut hominum illorum conſilium, aut Hiſtorici ſacri ingenium? Nam quid rei habent perizomata conſuta, & nudis membris aptata, aut habitaculum ſibi conſtructum, cum cognitione antecedentis peccati? Num tegere animæ peccatum poterant nova illa integumenta membrorum? Sed Clericus nullam pudoris cauſam in Adami & Evæ nuditate reperiebat, remotis nempè arbitris, & ſine conſenſu voluntatis, atque ideò ſine culpa nudis, aut etiam ſine culpa libidinem concitatis membris. Phereponus verò, cùm nullus, aut ſaltem non conſpicuus, fuerit motus in Evæ membris, nullum ſentiri ab ea potuiſſe pudorem ait, eidémque propterea nullam tegendi corporis neceſſitatem fuiſſe. Verùm nos cum Auguſtino dicimus, Evam in membris ſuis inteſtinam novámque pugnam, ac inobedientiam ſenſiſſe. Senſit ipſa, quid conſpicua viri nuditas in ſe intuente efficeret; & hinc didicit quid viciſſim in viro fœminea nuditas efficere poſſet. Inſolita hæc erant, & nullo negotio in pœnam criminis à Deo inflicta fuiſſe uterque intellexit. Quare perizomatum ope deformitatem hujuſmodi auferendam, & ſubtrahendam oculis Adam excitatricem injuſtæ libidinis nuditatem Eva quoque cognovit.

Cæterùm cùm pudor ſit triſtitiæ ſpecies è metu infamiæ propter aliquod vitium aut culpam: quis non videat pudori locum fuiſſe in primis parentibus ad novum illum membrorum ac libidinis affectum ſine voluntatis imperio excitatum? Præterea nonne & nos pudet, & meritò pudet, alia quædam corporis vitia prodere, ac palam deferre, quando iis animi noſtri vitium & peccatum cauſam dedit? Imò nos pudet etiam, & jure pudet, ſi cùm facilè poſſumus, non ea quoque oculis aliorum eripiamus, quæ aut moleſtiam dolorémque ipſis creent abſque utilitate ulla; aut

eorum animos, & ſenſus ad aliquid alliciant ac impellant, quod rationi rectæ minimè conveniat; aut culpam tacitè exprobrent? aut alicujus morbi, ſivè calamitatis noſtræ, quam culpa adduxit voluntaria, & pellere voluntaria ampliùs medicina non poteſt, alios moneant. Tales pudoris cauſas in ſe invenerunt Adamus & Eva, cùm ſe nudos conſpexêre, & noverunt, inobedientes carnis motus ex antecedenti peccato venire, & alienis oculis, phantaſiæ, ac menti periculum ſe ingerere, & inobedientiam mentis per illos motus accuſari. Qui anteà innocentes membra ſibi ad nutum obedientia habebant, & alterius nuditate conſpecta nihil ſentiebant in ſe, quod voluntati repugnaret, ſivè mentem de ſua tranquillitate ac regno dejiceret, peccatores poſteà facti non potuerunt non pudore ſuffundi, cùm ad aſpectum nuditatis tam diverſa in ſeſe experirentur, ideòque velandum cenſuerunt; quod eorum quoque poſteri velandum nunc cenſent, ab ipſa natura edocti. Nunc audi Auguſtinum ipſum Lib. 4. Cap. 13. contra Julianum. *Quid autem de motu fœminæ, cujus & ipſam puduit, inaniter argumentandum putâſti. Non utique fœmina motum viſibilem texit ſed cùm in eiſdem membris tale aliquid ſentiret occultiùs, quale vir ſenſerat, ambo texerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo ſenſerunt, & vel unuſquiſque ſibi, vel alter alteri erubuerunt.*

Phereponus tamen inſitum fuiſſe nobis à natura morem iſtum operiendi pudenda tacitè negat in Notis ad Cap. 17. Lib. 14. de Civ. Dei Auguſtinum enim affirmantem, vel apud ipſos Barbaros, atque Brachmanes in more id eſſe poſitum, non vera narrâſſe nos monet, pag. 585. cùm in Africa atque America ſint gentes planè nudæ, uti ex oculatis teſtibus ipſe didicit. Sed quamvis populi nonnulli ſint, qui nudo penitùs corpore adhuc incedant, num ideò minùs verum, nos à natura edoceri inhoneſta illa membra velare? Alioqui non comedere humanas carnes, non mactare ſenes, ſivè ipſos etiam parentes, ut ſenectutis incommodis eripiantur, & abſtinere à rapinis, cædibus, aliiſque teterrimis ac vituperandis moribus, ne inter leges quidem naturæ referremus; ſunt enim quidam in Africa & America integri populi, qui talia adhuc faciunt, & ſine pudore faciunt, ſivè quòd licita cenſeant, ſivè quòd habitu in iniquitate firmato pervenerint ad exuendum, ſivè non ſentiendũ qualemcumq; in iis operibus pudorẽ. Ergo quòd adhuc vivant quædã gẽtes moribus barbaræ, numero paucæ, quibus pudori nõ ſit nudis planè mẽbris incedere, nihil impedit, quo

minus dicendus ſit inſitus nobis à natura nuditatis pudor, quando reliqui, iique cultiores, & innumeri populi, noſtra in ſententia exemplo ſuo conveniunt

Verùm Phereponus, quanquam concedat, *pudorem* nuditatis *inde partim ortum videri, unde dicit Auguſtinus*: attamen addit, multas alias acceſſiſſe obtegendi corporis cauſas, videlicet ne liberis exemplo peſſimo, & pravo ad intempeſtivam luxuriam incitamento foret parentum nudorum aſpectus; ne fœdum quid ſingulis menſibus fœminæ exhiberent; ne conjugati ad adulteria excitarentur. Subinde verò ſcribit: *Hinc paulatim natus nuditatis pudor*, hoc eſt è cauſis, & rationibus, quas ipſe Phereponus refert, non quas Auguſtinus affert. At nos vel ante iſtas cauſas à Pherepono memoratas, quando certè neque liberi Adamo, neque alii conjuges præter Adamum, & Evam erant, ortum habuiſſe nuditatis pudorem dicimus ex fide Litterarum ſacrarum, quæ mentiri non poſſunt, & quas non ſatis animadvertit Phereponus, quantopere ipſe per latus oppugnet, ac vulneret, & dubiæ fidei faciat, cum talia ſcribit. Nihil hîc dico de latebris vel ipſi conjugali copulæ meritò quæſitis, quas ideò tantùm Phereponus tolerat aut probat, quòd avertendi ſint liberi ab eo periculoſo aſpectu, non autem quòd ipſa res, in ſe ſpectata, pudenda ſit. Quaſi liberis ſolis, & non quibuſcumque aliis hominibus, hæc ſint abſcondenda; & quaſi hoc ipſum ſatis non oſtendat, aliquod naturæ vitium in iis actibus eſſe, qui ad impudicitiam, & ad ſcelera, ſi conſpiciantur, reliquos accendere poſſunt; & quaſi ea res pudenda non ſit, quam ſubſequitur agentis infamia, niſi remotis arbitris ac teſtibus fiat. Hæc leviter excuſſiſſe ſit ſatis.

Accuratiùs Pherepono reſpondendum eſt irridenti Auguſtinum, qui Cap. 23. Lib. 14. de Civ. Dei agens de ratione, qua in ſtatu naturæ innocentis propagatum fuiſſet genus humanum, ità ſcripſit. *Voluntati membra illa, ut cætera omnia, ſervirent. Ità genitale arvum vas in hoc opus creatum ſeminaret, ut nunc terram manus*. Ad quæ ſtatim Phereponus pag. 586. *Hoc eſt, ſine ullo voluptatis appetitu; nam eam libidinem vult Auguſtinus eſſe peccatum*. Non exaggeret quæſo Cenſor noſter, non imponat lectoribus credulis. Fuiſſet etiam in innocentiæ ſtatu ſua ſenſibus & carni voluptas, ſed quæ mentem non obrueret, ſed quæ rationem in ſua tranquillitate relinqueret, non qualis nunc ſentitur, turbida, immoderata, & hominem ad belluarum conditionem dejiciens. Fuiſſet & voluptatis appetitus, ſed rationi omninò obtemperans

atque

atque ſubjectus; & homo voluptatem appetiiſſet, non tanquam finem, ſed tanquam medium ad ea, quæ inſtituto ſuo, ac homini ut rationali convenirent. Hæc Auguſtinus non negat, qui & Cap. 26. ejuſdem Libri 14 de Civitate Dei hæc ſcribit: *Abſit, ut ſuſpicemur, non potuiſſe prolem ſeri ſine libidinis morbo: ſed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cætera, & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo cum tranquillitate animi & corporis.* Et Lib. 4. Cap. 2. contra Jul. *Quis negat futurum fuiſſe concubitum, etiam ſi peccatum non præceſſiſſet? Sed futurus fuerat, ſicut aliis membris, ità etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis, aut certè etiam ipsâ libidine, non qualis nunc eſt, ſed ad nutum voluntarium ſerviente.* Eodem autem Lib. Cap. 14. acutè diſtinguit à vivacitate, utilitate, & neceſſitate ſentiendi, libidinem ſentiendi. Tum infrà, *ne nimium*, inquit, *videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodocumque defendunt*, concedit, credi poſſe, in illo tantæ felicitatis loco *carnalium ſenſuum fuiſſe* libidinem, ſed ità *ut omnimodo rationali ſubdita voluntati, non aliàs adeſſet, niſi cùm per illum vel ſaluti eſſet corporis, vel ſtirpis propagini conſulendum; & tanta adeſſet, ut nulla ex parte mentem de ſupernarum cogitationum delectatione deponeret &c.* Vide & Lib. I. Cap. 17. contra duas Epiſt. Pelag. Ab innocentis igitur Adami conditione exclude illecebroſum illum Ardoris ſtimulum, qui nunc non ſolùm homine invito membra movet, ſed etiam adverſus mentis legem pugnat, rationémque reluctantem non raro ſibi ſubjicit, ac turbidâ delectatione abſorbet, & *Libido* carnis appellatur. Cætera quibus generationis opus completur, à terreſtris Paradiſi felicitate non abfuiſſent. Imò tunc, ut S. Thomas T. 1. Summæ qu. 98. Art. 2. ad 3. inquit: *Fuiſſet major delectatio ſenſibilis, quantò eſſet purior natura, & corpus magis ſenſibile.* Denique Auguſtinus libidinem carnis ità peccatum quandoque nominat, uti Apoſtolus Concupiſcentiam *Peccatum* appellavit, nimirum non ut is inferioris partis motus formale peccatum, & culpa ſit, ſed quòd ad peccatum & culpam inclinet, & tunc dumtaxat proprium & verum fiat peccatum, cùm ad illicita ac inhoneſta voluntatem rapit. Jam id ſuprà nos demonſtravimus. Quare videat Phereponus, ſe aërem verberare, & ſibi larvas effingere, ut cum iis digladietur. Cùm Auguſtinus ait, ità ſeminandum fuiſſe *genitale arvum, ut nunc terram ſeminat manus,* obedientiam tantùm exprimere voluit membrorum generationi inſervientium, qualem humanæ menti præſtat manus, non autem è ſenſibus delectationem moderatam excludit, quam tamen in innocentiæ

ſtatu nihil rationi pernicioſam futuram fuiſſe putamus.

Quamobrem inania planè ſunt, quæ poſtea Phereponus congerit, ità ſcribens pag. 586. *Eâdem operâ dicere debuiſſet* (Auguſtinus) *appetitum cibi grati peccatum eſſe; nec primos parentes, cùm fructus licitos & jucundos comederant, ullâ voluptate titillatos fuiſſe &c. Addere etiam eum oportuiſſet, bruta, quorum organa noſtris non abſimilia ſunt, nullam quærere in naturalibus actionibus voluptatem, nam ſanè non peccârunt; ſed iis defungi ſponte naturæ, ſine ulla penitùs cupiditate.* Non hæc certè abſurda dicere debuit Auguſtinus, quia nuſquam, niſi in Pherepono cerebro, dixit, ſine ullo voluptatis appetitu & ſine ulla delectatione ſenſuum innocentes homines prolem fuiſſe ſeminaturos & nunquam docuit libidinem ipſam propriè peccatum eſſe, niſi eidem contra Legis edicta obediatur. Et miror, qui toties Phereponus comparationem inſtituat inter pecudes ac animalia ratione præditâ, neque conſideret, multa eſſe homini quidem & brutis comunia, quæ tamen in brutis, quippe ratione deſtitutis, laudanda ſint, aut ſaltem non vituperanda, in hominibus autem ratione utentibus & fœda ſint, & vituperanda, & rationali creaturâ prorſus indigna, *Aliud enim eſt arietis & aliud Publii Africani bonum,* olim Cicero ajebat Sed minùs tolerandis declamationibus, hæc de Auguſtino ſcribere pergit nuperus Cenſor: *Poſtquam Deum planè alium deſcripſit, ac eſt: quamque à Scriptura nobis præpingitur: toti etiam naturæ vim infert, ut poſſit pravas Interpretationes obſcurorum aliquot Scripturæ locorum tueri.* Ubinam Deum Auguſtinus deſcribit alium, ac eſt? Ubinam, & qualem naturæ vim infert? Et quænam ſunt obſcura illa Scripturarum loca, quibus abutitur, ut cœlum terrámque miſceat? Sed hæc ut ſine magno labore interſeruntur à confidentiſſimo homine illo, ità a nobis nullo labore negata, ſuapte naturâ cadunt.

Ab eodem fonte veniunt ſubſequentes Cenſoris notæ ad Cap. 24 Lib. 14. de Civ. Dei. *Auguſtinus,* inquit ille, *turpia commenta hîc nobis propinat, dumtaxat ut rationem reddat rei, quæ nec fuit, nec erit; nimirum, generationis liberorum in ſtatu innocentiæ, ſi in eo primi parentes perſeverâſſent; & quidem quia ſtatuit peccatum id eſſe, quod ineſt naturæ omnium animalium, nec uſquam damnatur, ſi modò intra leges contineatur: nimirum cupiditatem conjugii, poſtquam pubertatis annos attigerunt.* Nihil horum ſenſit Auguſtinus, imò oppoſitum ſenſit, eique talia abſurda unus pro ſua liberalitate affingit Phereponus. Neque enim cupiditatem conjugii unquam Libidinem Auguſtinus appellavit, multóque minùs culpæ damnavit. Alia

fuit

fuit ipſi, & planè diverſiſſima carnalis libidinis idea. Imò vidimus, ne turpem quidem libidinis æſtum, contra nutum voluntatis membra moventem, & adversùs ſpiritum pugnantem, verum & proprium peccatum ab Auguſtino cenſeri, niſi cùm voluntas ſe abripi ſinit ad conſentiendum illicitis. Pelagianis ergo oculis, & exulcerato animo, & apud Calvinianos tantùm Interpretes, Libros Auguſtini Phereponus legiſſe videtur.

Sed ut iſtam denique controverſiam expediamus, & uberiùs conſtet, quàm contra omnem rationem hîc Auguſtino Phereponus inſultet: dicimus, verum quidem eſſe, humanam mentem atque rationem ex conſtitutione naturæ habere non poſſe; neque debere ſemper ad nutum ſuum obedientes corporis vires, motus, humores, ſomnum, appetitus, & alia, quæ ad vegetabilem & animalem, & mechanicam membrorum œconomiam pertinent. Naturaliter etiam accidit, ut caro ſua munia exercens, & in delectationes ſibi congruas tendens, adversùs ſpiritum concupiſcat, & ingratos ac pernicioſos tum animæ, tum rationi motus eliciat. Poterat & iſtud contingere in ſtatu naturæ puræ, non ex culpa ſapientiſſimi atque optimi Creatoris, ſed ex elementorum compage & diſcordia, atque ex ipſius naturæ creatæ defectu. At certum eſt nobis, aliter inſtitutam fuiſſe à Deo naturam primi hominis, hoc eſt, peculiari divinæ gratiæ prærogativa, & ſupranaturali freno ità contemperatam atque firmatam, ut non ſineretur caro quidquam pugnare, neque doloribus, neque pravis affectibus, adversùs mentem atque rationem, cùm anima pariter & corpus mirabili tunc fruerentur tranquillitate, atque harmoniâ. Peccavêre primi parentes. Tunc ſublatum fuit illud cœleſtis gratiæ frenum, tunc deſiit peculiare illud muneris divini præſidium. Quare in homine ſuis cum naturalibus relicto ſuapte naturâ emersêre tot illi defectus, vitia, & pravi appetitûs tum corporis, tum animæ, quæ ab omnibus Adami poſteris ſentiũtur adhuc, & graviora fiunt, quando ad originale peccatum actualia etiam crimina accedunt. Itaq; per nos etiam liceat Pherepono, tum famem, ſitim, & libidinem, tum alios corporis motus mechanicos, nunc naturæ humanæ & ſpiritui plerumque graves ac infeſtos, appellare ſub ea ratione defectus naturales hominis, quia ab ipſa hominis naturâ ſibi relicta, & non à Deo creata procedunt. Liceat, inquam, ipſi, dummodo is quoque fateatur, aliter è divinis manibus innocentis hominis naturam exiiſſe, hoc eſt, invidendâ felicitate corporis præditam, & forti rationis imperio in inferiorem appetitum donatam; tot

ſtatu nihil rationi pernicioſam futuram fuiſſe putamus.

Quamobrem inania planè ſunt, quæ poſtea Phereponus congerit, ità ſcribens pag. 586. *Eâdem operâ dicere debuiſſet* (Auguſtinus) *appetitum cibi grati peccatum eſſe; nec primos parentes, cùm fructus licitos & jucundos comederant, ullâ voluptate titillatos fuiſſe &c. Addere etiam eum oportuiſſet, bruta, quorum organa noſtris non abſimilia ſunt, nullam quærere in naturalibus actionibus voluptatem, nam ſanè non peccârunt; ſed iis defungi ſponte naturæ, ſine ulla penitùs cupiditate.* Non hæc certè abſurda dicere debuit Auguſtinus, quia nuſquam, niſi in Pherepono cerebro, dixit, ſine ullo voluptatis appetitu & ſine ulla delectatione ſenſuum innocentes homines prolem fuiſſe ſeminaturos & nunquam docuit libidinem ipſam propriè peccatum eſſe, niſi eidem contra Legis edicta obediatur. Et miror, qui toties Phereponus comparationem inſtituat inter pecudes ac animalia ratione præditâ, neque conſideret, multa eſſe homini quidem & brutis comunia, quæ tamen in brutis, quippe ratione deſtitutis, laudanda ſint, aut ſaltem non vituperanda, in hominibus autem ratione utentibus & fœda ſint, & vituperanda, & rationali creaturâ prorſus indigna; *Aliud enim eſt arietis & aliud Publii Africani bonum*, olim Cicero ajebat Sed minùs tolerandis declamationibus, hæc de Auguſtino ſcribere pergit nuperus Cenſor: *Poſtquam Deum planè alium deſcripſit, ac eſt: quamque à Scriptura nobis præpingitur: toti etiam naturæ vim infert, ut poſſit pravas Interpretationes obſcurorum aliquot Scripturæ locorum tueri.* Ubinam Deum Auguſtinus deſcribit alium, ac eſt? Ubinam, & qualem naturæ vim infert? Et quænam ſunt obſcura illa Scripturarum loca, quibus abutitur, ut cœlum terrámque miſceat? Sed hæc ut ſine magno labore interſeruntur à confidentiſſimo homine illo, ità a nobis nullo labore negata, ſuapte naturâ cadunt.

Ab eodem fonte veniunt ſubſequentes Cenſoris notæ ad Cap. 24 Lib. 14. de Civ. Dei. *Auguſtinus*, inquit ille, *turpia commenta hìc nobis propinat, dumtaxat ut rationem reddat rei, quæ nec fuit, nec erit; nimirum, generationis liberorum in ſtatu innocentiæ, ſi in eo primi parentes perſeverâſſent; & quidem quia ſtatuit peccatum id eſſe, quod ineſt naturæ omnium animalium, nec uſquam damnatur, ſi modò intra leges contineatur: nimirum cupiditatem conjugii, poſtquam pubertatis annos attigerunt.* Nihil horum ſenſit Auguſtinus, imò oppoſitum ſenſit, eíque talia abſurda unus pro ſua liberalitate affingit Phereponus. Neque enim cupiditatem conjugii unquam Libidinem Auguſtinus appellavit, multóque minùs culpæ damnavit. Alia fuit

fuit ipſi, & planè diverſiſſima carnalis libidinis idea. Imò vidimus, ne turpem quidem libidinis æſtum, contra nutum voluntatis membra moventem, & adversùs ſpiritum pugnantem, verum & proprium peccatum ab Auguſtino cenſeri, niſi cùm voluntas ſe abripi ſinit ad conſentiendum illicitis. Pelagianis ergo oculis, & exulcerato animo, & apud Calvinianos tantùm Interpretes, Libros Auguſtini Phereponus legiſſe videtur.

Sed ut iſtam denique controverſiam expediamus, & uberiùs conſtet, quàm contra omnem rationem hîc Auguſtino Phereponus inſultet: dicimus, verum quidem eſſe, humanam mentem atque rationem ex conſtitutione naturæ habere non poſſe; neque debere ſemper ad nutum ſuum obedientes corporis vires, motus, humores, ſomnum, appetitus, & alia, quæ ad vegetabilem & animalem, & mechanicam membrorum œconomiam pertinent. Naturaliter etiam accidit, ut caro ſua munia exercens, & in delectationes ſibi congruas tendens, adversùs ſpiritum concupiſcat, & ingratos ac perniciosos tum animæ, tum rationi motus eliciat. Poterat & iſtud contingere in ſtatu naturæ puræ, non ex culpa ſapientiſſimi atque optimi Creatoris, ſed ex elementorum compage & diſcordia, atque ex ipſius naturæ creatæ defectu. At certum eſt nobis, aliter inſtitutam fuiſſe à Deo naturam primi hominis, hoc eſt, peculiari divinæ gratiæ prærogativa, & ſupranaturali freno ità contemperatam atque firmatam, ut non ſineretur caro quidquam pugnare, neque doloribus, neque pravis affectibus, adversùs mentem atque rationem, cùm anima pariter & corpus mirabili tunc fruerentur tranquillitate, atque harmoniâ, Peccavêre primi parentes. Tunc ſublatum fuit illud cœleſtis gratiæ frenum, tunc deſiit peculiare illud muneris divini præſidium. Quare in homine ſuis cum naturalibus relicto ſuapte naturâ emersêre tot illi defectus, vitia, & pravi appetitûs tum corporis, tum animæ, quæ ab omnibus Adami poſteris ſentiũtur adhuc, & graviora fiunt, quando ad originale peccatum actualia etiam crimina accedunt. Itaq; per nos etiam liceat Pherepono, tum famem, ſitim, & libidinem, tum alios corporis motus mechanicos, nunc naturæ humanæ & ſpiritui plerumque graves ac infeſtos, appellare ſub ea ratione defectus naturales hominis, quia ab ipſa hominis naturâ ſibi relicta, & non à Deo creata procedunt. Liceat, inquam, ipſi, dummodo is quoque fateatur, aliter è divinis manibus innocentis hominis naturam exiiſſe, hoc eſt, invidendâ felicitate corporis præditam, & forti rationis imperio in inferiorem appetitum donatam; tot

guſtinus non uno in loco de hac re luculentiſſimè conſcripſit, & potiſſimùm Lib. 2. Cap. 10. de Nupt. & Concup. & contra Julian. Lib. 3. 4. 5. de Civ Dei Lib 14. & contra duas Epiſtolas Pelagianorum. Tum verò palam fiet, tantùm abeſſe, ut Auguſtini & Catholicorum ſententia ullam naturæ vim inferat, ut qui inter Chriſtianos ſecùs ſentiat, & ſequi hìc velit ſive Pelagianos, ſive Phereponum, atque Socinum, manifeſtam vim auctoritati divinarum Scripturarum inferre deprehendatur.

CAPUT IV.

Phereponus Pelagii Patronus. Epiſcopi Catholici propter damnatum Pelagium perperam injuſtitiæ accuſati. Liberum arbitrium reverà à Pelagianis inflatum. De qua gratia Dei diſputaretur inter Catholicos atque Pelagium. Poſt Auguſtinum non adoptatæ in Eccleſia Catholica Pelagii Opiniones. Conſectaria quædam dura à Pelagianis, & à Pherepono objecta, minimè admiſſa in Auguſtiniana Sententia de Gratia & libero Arbitrio. Quam gratiam negaret Pelagius. Africani Patres à Semipelagianiſmi nota liberati, & æquitas in eorum judiciis contra Pelagium ac Cæleſtium minimè deſiderata.

JAm Pelagii patrocinium, utì hactenus vidimus, apertâ fronte Phereponus ſuſcepit. Cùm autem pugnam pro deplorato Hæreſiarcha multis aliis in locis, & acriùs etiam quàm anteà, inſtaurare non erubeſcat, res poſcit, ut continuatâ ſerie orationis perpendamus, quidquid ille profert in Pelagianæ Hæreſis tutelam. Epiſtola inter Auguſtinianas 175. olim 90. data eſt ad Innocentium I Pontificem Maximum à Patribus Carthaginenſis Concilii habiti A.C. 416, contra Pelagianos. Multa adversùs illam commentatur Phereponus, odio non minus in Auguſtinum, quàm in Eccleſiæ Catholicæ doctrinam. Quod tamen antequam faciat, veritus ne *quiſquam candorem ſuum calumnietur*, Lectores præmonendos cenſet, *multa eſſe, quæ ſibi in doctrina Pelagii, ejúſq; ſequacium improbentur*, adverſarios tamen ejus non ità ſeſe geſſiſſe, ac ratiocinatos eſſe, ut à ſe poſſint etiam per

omnia probari. Amo candidam hominis confeſſionem, ſed adeò brevem & obſcuram in re tanta non laudo. Vereor ſiquidem, ut apud attentos Lectores candore hujuſmodi ſuo eluere ulla ex parte poſſit ſuſpicionem Pelagianiſmi altè ebibiti, quem tamen ille amovere ſe poſſe fortaſſe cenſuit magnificis hiſce præmiſſis vocibus Certum eſt, cum Pelagio conſentire prorſus Phereponum in inficiando *Originali Peccato*, in *Pædobaptiſmi* neceſſitate, & fœdæ libidinis origine neganda, in notionibus gratiæ homini ad æternam ſalutem neceſſariæ, in liberi arbitrii viribus extollendis, in œconomia Prædeſtinationis, aliíſq. horum dogmatum conſectariis. Quænam tandem reſtant, & quænam adhuc eſſe poſſunt multa illa, quæ in Pelagio Phereponus ſe improbare fatetur, quando præcipua in eo probat, propter quæ pertinacem Hæreticum illum Eccleſia Catholica execrata eſt, atque damnavit? Quem ergo fructum ex hac ſua admodum ingenioſa animorum præoccupatione Phereponus exſpectet, non video, niſi ut perſuadeat, ſe tantummodo in Pelagianis alia multa damnare, quæ ipſi concorditer cum Catholicis credebant.

Sed his dimiſſis, audiamus novam Pelagii Apologiam, immo totius Chriſtiani orbis accuſationem graviſſimam. *Damnatus quidem ille eſt*, inquit Phereponus, pag. 517. *& conviciis exagitatus ab omnibus, etiam quibus ejus dogmata ignota erant, ex quo eſt ab Africanis Epiſcopis infamatus; ſed nulla hominum damnatio efficere poteſt, ut quod verum fuit, falſum fiat, & vice verſâ nullæ hominum laudes ex errore veritatem faciunt.* Poſteaquam abunde à tot Catholicis Scriptoribus, & in hoc etiam Libro, demonſtratum eſt, quantum ab erroris periculo abſit vera Chriſti Eccleſia, ſive in probandis, ſive in improbandis dogmatibus ad fidem ſanctiſſimam ſpectantibus: non eſt, quod nos laboremus in oſtendendo, ſupervacaneum eſſe ad Pelagii defenſionem poſtremum hocce Phereponi axioma. Addit: *Præterea notum eſt, in magnis cœtibus res magnis affectibus dijudicari.* Equidem id notum fateor; ſed illud æquè notum eſt nobis, in Epiſcoporum Catholicorum cœtibus, ritè inſtitutis, atque peractis, divinum adeſſe Spiritum, ejúſque interno afflatu fieri, ne ſacri Paſtores pravis affectibus in tranſverſum acti veritatem Chriſtianæ Doctrinæ diſſimulent, aut perdant. *Nec in re ſatis difficili*, pergit ſcribere Cenſor, *facilè fuit verum à falſo ſecernere omnibus illis Africanis Epiſcopis, quorum nonnulli ne ſcribere quidem potuiſſe dicuntur in Collat. Carthag. C. 133. & doctiſſimi, præter dicendi facultatem, pro modulo illius ævi,*

ævi, quid eximium habuerint, non video. En quî ſuum candorem exprimat Phereponus, prodens quo loco habeat ipſe tot doctiſſimos ac illuſtres Auguſtiniani ævi Patres, inter quos ipſi Auguſtino primas concedere iniquum non fuerit. Quod cùm facit confidentiſſimus homo, neceſſe profectò eſt, ut ſe non judicio minus, quàm eruditione præponat innumeris aliis celeberrimis tot ſubſequentium ſæculorum Theologis, à quibus cùm Aguſtinus, tum Auguſtiniani ævi Patres, ſummo in honore habiti ſunt, & eximiis laudibus ornati. Africanis illis Epiſcopis facilè fuiſſe verum à falſo diſcernere in Pelagii cauſa difficili, ſenſerunt, & ſentiunt Catholici omnes, neque Phereponus ullâ ratione contrarium ſuadet. Et quid ad cauſam Pelagii, ſi unus aut alter Epiſcopus in cauſa Donati ne ſcribendi quidem peritus fuiſſet, quod tamen contigiſſe non ajo? Sicuti nôrunt, qui vel leviter Collationem Carthaginenſem perſpectam habent, res poſcebat, ut vel minus docti Epiſcopi tunc adeſſent numerum facturi. In cauſa Pelagii aliter actum eſt. Non omnium cœtus fuit, ſed eruditiorum; & ſiquidem docti ſimul atque indocti conveniſſent, præſto omnibus fuiſſet ex Chriſti promiſſis Spiritus veritatis, ne errarent. Præterquam, quòd ubi de Traditione colligenda res eſt, vel ipſum vulgus, nedum Epiſcopi, facilè doctrinam veram aſſequi & exponere poſſunt. Et profectò neque Epiſcopi Catholici, neque ipſe populus tunc ignorabat, an omnes homines in Adamo peccâſſent, an parvulorum Baptiſmus neceſſarius foret, & quânam Chriſti gratiâ indigerent homines ad ſalutaria opera exercenda, atque alia ejuſmodi in controverſiam à Pelagio adducta. Phereponus autem poſt hæc ſubjiciens: *Non dicerem hæc, niſi viderem, multitudine, & auctoritate multò magis quàm rationibus pugnari,* nihil aliud dicit, quàm quod quotidie dolor & cœcitas eorum dicit, qui in aliqua cauſa juſtiſſimè damnati fuêre. Innumeris rationibus, quæ adhuc proſtant, pugnatum eſt à Catholicis adversùs Pelagianos. Niſi externos oculos clauſit Phereponus, ne illas legeret, certè clauſit internos, ne intelligeret. Sed ipſum audiamus in aliquas ex his Catholicorum rationibus pro ſuo inſtituto atque odio decertantem.

De Cœleſtio ac Pelagio hæc in laudata ad Innocentium I. Papam Epiſtola Synodica ſcribunt Carthaginenſes Patres: *Id agunt iſti damnabilibus diſputationibus ſuis, ut non defendendo, ſed potiùs in ſuperbiam ſacrilegam extollendo libe-*

liberum arbitrium, nullum relinquant locum Gratiæ Dei, quâ Chriſtiani ſumus. Se non capere inquit Phereponus pag. 517. quî Pelagius & Cœleſtius in ſuperbiam extollerent liberum arbitrium, quando fatebantur Deum humanæ naturæ, omniúmque ejus facultatum Creatorem, adeò ut ei debeant homines quidquid habent boni, & ab eo quaſi ab omnium rerum Domino pendeant; & quando affirmabant, Deum ignoſcere voluiſſe hominibus peccatoribus, & æternam vitam largiri, ſi modò Evangelio parerent, *miſſo ad illos, ex mera gratia, Servatore Jeſu Chriſto, qui gratiam illam Dei adnuntiaret hominibus, eoſque ad officium miſericorditer revocaret*, miraculis etiam additis, quibus fidem ſibi vel apud pertinaces faceret. En quàm jejunè, quàm cautè de Servatore noſtro Phereponus hìc, licèt ex ſententia Pelagianorum, loquatur. Nullum aliud Chriſti miniſterium memorat, quàm Angeli, ſeu Nuntii, & Prophetæ. Quid ipſe hìc ſentiat, neſcio. Certè Pelagianos de Chriſto longè magnificentiùs ſenſiſſe nos facilè oſtendere poſſumus; ſed pergamus. Deinde ait, Pelagium confeſſum fuiſſe internum etiam auxilium à Deo hominibus ſuppeditari, quo eorum animos illuſtret; & regenerationem per Baptiſmum dari; atque à libero arbitrio pendere, ut poſſit rectè uti, aut abuti tot divinis beneficiis. Tandem his verbis orationem ſuam concludit: *Eſt igitur, ex ſententia Pelagii, cur Deo gratias agunt homines, ſed non cur ſibi placeant ac plaudant. Africanæ, aut Punicæ Rhetoricæ exaggeratio fuit, cùm liberum arbitrium in ſacrilegam ſuperbiam extollere dictus eſt.*

At nos reſpondemus, non Punicæ Rhetoricæ exaggerationem fuiſſe illa vocabula, ſed quidem Phereponianæ eloquentiæ floſculos eſſe iſta dicteria, atque hîc Phereponus ſatis prodere aut ignorantiam non mediocrem, aut nimis turbidos affectus. Utique multa divinarum gratiarum genera Pelagius illiúſque gregarii agnoſcebant, eáque magnâ verborum pompâ extollebant, quo imperitis perſuaderetur, ſe quoque fateri, nos omnem bonum Deo optimo ejúſque gratiæ debere. Et iſtas gratias Auguſtinus cæteríſque Catholici agnoſcebant; immo effecêre ipſius Auguſtini & Catholicorum voces, ut Pelagius nullam primò aliam gratiam confeſſus, quàm naturam libero arbitrio præditam, ſenſim & iſtas fateretur. Sed non hìc ſita erat controverſia inter Catholicos, atque Pelagium. Aliam gratiam in primis neceſſariam, aliud illúdque præſtantiſſimum ſuper omnia Donum, & Adjutorium Dei, poſcebant

bant Catholici, ut confiteretur Pelagius, nempe gratiam illam, quam naturæ viribus in nobis efficere non poſſumus; gratiam, quæ in hominum etiam voluntates efficaciter influit, gratiam, quæ intactâ libertate voluntatis poteſt ac ſolet de nolentibus volentes, & de inutiliter volentibus utiliter volentes facere, quæ liberi arbitrii vires nimium infirmas reficit, & caritatem Dei diffundit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ſinè qua liberum hominis arbitrium nullum optat, nullum incipit, nullum perficit opus bonum, ad ſalutem æternam pertinens, quæ demum in nobis, & nobiſcum operatur, quæcumque veram rationem habent placendi ipſius gratiæ auctori ac diſpenſatori Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Externæ dumtaxat gratiæ, exteriora tantummodo auxilia erant, quæ Pelagius commendabat; & ſiquidem internam etiam intellectûs humani illuminationem à Deo fieri is concedebat, certè nullum aliud internum Dei auxilium fatebatur. Illa autem in doctrina, in lege, in miraculis, in ſuaſionibus, in terroribus, aliiſque hujuſmodi, conſtituta auxilia, oſtendunt ſolùm homini, quid faciendum ſit, quid cavendum; non etiam voluntati ad malum pronæ, & debilitato poſt primi parentis peccatum hominis arbitrio vires præbent, ut ſalutare bonum reipſa velit, & faciat, malúmque deteſtetur, ac fugiat. Oportet ergo aliam fateri gratiam, quæ erigat, & adjuvet jacentem infirmámque mortalium voluntatem, eam videlicet inflammando, eique caritatem inſpirando, ut quæ per legem atq; doctrinam facienda, aut vitanda novimus, per ejus interiorem opem exequamur. Hanc autem gratiam nunquam adducti fuêre Pelagiani, ut homini confiterentur neceſſariam.

Nunc ergo à Pherepono petimus, an benè animadverterit, de quali gratia inter Catholicos ac Pelagianos quæſtio verteretur. Quod ſi animadvertit, cur hìc tam cautè diſſimulavit? Nimirum poſt commemorata tot exteriorum gratiarum genera, quæ Pelagius agnoſcebat, ſi commemorata quoque fuiſſet vera Chriſti gratia, quam inficiabantur Pelagiani, continuò intellexiſſent vel imperiti, quàm inſulſum foret illud in Punicam Rhetoricam ſcomma, & quàm ineptè exaggeratio appellaretur facta à Patribus Africanis ſacrilegæ ſuperbiæ mentio. Nam qui audit, contendere Catholicos adversùs Pelagium, nihil poſt Adami lapſum per ſe valere liberum hominis arbitrium ad ſalutaria opera ſalutariter exercenda, ipſúmque indigere inter-

interno Dei adjutorio, quod voluntati virtutem inſpiret, defectúmque ſuppleat naturalis facultatis; qui, inquam, hoc audit, non intelligere extemplò nequit, rectè Catholicos etiam affirmare, liberum arbitrium à Pelagio *in ſacrilegam ſuperbiam extolli.* Si enim verum eſt, quod Catholici ex manifeſta divinarum Scripturarum, & legitimæ Traditionis auctoritate, veriſſimum eſſe demonſtrant, nempe ab hac peculiari, internâ, & efficaci gratiâ cum libero Arbitrio conjuncta, non autem à ſolius liberi Arbitrii & naturæ viribus, aut meritis, juſtificationem, caritatem, atque omnia opera bona, virtutéſque veras emanare: Pelagium verò contra ſentire: non eſt Rhetoricus color, non eſt exaggeratio, ſed naturalis Catholicorum deductio, affirmare, à Pelagio liberum Arbitrium extolli in ſuperbiam, eámque ſacrilegam, quia adversùs Deum.

Sed inquit Phereponus, commemoratis tot divinis gratiis, quas Pelagius libenter fatebatur: *eſt ex Pelagii ſententia, cur Deo gratias agant homines, ſed non cur ſibi placeant, ac plaudant.* Jam obſoleta, jam millies protrita eſt ab Auguſtino hujuſmodi argumentatio. Eadem ingeminabat Pelagius, eadem Julianus. Auguſtinus autem oſtendebat, ne ſic quidem veram Dei gratiam illos fateri, quam tamen ſinè impietate nemo negare poteſt; neque aliud ab ipſis laudari, quàm legem, atque doctrinam, & extrinſeca præſidia ſub tam ſpecioſis gratiarum vocabulis; & inflari per eos liberum Arbitrium, quando ejus viribus id tribuebant, quod gratiæ ab iis negatæ tribuendum eſſe divinæ Literæ clamant. Audi, quid ille Juliano reſpondeat Lib. 3. Cap. 106. Op. Imp. *Tam multa dicis, quibus nos adjuvat Deus, id eſt, præcipiendo, benedicendo, ſanctificando, coercendo, provocando, illuminando, & non dicis caritatem dando, cùm dicat Joannes Apoſtolus:* Caritas ex Deo eſt. *Unde item dicit:* Ecce qualem caritatem dedit nobis Pater ut filii Dei vocemur, & ſimus. *In ſua caritate, quæ cordi humano Spiritu, non Litera datur, etiam poteſtas illa intelligitur, de qua idem ipſe in Evangelio ſuo:* Dedit eis, *inquit,* poteſtatem filios Dei fieri. *Hanc vos ab homine eſſe dicitis per liberum Arbitrium, Spiritum habentes hujus mundi, non eum, qui ex Deo eſt, propter quod neſcitis, quæ à Deo donata ſint nobis,* &c. In eodem etiam Lib. 3. Cap. 122. *Inter divinæ Gratiæ ſpecies, inquit, ſi poneritis dilectionem, quam non ex nobis, ſed ex Deo eſſe, eámque Deum dare filiis ſuis, apertiſſimè legitis, ſinè qua nemo piè vivit, & cum qua nemo niſi piè vivit, ſinè*

qua

qua nullius eſt bona voluntas, & cum qua nullius eſt niſi bona voluntas: verè liberum defenderetis, non inflaretis Arbitrium. Inviᵭiſſima iſtius ſententiæ argumenta paſſim legas in Operibus ſancti Auguſtini, aliorúmque Patrum atque Theologorum.

Poſthæc pœnâ talionis agendum ſibi Phereponus putat; quare etſi nullam ſibi hujuſmodi accuſationis inſtituendæ occaſionem præbuerit iſta Africanorum Patrum Epiſtola, attamen imperterritus ait pag. 518. *Quàm faciliè fuit Pelagio premere contrarias partes invidioſis conſectariis, Deum jubere impoſſibilia, æternis pœnis afficere homines, quòd impoſſibilia non præſtitiſſent, aliiſque id genus, quibus excuſatur planè homo, ac tota culpa in Deum conjicitur?* Non laboret, quæſo, Cenſor iſte novitius in colligendis iſtis aliiſve inanibus Auguſtinianæ doctrinæ conſectariis. Tot ſunt, ac tam luculenta S. Auguſtini loca & verba, quibus ille docet, Deum ſufficientia cunctis hominibus auxilia præbere ad præcepta Legis ſervanda, & impoſſibilia non jubere, & ſolâ hominum culpâ fieri, ſi aut in infidelitate maneatur, aut in peccato ruatur, aut ab iis non aſſurgatur, ut patere omnibus poſſit, tam abſurda conſectaria non ſequi ex Auguſtini ſententia. Quod autem videri poſſit mirum, illud eſt, quod Phereponus adjicit. *Hiſce permota ſæcula ſequentia, in Pelagii opinionem dilapſa ſunt, quam etiam Auguſtino tribuerunt, cui ipſa Pelagii Opuſcula adſcripſerunt: quia non poterant ſibi perſuadere, tantum virum, quantũ eum fuiſſe ex fama putabant, ejuſmodi conſectaria potuiſſe concoquere.* Scitne Phereponus, quid hìc dicat; an amat vir lepidus paſcere fabulis Lectores ſuos? Quænam ſunt ſæcula illa in opinionem Pelagii dilapſa? Nullum eruditi nôrunt. Auguſtini ſententia, quod eſt ad doctrinam gratiæ ſalutaris. Peccati originalis, debilitati Arbitrii, aliarúmque hujuſmodi præcipuarum quæſtionum, ſæculis ſubſecutis ad noſtram uſque ætatem perpetuò in honore fuit, & laudata, & propugnata. Nam quod attinet ad alias quaſdam *profundiores, difficilioreſq; partes incurrentium quæſtionum*, uti appellantur à Cœleſtino I. Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum, ſive ab illo, quicumq; ſit, qui plures definitiones Apoſtolicæ Sedis adversùs Pelagianos congeſſit, liberum hucuſque fuit diſceptare inter Theologos, dum ſibi quiſque caveat à Pelagii, atq; Semipelagianorum fermento. Conſulat Lector recentiores duos Scriptores Catholicos, à quibus quanquã diverſis armis vindicata eſt Auguſtini doctrina à calumniis Joannis Launoii, ſi tamen is eſt germanus Auctor virulentiſſimi illius atque ineptiſſimi Operis contra Sanctum

Au-

Auguſtinum, quo maximè delectatum fuiſſe Phereponum noſtrum arbitror. Quòd ſi nomine ſæculorum ſubſequentium in Pelagii opinionem dilapſorum animus Pherepono fuit ſignificare aut Catholicæ ipſius Eccleſiæ ſententias nunc paſſim in Scholis & Conciliis conſecratas, aut nonnullas tantumodo privatas Catholicorum Scholas, à Calvini atque Janſenii deliramentis, longè quàm reliquas, remotiores; quî tandem oſtendet ille, Pelagianiſmum ab iſtis fuiſſe adoptatum? Id quidem effutiunt à doctrina Auguſtini mirum in modum exorbitantes Calviniani atq; Janſeniani, quibus fortaſſe Auctoribus hanc nobis calumniam Phereponus inſtruxit; ſed quantùm id à veritate abſit, & quàm nulla è damnatis Pelagii opinionibus inter Catholicos toleretur, jam plurima ſcripta prodiderunt.

Quòd autem ait, ſubſecutis ſæculis *ipſa Pelagii Opuſcula* ipſimet ſancto Auguſtino fuiſſe adſcripta, & per hyperbolem dicitur, & nullius planè momenti eſt. Non Opuſcula Pelagii, ſed unum tantummodo, hoc eſt illius Epiſtola ad Demetriadem conſcripta, Auguſtino à quibuſdam, ſed paucis, ſed ineruditis, ſed per ſupinam inconſiderantiam, adſcripta fuit. Inter Auguſtini Epiſtolas eam conſultò deſcripſerant nonnulli nu. 142. quippe quòd illius confutatio in ſubſequente Epiſtola Alypii & Auguſtini ad Julianam Demetriadis matrem legeretur. Quid refert, ſi pauci ex mera oſcitantia illam quoque Epiſtolam pro Auguſtini fœtu acceperint? Num continuò etiam Pelagianum effecêre Auguſtinum? Num ſubſecuta ſæcula dici idcircò poſſunt *Opuſcula Pelagii* adſcripſiſſe Auguſtino? *Adſcripſerunt*, inquit Phereponus, *quia non poterant ſibi perſuadere, tantum virum ejuſmodi conſectaria potuiſſe concoquere.* Eximiam enimverò rationem, cur Auguſtinum poſteri in Pelagii ſententiam debuerint pertrahere. Tot Libris, tantâ vi rationum, & per tot annos Auguſtinus in Pelagianos decertavit; compluribus etiam in locis invidioſa eadem conſectaria, quæ nunc Phereponus, & ante Phereponum Pelagiani objiciebant, à ſua ſententia ipſe removit, & ſibi concoquenda non eſſe demonſtravit. Neceſſe ergo eſt, in illius Libris hoſpites fuerint, qui eum tandem conſenſiſſe Pelagianis (ſi Pherepono fides) ſunt arbitrati. Neq; nos audire pigeat ipſum Auguſtinum ità loquentem in Lib. de Gratia & lib. Arbitrio, Cap. 4. *Homo gratiâ juvatur, ne ſinè cauſa voluntati ejus jubeatur.* Celeberrima autem eſt altera ejus ſententia, quam è Lib. de Natura & Gratia, atque ex aliis Auguſtini Libris deſumptam, Tridentina Synodus Seſſ. 6. Cap. 11. his verbis expreſſit:

Deus

Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Quî ergo dictitat Phereponus, in Auguſtini ſententia *Deum jubere impoſſibilia?* Et quî alia objicit conſectaria, quæ jam ipſe Auguſtinus exploſit? Sed nos repetimus, & ſæpè repetendum erit: in tuenda contra Auguſtinum Pelagii causâ non raró criminationum materies prurientem Phereponum defectura fuiſſet, ſi Auguſtini doctrinam ex Auguſtino ipſo, ejúſque veris diſcipulis, h. e. ex Theologis Catholicis, diſcere voluiſſet, non autem ab infido illius Interprete Calvino, aliíſque perſonatis Calvini ſectatoribus Sed hîc amavit Phereponus credere inviſo ſibi in multis Calvino, ut ſibi ſpecioſus deinde aliquis eſſet color debacchandi in inviſum ſibi aliis de cauſis Auguſtinum.

Pergit idem Cenſor Africanis Patribus inſultare, quorum ſunt hæc verba: *Quâ* (gratiâ) *noſtræ voluntatis arbitrium verè ſit liberum dum à carnalium Concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino:* Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis*: quod auxilium fides impetrat, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Inquit autem, non dubitâſſe Pelagianos, quin divinâ gratiâ homines à peccatis liberarentur, ſi modò eâ rectè uterentur; ſed putâſſe, eâdem gratiâ poſſe homines abuti, ac præterea neminem eſſe uſque adeò mancipatum peccato, ut gratia illa excitari nequeat, ad ſervitutem illam fugiendam Tum ſubdit: *Sed quid ſibi volunt boni Patres Africani, quando addunt,* quod auxilium fides impetrat? *Id enim auxilium,* quod fides impetrat, *non eſt gratia*, quâ ſimus Chriſtiani, *quæ antecedit fidem, non eam ſequitur. Nam quando credidimus, & fide aliquid à Deo impetramus, jam ſumus Chriſtiani. Redolent illa verba Semipelagianiſmum, aut ſimile quidpiam.* Itaque concludit, bonos illos viros nondum ſatis intellexiſſe doctrinam Auguſtini, aut hoc eſſe additamentum, cùm, ut Benedictini adnotant, ea verba deſiderentur in duobus Codicibus Mſſ. Sed ne hîc quidem Cenſor mentem Africanor. Patrum in ea Epiſtola, aut argumentum hoc ſatìs intelligit, multóq; minus ſtudet, ut intelligat. Chartam implere cenſuris, homini cura eſt. Tum nihil penſi, an accuratè, verèque accuſet. Ut autem ad rem veniamus, multa ſunt divinæ gratiæ munia, multa nomina, ut paſſim Theologi animadvertunt. In nonnullis cum Eccleſia Catholica Pelagius conveniebat, diſſentiebat in aliis Potiſſima autem controverſia erat num divina Caritas, quæ tum gratiæ effectus eſt, tum gratia dicitur, imò gratiarum omnium maxima eſt, à viribus nativis liberi arbitrii efflueret, an verò è

ſpeciali & gratuita Dei in voluntatem ſpirantis miſericordiâ Illud Pelagius, hoc affirmabant Catholici. Nimirum ajebat ille, in voluntatis noſtræ arbitrio poſitum eſſe, viribus noſtris concipere, quandocumque lubet, amorem Dei, ſeu caritatem vivificam, Deo ipſo eum amorem, eámq; caritatem nobis pro ſua miſericordia non dante, neq; in voluntatem inſpirante. De hoc impio dogmate primò agunt ea in Epiſtola Africani Patres. Inquiunt autem, eam eſſe Pelagii opinionem, talem videlicet hominis inſtitutam creatámque fuiſſe naturam, quæ legem Dei implere, ſive operari ac perficere juſtitiam, ſine alio interno Dei adjutorio poſſit, quippe ſola ſibi ſufficit in tanto negotio humana natura. Conſequens hinc erat, vel gentes ſinè fide, & ſinè caritate infuſa, amare Deum ſupranaturaliter, & complere utiliter ac piè legis præcepta poſſe, & caritatem à nobis, non à Deo, in nobis gigni. Quæ omnia, quantùm à divina revelatione abhorreant, nemo non ſentit, ſi vera eſt (utì veriſſimam nos eſſe dicimus) Catholicorum ſententia affirmantium, naturam humanam, liberúmque Arbitrium ob primi hominis peccatum nimium eſſe debilitatum, & ex ſe ſolo non poſſe, ut ad ſalutem oportet, credere, peccatum abjicere, ac fugere, virtutes, ac præſertim Caritatem induere, atque alia ejuſmodi facere, niſi Deus ſuâ gratiâ, & ſingulari potentiæ ſuæ operatione ſupranaturales vires eidem largiatur, & voluntati caritatem donet, quæ, ut diximus, præcipua eſt gratia Dei, de qua cum Pelagianis lis erat. Hinc Auguſtinus in Lib. de Gratia Chriſti Cap. 13. exigit ab iis, ut gratiam confiteantur, quæ *non oſtendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat caritatem.* Tum Lib 3 c. 114. Op. Imperf. *Hoc eſt,* ait, *incrementum, ut unuſquiſque obediat præceptis Dei, quod non fit, quando verè fit, niſi caritate. Iſtam caritatem non dat niſi Deus. Caritas enim ex Deo eſt. Hanc vos* (Pelagiani) *inter adjutoria gratiæ, quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipſum, quod obedimus Deo, ejus eſſe gratiæ concedatis, &c.* Idem ſæpè Auguſtinus inculcat aliis in locis.

De hac igitur gratia, de iſtius caritatis, quæ à Deo eſt, neceſſitate ad ſervanda legis mandata, atque ad amandum ipſum Deum, præcipuè agunt in ea Epiſtola Africani Patres. Hac ajunt nos verè *Chriſtianos eſſe*; *hac teſtantur ipſum noſtræ voluntatis Arbitrium verè fieri liberum à carnalium concupiſcentiarum dominatione*; nam tunc verè liberi ſumus à peccati jugo, & ab effectibus peccati, & aptiſſimi atque expediti efficimur ad divinam legem implendam, ſi Filius nos liberaverit

raverit per gratiam Dei, non autem ſi arbitrium noſtrum per vires ſuas liberaverit nos, ut falsò fieri poſſe arbitrabatur Pelagius. Idcirco fruſtra animadvertit Phereponus, Pelagianos admiſiſſe remiſſionem peccatorum, ſive *divinam gratiam, quâ homines à peccatis liberarentur, ſi modò eâ rectè uterentur.* An Deus ſuâ gratiâ peccata hominibus ignoſceret, tunc non diſputabatur inter Catholicos, atque Pelagium, ſed quidem an gratia iſta hominem juſtificaret ſolâ remiſſione peccatorum, an etiam caritatem inferret in hominum voluntates, per quam poſteà opera pietatis præſtarentur. Iſtam caritatis infuſionem confiteri nolebant Pelagiani à Deo eſſe, ſed quidem à nobis ipſis. Audi Auguſtinum Lib.6.c.23.contra Julianum. *Verùm, inquit, tu à veſtro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & deſideria carnalia vincenda, diffundendo caritatem in cordibus noſtris.* Vide eumdem Lib. de Natura & Gratia Cap.34. & Cap 55. Hoc idem indicant ipſi Africani Patres Can. 5. Concilii Carthagine habiti A. 418. utì etiam in Epiſtola 95.nunc 177. inter Auguſtinianas ad Innocentium eumdem Romanum Pontificem. Ipſe Auguſtinus alibi, hoc eſt Lib. de Gratia & libero Arbitrio c. 18. ad hoc unum videtur totam controverſiam deducere, inquiens: *Unde eſt in hominibus caritas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Lege reliqua. Huc igitur Africani Patres reſpiciunt, & nihil ad rem facit Phereponi animadverſio monentis, cenſuiſſe Pelagianos per gratiam divinam homines à peccatis liberari, atque eadem gratiâ poſſe abuti. Multò minus locum hìc habet altera illa conſideratio, quâ Semipelagianiſmum iis Patribus confidenter objicit propter illa verba: *Quòd auxilium fides impetrat.* Nam inquit, *auxilium illud, quod fides impetrat, non eſt gratia, quâ ſimus Chriſtiani, quæ antecedit fidem, non eam ſequitur; quando enim credimus, & fide aliquid à Deo impetramus, jam ſumus Chriſtiani.* Nihil minus cogitârunt hic Africani Patres, quàm quod Phereponus ſomniat, hoc eſt; initium fidei, atque ipſam fidem ex naturæ viribus, non ex Dei dono, eſſe poſſe in hominibus. Auxilium illud, quod fides impetrat, nil aliud eſt Africanis Patrib. quàm caritas, de qua cùm Pelagio diſputabatur. Hanc habere ſinè fide in Chriſtum nemo poteſt; hanc ipſa fides juſtificans in hominis voluntatẽ invehit. Expreſſit alibi Auguſtinus eandem ſententiam in Lib. de Spiritu & Litera Cap.32. quo tempore certè à Semi-

bant Catholici, ut confiteretur Pelagius, nempe gratiam illam, quam naturæ viribus in nobis efficere non poſſumus; gratiam, quæ in hominum etiam voluntates efficaciter influit, gratiam, quæ intactâ libertate voluntatis poteſt ac ſolet de nolentibus volentes, & de inutiliter volentibus utiliter volentes facere, quæ liberi arbitrii vires nimium infirmas reficit, & caritatem Dei diffundit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ſinè qua liberum hominis arbitrium nullum optat, nullum incipit, nullum perficit opus bonum, ad ſalutem æternam pertinens, quæ demum in nobis, & nobiſcum operatur, quæcumque veram rationem habent placendi ipſius gratiæ auctori ac diſpenſatori Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Externæ dumtaxat gratiæ, exteriora tantummodo auxilia erant, quæ Pelagius commendabat; & ſiquidem internam etiam intellectûs humani illuminationem à Deo fieri is concedebat, certè nullum aliud internum Dei auxilium fatebatur. Illa autem in doctrina, in lege, in miraculis, in ſuaſionibus, in terroribus, aliiſque hujuſmodi, conſtituta auxilia, oſtendunt ſolùm homini, quid faciendum ſit, quid cavendum; non etiam voluntati ad malum pronæ, & debilitato poſt primi parentis peccatum hominis arbitrio vires præbent, ut ſalutare bonum reipſa velit, & faciat, malúmque deteſtetur, ac fugiat. Oportet ergo aliam fateri gratiam, quæ erigat, & adjuvet jacentem infirmámque mortalium voluntatem, eam videlicet inflammando, eique caritatem inſpirando, ut quæ per legem atq; doctrinam facienda, aut vitanda novimus, per ejus interiorem opem exequamur. Hanc autem gratiam nunquam adducti fuêre Pelagiani, ut homini confiterentur neceſſariam.

Nunc ergo à Pherepono petimus, an benè animadvertetit, de quali gratia inter Catholicos ac Pelagianos quæſtio verteretur. Quod ſi animadvertit, cur hìc tam cautè diſſimulavit? Nimirum poſt commemorata tot exteriorum gratiarum genera, quæ Pelagius agnoſcebat, ſi commemorata quoque fuiſſet vera Chriſti gratia, quam inficiabantur Pelagiani, continuò intellexiſſent vel imperiti, quàm inſulſum foret illud in Punicam Rhetoricam ſcomma, & quàm ineptè exaggeratio appellaretur facta à Patribus Africanis ſacrilegæ ſuperbiæ mentio. Nam qui audit, contendere Catholicos adversùs Pelagium, nihil poſt Adami lapſum per ſe valere liberum hominis arbitrium ad ſalutaria opera ſalutariter exercenda, ipſúmque indigere inter-

interno Dei adjutorio, quod voluntati virtutem inſpiret, defectúmque ſuppleat naturalis facultatis; qui, inquam, hoc audit, non intelligere extemplò nequit, rectè Catholicos etiam affirmare, liberum arbitrium à Pelagio *in ſacrilegam ſuperbiam extolli*. Si enim verum eſt, quod Catholici ex manifeſta divinarum Scripturarum, & legitimæ Traditionis auctoritate, veriſſimum eſſe demonſtrant, nempe ab hac peculiari, internâ, & efficaci gratiâ cum libero Arbitrio conjuncta, non autem à ſolius liberi Arbitrii & naturæ viribus, aut meritis, juſtificationem, caritatem, atque omnia opera bona, virtutéſque veras emanare: Pelagium verò contra ſentire: non eſt Rhetoricus color, non eſt exaggeratio, ſed naturalis Catholicorum deductio, affirmare, à Pelagio liberum Arbitrium extolli in ſuperbiam, eámque ſacrilegam, quia adversùs Deum.

Sed inquit Phereponus, commemoratis tot divinis gratiis, quas Pelagius libenter fatebatur: *eſt ex Pelagii ſententia, cur Deo gratias agant homines, ſed non cur ſibi placeant, ac plaudant.* Jam obſoleta, jam millies protrita eſt ab Auguſtino hujuſmodi argumentatio. Eadem ingeminabat Pelagius, eadem Julianus. Auguſtinus autem oſtendebat, ne ſic quidem veram Dei gratiam illos fateri, quam tamen ſinè impietate nemo negare poteſt; neque aliud ab ipſis laudari, quàm legem, atque doctrinam, & extrinſeca præſidia ſub tam ſpecioſis gratiarum vocabulis; & inflari per eos liberum Arbitrium, quando ejus viribus id tribuebant, quod gratiæ ab iis negatæ tribuendum eſſe divinæ Literæ clamant. Audi, quid ille Juliano reſpondeat Lib. 3. Cap. 106. Op. Imp. *Tam multa dicis, quibus nos adjuvat Deus, id eſt, præcipiendo, benedicendo, ſanctificando, coercendo, provocando, illuminando, & non dicis caritatem dando, cùm dicat Joannes Apoſtolus:* Caritas ex Deo eſt. *Unde item dicit:* Ecce qualem caritatem dedit nobis Pater ut filii Dei vocemur, & ſimus. *In hac caritate, quæ cordi humano Spiritu, non Litera datur, etiam poteſtas illa intelligitur, de qua idem ipſe in Evangelio ſuo:* Dedit eis, *inquit,* poteſtatem filios Dei fieri. *Hanc vos ab homine eſſe dicitis per liberum Arbitrium, Spiritum habentes hujus mundi, non eum, qui ex Deo eſt, propter quod neſcitis, quæ à Deo donata ſint nobis*, &c. In eodem etiam Lib. 3. Cap. 122. *Inter divinæ Gratiæ ſpecies*, inquit, *ſi poneritis dilectionem, quam non ex nobis, ſed ex Deo eſſe, eámque Deum dare filiis ſuis. apertiſſimè legitis, ſinè qua nemo piè vivit, & cum qua nemo niſi piè vivit, ſinè*

qua

qua nullius eſt bona voluntas, & cum qua nullius eſt niſi bona voluntas: verè liberum defenderetis, non inflaretis Arbitrium. Inviſtiſſima iſtius ſententiæ argumenta paſſim legas in Operibus ſancti Auguſtini, aliorúmque Patrum atque Theologorum.

Poſthæc pœnâ talionis agendum ſibi Phereponus putat; quare etſi nullam ſibi hujuſmodi accuſationis inſtituendæ occaſionem præbuerit iſta Africanorum Patrum Epiſtola, attamen imperterritus ait pag. 518. *Quàm facilè fuit Pelagio premere contrarias partes invidioſis conſectariis, Deum jubere impoſſibilia, æternis pœnis afficere homines, quòd impoſſibilia non præſtitiſſent, aliíſque id genus, quibus excuſatur planè homo, ac tota culpa in Deum conjicitur?* Non laboret, quæſo, Cenſor iſte novitius in colligendis iſtis aliíſve inanibus Auguſtinianæ doctrinæ conſectariis. Tot ſunt, ac tam luculenta S. Auguſtini loca & verba, quibus ille docet, Deum ſufficientia cunctis hominibus auxilia præbere ad præcepta Legis ſervanda, & impoſſibilia non jubere, & ſolâ hominum culpâ fieri, ſi aut in infidelitate maneatur, aut in peccato ruatur, aut ab iis non aſſurgatur, ut patere omnibus poſſit, tam abſurda conſectaria non ſequi ex Auguſtini ſententia. Quod autem videri poſſit mirum, illud eſt, quod Phereponus adjicit. *Hiſce permota ſæcula ſequentia, in Pelagii opinionem dilapſa ſunt, quam etiam Auguſtino tribuerunt, cui ipſa Pelagii Opuſcula adſcripſerunt: quia non poterant ſibi perſuadere, tantum virum, quantū eum fuiſſe ex fama putabant, ejuſmodi conſectaria potuiſſe concoquere.* Scitne Phereponus, quid hìc dicat; an amat vir lepidus paſcere fabulis Lectores ſuos? Quænam ſunt ſæcula illa in opinionem Pelagii dilapſa? Nullum eruditi nôrunt. Auguſtini ſententia, quod eſt ad doctrinam gratiæ ſalutaris. Peccati originalis, debilitati Arbitrii, aliarúmque hujuſmodi præcipuarum quæſtionum, ſæculis ſubſecutis ad noſtram uſque ætatem perpetuò in honore fuit, & laudata, & propugnata. Nam quod attinet ad alias quaſdam *profundiores, difficilioreſq; partes incurrentium quæſtionum*, utì appellantur à Cœleſtino I. Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum, ſive ab illo, quicumq; ſit, qui plures definitiones Apoſtolicæ Sedis adversùs Pelagianos congeſſit, liberum hucuſque fuit diſceptare inter Theologos, dum ſibi quiſque caveat à Pelagii, atq; Semipelagianorum fermento. Conſulat Lector recentiores duos Scriptores Catholicos, à quibus quanquã diverſis armis vindicata eſt Auguſtini doctrina à calumniis Joannis Launoii, ſi tamen is eſt germanus Auctor virulentiſſimi illius atque ineptiſſimi Operis contra Sanctum

Au-

Auguſtinum, quo maximè delectatum fuiſſe Phereponum noſtrum arbitror. Quòd ſi nomine ſæculorum ſubſequentium in Pelagii opinionem dilapſorum animus Pherepono fuit ſignificare aut Catholicæ ipſius Eccleſiæ ſententias nunc paſſim in Scholis & Conciliis conſecratas, aut nonnullas tantumodo privatas Catholicorum Scholas, à Calvini atque Janſenii deliramentis, longè quàm reliquas, remotiores: quî tandem oſtendet ille, Pelagianiſmum ab iſtis fuiſſe adoptatum? Id quidem effutiunt à doctrina Auguſtini mirum in modum exorbitantes Calviniani atq; Janſeniani, quibus fortaſſe Auctoribus hanc nobis calumniam Phereponus inſtruxit; ſed quantùm id à veritate abſit, & quàm nulla è damnatis Pelagii opinionibus inter Catholicos toleretur, jam plurima ſcripta prodiderunt.

Quòd autem ait, ſubſecutis ſæculis *ipſa Pelagii Opuſcula* ipſimet ſancto Auguſtino fuiſſe adſcripta, & per hyperbolem dicitur, & nullius planè momenti eſt Non Opuſcula Pelagii, ſed unum tantummodo, hoc eſt illius Epiſtola ad Demetriadem conſcripta, Auguſtino à quibuſdam, ſed paucis, ſed ineruditis, ſed per ſupinam inconſiderantiam, adſcripta fuit. Inter Auguſtini Epiſtolas eam conſultò deſcripſerant nonnulli nu. 142. quippe quòd illius confutatio in ſubſequente Epiſtola Alypii & Auguſtini ad Julianam Demetriadis matrem legeretur. Quid refert, ſi pauci ex mera oſcitantia illam quoque Epiſtolam pro Auguſtini fœtu acceperint? Num continuò etiam Pelagianum effecêre Auguſtinum? Num ſubſecuta ſæcula dici idcircò poſſunt *Opuſcula Pelagii* adſcripſiſſe Auguſtino? *Adſcripſerunt*, inquit Phereponus, *quia non poterant ſibi perſuadere, tantum virum ejuſmodi conſectaria potuiſſe concoquere.* Eximiam enimverò rationem, cur Auguſtinum poſteri in Pelagii ſententiam debuerint pertrahere. Tot Libris, tantâ vi rationum, & per tot annos Auguſtinus in Pelagianos decertavit; compluribus etiam in locis invidioſa eadem conſectaria, quæ nunc Phereponus, & ante Phereponum Pelagiani objiciebant, à ſua ſententia ipſe removit, & ſibi concoquenda non eſſe demonſtravit. Neceſſe ergo eſt, in illius Libris hoſpites fuerint, qui eum tandem conſenſiſſe Pelagianis (ſi Pherepono fides) ſunt arbitrati Neq; nos audire pigeat ipſum Auguſtinum ità loquentem in Lib. de Gratia & lib. Arbitrio, Cap. 4. *Homo gratiâ juvatur, ne ſinè cauſa voluntati ejus jubeatur.* Celeberrima autem eſt altera ejus ſententia, quam è Lib. de Natura & Gratia, atque ex aliis Auguſtini Libris deſumptam, Tridentina Synodus Seſſ. 6. Cap. 11. his verbis expreſſit: *Deus*

Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſ-ſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Quî ergo dictitat Phereponus, in Auguſtini ſententia *Deum jubere impoſſibilia?* Et quî alia objicit conſectaria, quæ jam ipſe Auguſtinus exploſit? Sed nos repetimus, & ſæpè repetendum erit: in tuenda contra Auguſtinum Pelagii cauſâ non rarò criminationum materies prurientem Phereponum defectura fuiſſet, ſi Auguſtini doctrinam ex Auguſtino ipſo, ejúſque veris diſcipulis, h. e. ex Theologis Catholicis, diſcere voluiſſet, non autem ab infido illius Interprete Calvino, aliíſque perſonatis Calvini ſectatoribus Sed hic amavit Phereponus credere inviſo ſibi in multis Calvino, ut ſibi ſpecioſus deinde aliquis eſſet color debacchandi in inviſum ſibi aliis de cauſis Auguſtinum.

Pergit idem Cenſor Africanis Patribus inſultare, quorum ſunt hæc verba: *Quâ* (gratiâ) *noſtræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium Concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino:* Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: *quod auxilium fides impetrat, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Inquit autem, non dubitâſſe Pelagianos, quin divinâ gratiâ homines à peccatis liberarentur, ſi modò eâ rectè uterentur; ſed putâſſe, eâdem gratiâ poſſe homines abuti, ac præterea neminem eſſe uſque adeò mancipatum peccato, ut gratia illa excitari nequeat, ad ſervitutem illam fugiendam Tum ſubdit: *Sed quid ſibi volunt boni Patres Africani, quando addunt,* quod auxilium fides impetrat? *Id enim auxilium,* quod fides impetrat, *non eſt gratia*, quâ ſimus Chriſtiani, *quæ antecedit fidem, non eam ſequitur. Nam quando credidimus, & fide aliquid à Deo impetramus, jam ſumus Chriſtiani. Redolent illa verba Semipelagianiſmum, aut ſimile quidpiam.* Itaque concludit, bonos illos viros nondum ſatìs intellexiſſe doctrinam Auguſtini, aut hoc eſſe additamentum, cùm, ut Benedictini adnotant, ea verba deſiderentur in duobus Codicibus Mſſ. Sed ne hìc quidem Cenſor mentem Africanor. Patrum in ea Epiſtola, aut argumentum hoc ſatìs intelligit, multóq; minus ſtudet, ut intelligat. Chartam implere cenſuris, homini cura eſt. Tum nihil penſi, an accuratè, verèque accuſet. Ut autem ad rem veniamus, multa ſunt divinæ gratiæ munia, multa nomina, ut paſſim Theologi animadvertunt. In nonnullis cum Eccleſia Catholica Pelagius conveniebat, diſſentiebat in aliis Potiſſima autem controverſia erat, num divina Caritas, quæ tum gratiæ effectus eſt, tum gratia dicitur, imò gratiarum omnium maxima eſt, à viribus nativis liberi arbitrii efflueret, an verò è

ſpeciali & gratuita Dei in voluntatem ſpirantis miſericordiâ Illud Pelagius,hoc affirmabant Catholici. Nimirum ajebat ille, in voluntatis noſtræ arbitrio poſitum eſſe, viribus noſtris concipere,quandocumque lubet,amorem Dei, ſeu caritatem vivificam,Deo ipſo eum amorem, eámq; caritatem nobis pro ſua miſericordia non dante, neq; in voluntatem inſpirante. De hoc impio dogmate primò agunt ea in Epiſtola Africani Patres.Inquiunt autem,eam eſſe Pelagii opinionem,talem videlicet hominis inſtitutam creatámque fuiſſe naturam, quæ legem Dei implere, ſive operari ac perficere juſtitiam, ſine alio interno Dei adjutorio poſſit,quippe ſola ſibi ſufficit in tanto negotio humana natura. Conſequens hinc erat, vel gentes ſinè fide, & ſinè caritate infuſa, amare Deum ſupranaturaliter, & complere utiliter ac piè legis præcepta poſſe,&caritatem à nobis,non à Deo, in nobis gigni. Quæ omnia, quantùm à divina revelatione abhorreant, nemo non ſentit, ſi vera eſt (uti veriſſimam nos eſſe dicimus) Catholicorum ſententia affirmantium, naturam humanam, liberúmque Arbitrium ob primi hominis peccatum nimium eſſe debilitatum, & ex ſe ſolo non poſſe,ut ad ſalutem oportet,credere, peccatum abjicere,ac fugere, virtutes, ac præſertim Caritatem induere, atque alia ejuſmodi facere, niſi Deus ſuâ gratiâ, & ſingulari potentiæ ſuæ operatione ſupranaturales vires eidem largiatur,& voluntati caritatem donet, quæ, ut diximus,præcipua eſt gratia Dei,de qua cum Pelagianis lis erat. Hinc Auguſtinus in Lib. de Gratia Chriſti Cap. 13. exigit ab iis,ut gratiam confiteantur, quæ *non oſtendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat caritatem.* Tum Lib 3 c. 114. Op. Imperf. *Hoc eſt*, ait, *incrementum, ut unuſquiſque obediat præceptis Dei, quod non fit, quando verè fit, niſi caritate. Iſtam caritatem non dat niſi Deus.Caritas enim ex Deo eſt. Hanc vos* (Pelagiani) *inter adjutoria gratiæ, quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipſum, quod obedimus Deo, ejus eſſe gratiæ concedatis, &c.* Idem ſæpè Auguſtinus inculcat aliis in locis.

De hac igitur gratia, de iſtius caritatis,quæ à Deo eſt,neceſſitate ad ſervanda legis mandata, atque ad amandum ipſum Deum, præcipuè agunt in ea Epiſtola Africani Patres. Hac ajunt nos verè *Chriſtianos eſſe*; *hac teſtantur ipſum noſtræ voluntatis Arbitrium verè fieri liberum à carnalium concupiſcentiarum dominatione*; nam tunc verè liberi ſumus à peccati jugo,&ab effectibus peccati,&aptiſſimi atque expediti efficimur ad divinam legem implendam, ſi Filius nos liberaverit

raverit per gratiam Dei, non autem ſi arbitrium noſtrum per vires ſuas liberaverit nos, ut falsò fieri poſſe arbitrabatur Pelagius. Idcirco fruſtra animadvertit Phereponus, Pelagianos admiſiſſe remiſſionem peccatorum, ſive *divinam gratiam, quâ homines à peccatis liberarentur, ſi modò eâ rectè uterentur.* An Deus ſuâ gratiâ peccata hominibus ignoſceret, tunc non diſputabatur inter Catholicos, atque Pelagium, ſed quidem an gratia iſta hominem juſtificaret ſolâ remiſſione peccatorum, an etiam caritatem inferret in hominum voluntates, per quam poſteà opera pietatis præſtarentur. Iſtam caritatis infuſionem confiteri nolebant Pelagiani à Deo eſſe, ſed quidem à nobis ipſis. Audi Auguſtinum Lib.6.c.23.contra Julianum. *Verùm,* inquit, *tu à veſtro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & deſideria carnalia vincenda, diffundendo caritatem in cordibus noſtris.* Vide eumdem Lib. de Natura & Gratia Cap.34. & Cap 55. Hoc idem indicant ipſi Africani Patres Can. 5. Concilii Carthagine habiti A. 418. utì etiam in Epiſtola 95.nunc 177. inter Auguſtinianas ad Innocentium eumdem Romanum Pontificem. Ipſe Auguſtinus alibi, hoc eſt Lib. de Gratia & libero Arbitrio c. 18. ad hoc unum videtur totam controverſiam deducere, inquiens: *Unde eſt in hominibus caritas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Lege reliqua. Huc igitur Africani Patres reſpiciunt, & nihil ad rem facit Phereponi animadverſio monentis, cenſuiſſe Pelagianos per gratiam divinam homines à peccatis liberari, atque eadem gratiâ poſſe abuti. Multò minus locum hìc habet altera illa conſideratio, quâ Semipelagianiſmum iis Patribus confidenter objicit propter illa verba: *Quòd auxilium fides impetrat.* Nam inquit, *auxilium illud, quod fides impetrat, non eſt gratia, quâ ſimus Chriſtiani, quæ antecedit fidem, non eam ſequitur; quando enim credimus, & fide aliquid à Deo impetramus, jam ſumus Chriſtiani.* Nihil minus cogitârunt hic Africani Patres, quàm quod Phereponus ſomniat, hoc eſt, initium fidei, atque ipſam fidem ex naturæ viribus, non ex Dei dono, eſſe poſſe in hominibus. Auxilium illud, quod fides impetrat, nil aliud eſt Africanis Patrib. quàm caritas, de qua cùm Pelagio diſputabatur. Hanc habere ſinè fide in Chriſtum nemo poteſt; hanc ipſa fides juſtificans in hominis voluntatẽ invehit. Expreſſit alibi Auguſtinus eandem ſententiam in Lib. de Spiritu & Litera Cap.32. quo tempore certè à Semi-

 pela-

pelagianorum opinione is aberat, ſuámq; doctrinam ſatis intelligebat. *Unde*, inquit, *eſt dilectio, id eſt caritas, per quam fides operatur, niſi unde illam fides ipſa impetravit?* Idem prodit in Epiſt. 106. nunc 186. c. 3. *Sin autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, quâ impetrent caritatem, quæ ſola verè benè operetur, &c. Qui ergo habent fidem, quâ impetrent juſtificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem juſtitiæ.* In Lib. etiam de Prædeſt. Sanctor. Cap. 7. *Ex fide*, inquit, *ideo Apoſtolus dicit iuſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera.* Inquiunt ergo Africani Patres, gratiam iſtam, videlicet caritatem, eam eſſe, quâ Chriſtiani ſumus, quia gratiam hanc ſoli Chriſtiani & nôrunt, & habere poſſunt, quia ſolâ fide præcedente cognoſci & recipi poteſt, eam diffundente Spiritu ſancto in cordibus noſtris. Iſta caritas, iſta ſolius hominis Chriſtiani propria gratia, ea eſt, quæ facit, ut non ſolùm nominemur, ſed & ſimus Chriſtiani; nam *ſi habuero omnem fidem*, ut inquit Apoſt. 1. ad Cor. XIII. *ità ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.* Eodem anno 416. quo à Patrib. Carthaginenſibus ad Innocentium I. ea Epiſtola conſcripta fuit, alteram ad eumdem Pontificem dedêre, quæ inter Auguſtinianas, olim 95. nunc eſt 177. Aurelius Carthaginenſis, Alypius, Auguſtinus, Evodius, & Poſſidius. Eorum verba ſunt: *Si intellexiſſent Epiſcopi* (Dioſpolitanæ Synodi) *eam illum* (Pelagium) *dicere gratiam, quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines ſumus; negare verò eam, quâ Chriſtiani & Filii Dei ſumus: quis eum patienter Catholicorum Sacerdotum, non dicimus, audiret, ſed ante oculos ſuos ferret?* Quænam autem erat gratia, quam verſipellis Pelagius reverà negabat, & ut ipſe fateretur, inſtabant Epiſcopi Afri? *Sinè dubio gratia, quâ juſtificamur ab iniquitate, & quâ ſalvamur ab infirmitate, non quâ creati ſumus cum propria voluntate*; ità illi. Quibus verbis fidem cum caritate conjunctam, fidem, quæ per dilectionem operatur, utramque Dei donum, intelligunt Africani Patres. Igitur conſtare jam poteſt, quàm inani cenſurâ Phereponus laudata illa Patrum Carthaginenſium verba ſolicitârit, & Semipelagianiſmi incuſârit: quod etiam ut faceret, neceſſe habuit ipſa pervertere verba, ſcribens, non ut Epiſcopi poſuerunt, *gratia, quâ Chriſtiani ſumus*, ſed gratia, *quâ ſimus Chriſtiani*, inter quæ quale diſcrimen intercedat, facilè Lector intelligit.

Ægrè deinde fert æquiſſimus iſte Cenſor, Africanos Epiſcopos tam acerbas in Cœleſtium abſentem dixiſſe ſententias,

tentias, recitatis dumtaxat accuſatorum Literis & minimè lectis ejus Libris. Reſpicit hæc cenſura eum Epiſtolæ Synodicæ 175 aliàs 90. locum, ubi de Cœleſtio & Pelagio Epiſcopi illi ſcribunt: *Iſti autem adſerunt, ſicut à fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, &c.* Sed ſatis eſt ipſam legere Synodicam, ut ſtatim evaneſcat Phereponi cenſura. Cœleſtium in Synodo quinqueñio ante habita auditum, convictum, & confeſſum, anathemate percuſſerant Africani Patres, duraturo, donec apertè ſibi objecta & ipſe execraretur. Sed interpoſitâ in ſpeciem appellatione ad Apoſtolicam Sedem, judicium illud vaferrimus Hæreſiarcha declinârat. Conſtat præterea, ipſum minimè proſecutum fuiſſe appellationem; júſq; fuiſſe Patribus Africanis rurſus adversùs illum etiam inauditum dicere ſententiam. Et quidem, quæ in ea Synodo peracta fuerant, ſe recenſuiſſe, & præ oculis habuiſſe, monent iidem Epiſcopi in Synodica ad Innocentium. Nihilo tamen ſecius animadvertere, Epiſcopos illos dum ad eundem Innocentium ſcribunt, anathema dicere in Pelagium atque Cœleſtium ſub ea tantùm conditione, ſi videlicet iſti in perverſa illa opinione perſiſterent. Qua in re vides, Africanos Patres perſonis Pelagii atque Cœleſtii parcere, eorúmq; tantum̃odo doctrinam anathemate configere. *Cenſuimus*, inquiunt, *hujuſmodi perſuaſionis auctores, niſi hæc apertiſſimè anathematizaverint, ipſos anathematizari oportere.* Addunt infrà: *Si ergo Pelagius Epiſcopalibus geſtis, quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ venerationi juſtè viſus fuerit abſolutus, error tamen ipſe & impietas etiam auctoritate Apoſtolicæ Sedis anathematizanda eſt.* Animadverte etiam, quæ infrà leguntur: *Etiamſi Pelagius Cœleſtiúſq; correcti ſunt, vel ſe iſta nunquam ſenſiſſe dicunt, & quæcumque ſcripta contra eos prolata fuerint, ſua eſſe negant, nec eſt quemadmodum de mendacio convincantur: generaliter tamen quicumque dogmatizat, & affirmat &c. anathema ſit.* Ubinam ergo ſunt *acerbæ* illæ *ſententiæ in Cœleſtium abſentem* dictæ ab Africanis Patribus, quas nobis Phereponus obtrudit? Quæ juſta cauſa de tam circumſpecto judicio expoſtulandi? Recenſitâ priore Synodo Carthaginenſi, auditis accuſatoribus, nihilominus affirmare nolunt, Pelagium atq; Cœleſtium execrandis iis adhærere opinionibus. Sola ipſis adſcripta abominanda dogmata anathemate feriuntur: quo quid æquius & mitius agi poſſet, nemo qui ſit juris Eccleſiaſtici atque naturalis peritus, non videat. Quamobrem nihil opus fuit eorum Libros legere. Altera Synodus à quinque Epiſcopis Carthagine habita, itidémque Milevitana,

tana, ambæ eodem Anno 416. celebratæ, non aliter ſe geſ-ſêre erga Hæreſiarchas eoſdem.

Cùm deinde in Synodica illa 175. aliàs 90. Patres Carthaginenſes dicant, Pelagium & Cœleſtium, utì nuntiatum fuerat, affirmare, *in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis inſtituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſit implere, Eamdem quoque legem ad gratiam Dei pertinere, quod illam in adjutorium hominibus dedit*: Phereponus ſe non capere fatetur, cur ſpretim de creatione & lege loquantur Africani Patres; hæc enim ſunt longè maxima Dei beneficia. Id autem factum ſuſpicatur, quòd unicam illi gratiam Dei arbitrarentur afflatum neſcio quem, cui reſiſtere non licet, iiſque pauculis concedendum. Quæ hìc habet Phereponus, quarto quoque verbo infrà etiam repetet, de afflatu illo, cui reſiſtere non licet. At aliam eſſe cum Auguſtini, tum Catholicæ Eccleſiæ ſententiam, jam innumeri è Scriptoribus noſtris contra Calviniſtas & Janſenianos demonſtrârunt. Actum agerem, ſi id in præſentia & ego demonſtrandum ſuſciperem. Paratragœdiatur verò Phereponus, & ſe nolle Carthaginenſium Patrum mentem intelligere oſtendit, dum ait, illos contemptim de creatione & lege loqui. Ubinam ſunt illorum verba, quæ contemptum redoleant? Hoc unum ſuâ illâ oratione contendunt Africani Epiſcopi, creationem naturæ, & Legem, non eſſe gratiam illam, quâ Chriſtiani ſumus, quâ ab infidelibus & peccatoribus diſtinguimur, quâ voluntatis arbitrium verè juvatur, ut Deo placeat, æternamque ſalutem adipiſcamur. Non in lege, non in naturæ viribus, ſed in interno adjutorio Dei caritatem ſuam voluntati inſpirantis, ſitam eſſe propriam Chriſtianorum gratiam ajunt. Quod dum affirmant, quis meritò exculpere ex eorum verbis poteſt, eos naturam & legem non agnoviſſe, tanquam Dei beneficia? Sunt beneficia, Chriſtianis æquè & non Chriſtianis, juſtis & injuſtis communia; ſed ejus non ſunt vigoris, ut ſola, hoc eſt ſinè vera Dei per Chriſtum gratia, ad opera pietatis exercenda, & ad beatam immortalitatem perducere hominem poſſint. Legem *ſine dubitatione laudandam* affirmat alibi non ſemel Auguſtinus, & tamen quàm parum illa ſola poſſit, contra Pelagianos eamdem nimis extollentes, ex auctoritate Apoſtoli invictiſſimè oſtendit. Vide Noriſium in Vindiciis Auguſtin. § 6. In Epiſtola quoque 95. nunc 177. hoc eodem Anno 416. ad Innocentium data, ab Auguſtino & quatuor aliis Epiſcopis, hæc leguntur de Pelagio: *Sive enim gratiam dixerit eſſe liberum Arbitrium, ſive gratiam eſſe remiſ-*

ſionem

Digitized by Google

ſionem peccatorum, ſive gratiam eſſe legis præceptum, nihil eorum dicit, quæ per ſubminiſtrationem Spiritûs ſancti pertinent ad concupiſcentias, tentationeſque vincendas, &c. Et infrà: *Diſtinguenda eſt Lex, & Gratia. Lex jubere novit, Gratia juvare*, &c. Tum concedunt, creationem rectè appellari *gratiam Dei*, ſed addunt: *Alia eſt tamen gratia, quâ Prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur*; & de ultima iſta gratia tum ſolùm diſputabatur cum Pelagio.

CAPUT V.

Quæ Gratia Dei negaretur à Pelagio, olim notiſſimum. Gratia Calviniana ac neceſſitans ubique à Pherepono perperam afficta Auguſtino, & Patribus Carthaginenſibus. Apoſtoli loca varia ab iis Patribus rectè adhibita contra impia Pelagii dogmata. Phereponi interpretationes variæ, & accuſationes repelluntur. Evangelii nuda prædicatio eſt quidem gratia, ſed non gratia, de qua S. Paulus, & Patres Africani agebant.

QUeritur poſthæc Pherepónus, quòd Africani Epiſcopi in ea Epiſtola gratiam illam ſuam nuſquam definiant, idque etiam fraudi ipſis vertit, quaſi ſuum dogma occultare quàm aperire mallent. Nimirum exſpectâſſet hic Cenſor, neceſſitantem fortaſſe Calvinianámque gratiam ab iis per definitionem quampiam nobis obtrudi, in quam poſtea inveheretur. Sed ſatis apertum erat inter Chriſtianos, quid ſignificaretur nomine gratiæ illius, quâ Chriſtiani ſumus, & quâ noſtrum Arbitrium expeditum redditur ad opera pietatis, & ſinè qua viribus caret humana natura atque voluntas ad amandum Deum, exercendámque veram virtutem. Hanc ipſe Auguſtinus cum quatuor aliis Africanis Epiſcopis in laudata Epiſt. 95. ad Innocentium hoc eodem anno ſcripta, *Chriſtianis fidelibus, Catholiciſque notiſſimam* appellat. Neque ipſe Pelagius ignorabat, quid à ſe peterent Catholici Epiſcopi, cùm inſtabant, ut fateretur, non ſolam ſibi humanam ſufficere naturam ad facienda ac perficienda mandata Dei, ſed auxilium divinæ gratiæ per Chriſtum prorſus eidem opus eſſe. Vide acta Conventûs Hieroſolymitani, & Concilii

Dioſpolitani Anno præcedenti 415 Sed inſpiciamus, an ſacrarum Scripturarum loca à Patribus Africanis producta ſatis exprimant, quæ Catholicorum ſententia foret, & quid gratiæ nomine ſignificaretur.

Gratiam Dei à Pelagio negatam dicebant Carthaginenſes Patres in Epiſtola 175. aliàs 90. ab Apoſtolo iis verbis prædicari: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quid Phereponus ad iſta? Si ipſi credimus, in Pauli verbis nihil aliud eſt, *gratia Dei,* quàm *Dei miſericordia,* aut *Dei beneficium*; nemo enim inquit is, contrarium unquam ex vi nativa vocis uſúque probabit *Non negabat autem Pelagius, homines Dei beneficio peccato eripi; ſed negabat fieri id afflatu quodam interno, cui reluctari non liceret, & ſine quo cætera omnia Dei beneficia inutilia eſſent.* Hæc ſunt Phereponi verba pag. 518. Tum repetit, non auſos eſſe Africanos Patres perſpicuè ſuam exprimere ſententiam; longè enim maximam partem Chriſtianorum in ſe concitâſſent, ſi apertè dixiſſent, quòd animo verſabant; cùm ante illa tempora aliter de gratia homines non ſenſiſſent, quàm ſentiret Pelagius. O aureum hominem Phereponum, qui ſinceritate Patribus Africanis præſtat, & quidquid ſentit, liberè dilucidéque promit! Sed quî oſtendat ille, Africanos Epiſcopos non auſos mentem aperire ſuam, & dolo malo égiſſe, & pro una gratia ineluctabili tunc decertâſſe? Hujuſmodi gratiam ex entitate ſua ineluctabilem, trahentémque neceſſariò ad conſenſum arbitrium hominis, nunquam Catholici, nunquam Africani Patres tradiderunt, ejúſque confeſſionem nunquam à Pelagio exegerunt; ut in Catholicorum hac de re luculentiſſimis ſcriptis videre eſt. Aliud eſt, Deum per ſuam Gratiam infallibiliter operari ſalutem electorum, certúmq; facere per ſuæ gratiæ diſpenſationem propoſitum ſuæ prædeſtinationis; aliud, gratiæ talem eſſe vim nativâ, ut neceſſariò ad unam partem determinet liberum hominis arbitrium, eíq; vim diſſentiendi eripiat. Sed Phereponum verba defeciſſent, niſi ubiq; Auguſtino & Patrib. Catholicis tam abſurdam ſententiam affinxiſſet. Ann. 416. quo Synodicam iſtam Epiſtolam ad Innocentium dedêre Africani Patres, in eo ſita potiſſimùm erat quæſtio de Gratia & libero Arbitrio, videlicet: num homines per ſola naturalia dona, malis & bonis, fidelibus & infide-

ſidelibus communia,& per ſolas Arbitrii vires, implere juſtitiam poſſent, & evitare peccata: an verò peculiare iis adjutoriumDei perChriſtum Servatorem neceſſarium foret, ſine quo neque peccata caverentur,ueque Lex piè impleretur, & ſine quo nihil ad ſalutem pertinens fieret, & cum quo reverà efficeretur.Primum affirmabant atque alterum negabant Pelagiani, à Catholicis propterea execrandæ hæreſis poſtulati. Nulla verò tunc, ne per umbram quidem, ſuborta erat controverſia, num hujuſmodi auxilio, quod humanæ neceſſarium naturæ contendebant Catholici, reſiſtere & reluctari poſſet hominis Arbitrium.Ingenio hebeti non erant eorum temporum Pelagiani, faciléque intellexiſſent neceſſitatem gratiæ eâ ratione excludi poſſe, quòd conſentiendi neceſſitatem voluntati inferret in Catholicorum ſententia; attamen ex iis nullus id Auguſtino objecit. Vide Auguſtinum ipſum Ep. 105. & de Geſtis Pelagii Cap. 18. & Hieronymum Dial. 1. contra Pelagium, ubi conſtabit, quid Catholicis objiceret Pelagius, & ne ipſum quidem inveniſſe in Catholicis neceſſitantem Calvini gratiam. Et certè animo ſtatim quiſque concipit, neceſſariam homini poſſe dici gratiam ad bonum, etiamſi non ea afferatur gratiæ natura, atque efficacia, ut excuti fruſtrarique ſuo effectu à voluntate non poſſit. Neceſſariam reapsè gratiam contendebant Catholici, neceſſitantem negabant. Atque hæc non nova Africanorum Patrum, ſed Eccleſiæ totius vetuſtiſſima ſcientia erat, ut Auguſtinus aliique toties oſtenderunt. Quare nihil confidentiùs dicere Phereponus potuit, quàm Chriſtianos ante definitiones Africanorum Conciliorum non aliter de gratia ſenſiſſe, quàm ſentiret Pelagius.

Cæterùm fruſtrà Phereponus Africanis Patribus eripere conatur locum illum Apoſtoli ad Rom. VII. 23. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum;* quaſi gratia iſta nihil aliud ſit, quàm Dei miſericordia,aut Dei beneficium; Pelagius verò non negaret, quin Dei beneficio homines à peccato liberarentur. Nam ſi gratuita miſericordia Dei intuitu meritorum Chriſti hominem à peccato liberat, à peccato ſervat, invictumque efficit contra cupiditatum pravarum impetum; ergo non operum meritum, non lex foris ſonans, non vires naturales humani Arbitrii id præſtant. Pelagius autem primò ſentiebat, ſolam ſibi ſufficere naturam humanam ad omnes tentationes ſuperandas, implendámque legem; tum divinæ miſericordiæ auxilium,

Digitized by Google

hoc eſt gloriæ adjutorium, ideò ſolùm admiſit, ut per illuo natura faciliùs evitaret, ac vinceret peccata, virtutéſque exequeretur: quam opinionem conceptis verbis ab ipſo traditam, Concilium Africanum A. 418. Can. 5. his verbis execratur: *Quicumque dixerit, ideo nobis Gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur Arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa, implere divina mandata, anathema ſit.* Quamobrem, ut lubet, gratiam ab Apoſtolo memoratam appellet Phereponus miſericordiam, ac beneficium Dei: adhuc certum erit, Apoſtolo auctore, non vinci concupiſcentiam rebellem, non evitari peccata, non impleri legem, non à peccato aſſurgi, niſi miſericordia iſta, gratuitúmque Dei beneficium intellectui lumen, voluntati infirmæ vires divinitùs ſuppeditet, & in nobis atque nobiſcum faciat, quod ſolis viribus noſtris facere non poſſemus. Si hoc Pelagius confeſſus fuiſſet, quod nunquam confeſſus eſt (quidquid Phereponus hîc dicat) *nihil de Adjutorio gratiæ inter Pelagium atque Catholicos relictum fuiſſet controverſiæ*, ut Auguſtinus ipſe teſtatur in Lib. de Gratia Chriſti Cap. 47.

Mitto, quæ mox Phereponus congerit, oſtenſurus, mandata Dei non eſſe ejuſmodi, ut omni vi deſtituta ſint ad movendos hominum animos: quod ne Africani quidem Patres negabant; adhuc enim ex Apoſtoli auctoritate edocemur, ſolam Legem, ſola Dei Mandata, non convertere hominem ad Deum, ut oportet, niſi accedat gratia Chriſti, atque internum Adjutorium Dei. Inſpiciamus potiùs, quid habeat Cenſor ad loca quædam Scripturarum à Patribus citata, ut contra Pelagium evincant, *ad operandam perficiendámque juſtitiam, ac Dei mandata complenda, ſolam ſibi humanam ſufficere non poſſe naturam.* Ne unum quidem ex his locis conficere id, quod volebant Patres, denuntiat è veſtigio Phereponus: quam leviſſimam facilitatem, atque rationem citandi Scripturam propriam illorum in Critica infantium ſæculorum vocat. *Scilicet*, deinde addit, *declamitare, & effutire quidquid in os veniebat apud plebem excommunicandam, ſi forè à declamante diſſentiret, multo faciliùs fuit, quàm Criticæ ſeriam operam dare.* Infelicia planè ſæcula, quibus defuêre unus pluréſve Phereponi, quorum Criticâ Arte tum ſolùm licuiſſet arcanam Scripturarum aſſequi mentem, nugis erroribúſque Theologiam ac populos eripere. Infeliciorem etiam Eccleſiam, cui Chriſtus polli-

pollicitus quidem fuerat per omnia tempora Doctores, atque interpretes fidos divinarum Litterarum, immunitatémque ab omni doctrinæ errore, & tamen poſtremis hiſce tantùm ſæculis ſuam fidem liberavit. Sed præſtat argumenta audire Phereponi, ut pateat, jurène an injuria pronuntientur iſta de Africanis Patribus, hoc eſt, num reverà ipſi declamatores leviſſimi fuerint, an potiùs conviciator audax ſit Phereponus noſter. *Spiritus*, qui *adjuvat infirmitatem noſtram*, de quo Paulus Rom. VIII. 26. Cenſore iſto interpretante, *eſt qui eſt in jam credentibus*, *eóſque in orationibus rectè fundendis apud Deum adjuvat*. Utique de Spiritu S. qui jam in credentibus habitat, loquitur hîc Apoſtolus. At hinc manifeſtè intelligimus, humanam naturam auxilio Dei penitùs indigere ad opera ſalutaria, neque ipſam ſufficere ſibi ad ea præſtanda, quando orationes ipſas, quæ actiones maximè piæ ſunt ac ſalutares, Spiritus S. operatur in nobis, dum nos orare ut oportet, efficaci ſuâ atque internâ operatione facit; nam *quid oremus ſicut oportet neſcimus*. Quis ergò effutire audeat, minimè ex his Apoſtoli verbis reſultare, quod Africani Patres volebant? Imò quis contra non intelligat, eam ab Epiſcopis illis deprædicari gratiam, quæ jura liberi Arbitrii non lædat? eſt enim gratia, quæ adjuvat nos, ac proinde non ſola, ut Calvinus ejúſque gregarii velle videntur, ſed nobiſcum agit.

Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ſunt Apoſtoli celeberrima verba ad Rom. IX. 16. ab Afris Epiſcopis citata. Iis hæc alia Phereponus Interpres adnectit: quod *verbum Dei mittitur ad populum quempiam ad cognitionem* ejus vocandum; ſed *quid hoc facit ad afflatum ſingulorum?* Nihil, fateor, hoc facit ad probandum afflatum illum neceſſitantem, quem in Auguſtino ſe deprehendiſſe Calvinus ſomniavit; ſed quidem apertiſſimè facit ad evincendum, quod Patres volebant. Si non hominis currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quòd homo perveniat ad agnitionem veritatis, ac fidei per quam felicitas æterna ſperanda eſt: quis amplius niſi deſipiendo dicat, poſſe ad fidem atque ſalutem perveniri ſolis humanæ naturæ viribus, conantibus ac meritis, uti Pelagius affirmabat? Cæterum hunc locum pro ſuo potiùs arbitrio, quàm pro veritate explicat Phereponus, cùm ait, illic agi tantùm *de miſſione verbi Dei ad populum quempiam ad cognitionem ejus vocandum*. Apoſtoli verba nihil tale referunt. Eorum ſenſus eſt, quòd homines nonnulli ad Chriſti hæreditatem, bene-

dictio-

Digitized by Google

dictionem, & electionem pertineant, id non provenire ex eorum volitione & curſu, neque ex operibus meritiſque præcedentibus, ſed quidem ex mero nutu, beneplacito, vocatione, & miſericordia Dei, ſicuti neque curſus neque voluntas Jacobi aut matris ejus in cauſa fuit, cur Jacobo Iſaaci benedictio, & hæreditas divinorum numerum contingeret, ſed quidem vocatio, & electio gratuita Dei. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori.* Quòd ſi interpretationem Phereponi & hîc admitteremus, eadem nihilominus conſectaria inde effluerent, quæ Catholici docent. Neque apud Deum injuſtitia eſt, quòd Jacobum dilexerit, Eſau autem odio habuerit, hoc eſt, illi ſingularia beneficia contulerit, huic autem paria ac tanta conferre noluerit, etſi & ipſe Eſau voluerit, atque cucurrerit; nam inquit Deus: *Miſerebor cujus miſereor*; & ejus electio, & gratia non eſt hominum operibus & conatibus debita, ſed à ſola ejus miſericordia venit. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; hoc eſt, eligit quos vult, & permittit alios ſuæ ipſorum infirmitati atque malitiæ, quanquam nulli ſufficientia deneget auxilia. Vide locum Apoſtoli integrum facilſque negotio intelliges, nullum alium eſſe luculentiorem ad oſtendendum, quid per ſe viribuſque ſuis valeat in negotio ſalutis corrupta ac infirma hominum natura ſine peculiari adjutorio gratiæ Dei; & ſine miſericordi illius præſidio, & (ſiquidem id etiam velis) ſine miſſione verbi ejus, & potenti & efficaci vocatione ad ſalutarem fidem, & caritatem Dei, ac proximi.

Unum omnes ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra, habentes dona diverſa ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis. Ità Apoſtolus ad Rom. XII. 5. Quæ verba à Patribus Africanis citata his aliis exponit Phereponus: *Gratia, ſecundùm quam ſunt diverſa dona, non eſt gratia, quâ ſinguli fideles ad Deum converſi ſunt, ſed beneficentia varia Dei, quâ aliis alias dotes conceſſerat: ſeu ſolita ſua providentia, ſed extraordinariâ ſpiritualium donorum effuſione.* Non de gratia tantùm, quâ homo ad Deum convertitur, diſputatum eſt interdum cum Pelagio, ſed de omnibus aliis gratiarum & auxiliorum generibus, quibus mentem & cor hominis jam converſi aut illuſtrat, aut perficit Deus. Sine iſtis auxiliis contendebat Pelagius hominem ex viribus naturæ in creatione inditis poſſe omnia ſalutaria opera virtutéſque præſtare, & ad perfectionem, atque ἀναμαρτησίαν pervenire. Hinc illud Cœleſtii apud Auguſtinum Lib. de geſt. Pelag. Cap. 14. *Unumquemque hominem omnes virtutes poſſe habere, & gratias*, eas videlicet

Deo

Deo non donante, ſed ſibi unoquoque comparante viribus Arbitrii ſui. Quid Apoſtolus ad hæc? Edocet ille, non à nobis eſſe perfectionem, & virtutes noſtras, ſed à miſericordia Dei, atque ab illius gratia, quam ipſe dat quibus vult & prout vult Rectè interpretari divinas Scripturas, miniſteria Eccleſiaſtica ſanctè obire, noſſe alios docere doctrinam ſanam, & exhortari utiliter, & eleemoſynas diſtribuere bonâ fide, & præeſſe in ſolicitudine, & miſereri in hilaritate, & diligere ſine ſimulatione, & odiſſe malum, & adhærere bono, aliáque illa χαρίσματα ſed dona fidelium, quæ ab Apoſtolo hîc enumerantur, Deus elargitur, Deus dividit pro ſuo arbitrio, & *dona* ſunt illius. Ergo non ea ſibi comparare viribus propriis poteſt humana natura. Et ſi hoc non poteſt, quantò minus poterit fidem, & caritatem, quæ omnium maximæ virtutes ſunt, in ſe gignere, niſi Deus ex ſua miſericordia, & per ſuam gratiam inſpiret? Vide S. Hieronym. Lib. I. Cap. 6 Dialog. adverſus Pelagium.

Gratia Dei ſum id quod ſum (inquit Apoſtolus I. Cor. XV.) *& gratia ejus in me vacua non fuit, &c. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum &c. & gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Phereponus inquit, loqui Paulum de *Gratia Dei*, quâ erat Apoſtolus, hoc eſt, de miſericordia ac munificentia, quâ eum Deus neceſſariis ad hoc munus donis inſtruxerat. Tum addit: *Nec quiſquam unquam negavit, à Deo per Jeſum Chriſtum nobis datam eſſe de peccato victoriam, ac eſſe cur propterea ei gratias agamus. Verùm hoc factum afflatu interno & ineluctabili, nuſquam docet Scriptura.* Iterum ludit Phereponus, Auguſtino affingens afflatum illum ineluctabilem. Ad primum autem Epiſtolæ Paulinæ locum quod attinet, ibi Apoſtolus non commemorat ſimpliciter dona ſibi tanquam Apoſtolo divinitùs conceſſa, ſed extollit ac memorat ipſam generalem Gratiam Dei, quæ de perſecutore Eccleſiæ Apoſtolum fecerat, ipſúmque adeò de infidelitate & peccato converterat ad cognitionem fidei veræ, & ardentiſſimâ caritate Dei, & ſolicitudine ac virtute ad annuntiandum Chriſti Evangelium inſtruxerat. *Ego,* inquit, *ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum.* Hic S. Ambroſ. quaſi Pelagianos nondum natos impugnaturus, hanc ſententiam accipit de omni bono, quod in Paulo erat, ità ſcribens Lib I. Cap. 7. de Abel & Cain: *Benè Apoſtolus non gloriabatur in virtute ſua, ſed minimum Apoſtolorum ſe eſſe dicebat, & quidquid eſſet gratiæ divinæ eſſe, non meriti ſui; nihilque nos habere, quod non acceperimus.*

Vide

Digitized by Google

Vide & Hieronymum Lib. 2. Cap. 3. adversùs Pelagium. Igitur ex Apoſtoli verbis & exemplo diſcere poterant Pelagiani, omnia noſtra bona accepta eſſe referenda Gratiæ Dei, quæ nobiſcum opera ſalutaria agit, & nos ſine neceſſitate ac ſine coactione de nolentibus volentes facit, nihilque nos gloriari debere de virtute noſtra, meritiſq; noſtris

Subinde inquit Phereponus, neminem unquam negâſſe quin Deus per Jeſum Chriſtum nobis dederit victoriam de peccato. At Cœleſtius, uti ex Actis Dioſpolitanæ Synodi conſtat, affirmabat: *Dei gratiam ſecundùm merita noſtra dari; quia ſi peccatoribus illam dat, videtur eſſe injuſtus*; quem errorem damnavit ipſe Pelagius, neſcio animo ne, an voce tenus in eadem Synodo Cap. 12. Auguſtinus autem in Lib. de Hæreſ. Cap. 88. auctor eſt, in poſterioribus ſuis Libris Pelagium inſtaurâſſe eamdem ſententiam, & ſcripſiſſe: *Gratiam Dei, quâ liberamur ab impietate, ſecundùm merita noſtra dari.* Sed ut mittamus acrem illam, quæ inter eruditos adhuc vertitur, controverſiam, nempe an tandem Pelagius confeſſus fuerit, gratis Deum remittere hominibus peccata (quod Auguſtinus non uno in loco factum memorat) & quid per peccatorum remiſſionem Pelagius ſignificare vellet: potiùs inſiſtamus Apoſtoli verbis. Victoriam referre de peccato duo ſignificare poteſt, videlicet vel à ſe expellere peccatum jam admiſſum, vel ità repellere, ne admittatur: quod poſtremum fit cùm tentationibus dæmonis, mundi & carnis nos ad peccandum ſolicitantibus, reſiſtimus fortunato ſucceſſu. Utrumque hîc ab Apoſtolo dicitur. Cuinam autem debemus laudem & gratias, quòd expulerimus à nobis peccatum, illúdve in nos intrare non ſiverimus? Num viribus humanæ naturæ in creatione inditis, quibus æquè præditi ſunt Chriſtiani, atque infideles? Nequaquam, ſed quidem Deo, qui Filii ſui Servatoris noſtri intuitu, peculiari ac ſupranaturali gratiâ in eum credentes donat, tum ut liberentur à peccatis commiſſis, tum ne in nova labantur. Imò animadverte, Apoſtolum de peccatis potiùs non admittendis, quàm de admiſſis & de tentationibus, quæ quotidiè à piis fidelibus ſuperantur, quàm de ſuperatis, agere videri; ità enim ejus Græca verba ſe habent: τῷ Θεῷ χάρις τῷ διδόντι ἡμῖν τὸ νῖκος *Deo Gratia* (ſit) *danti nobis victoriam.* Hinc Deum quotidiè rogamus, ne nos induci in tentationem, ne peccatum regnare in nobis ſinat, ſed nos liberet à malo: quod petere à Deo in Pelagii ſententia utile quidem, ſed neceſſarium non erat. Oſtendat nunc Phereponus, Pelagianos unquam ſincerè confeſſos fuiſſe, non

poſſe

poſſe humanam naturam, liberúmque Arbitrium ſine adjutorio interno Dei, ſine Gratia Salvatoris, aut aſſurgere, aut abſtinere à peccatis. At iſtud ille nunquam oſtendet. Pelagium, quòd hoc ipſum negaret, his Apoſtoli verbis Africani Patres aggrediebantur. Hinc Auguſtinus, quoties Pelagius Gratiam Dei ſtatuere in illo tantùm videbatur, ut præterita peccata auferret, toties ab ipſo etiam exigebat ut fateretur, neceſſariam eſſe gratiam Dei, ne nova peccata committantur. Iterùm lege Epiſt. 95. nunc 177. ubi Africani Patres ajunt de Pelagio: *Sive Gratiam dixerit eſſe liberum Arbitrium, ſive Gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſive Gratiam eſſe Legis præceptum: nihil eorum dicit, quæ per ſubminiſtrationem Spiritûs S. pertinent ad concupiſcentias tentationéſque vincendas &c. Hinc oramus, ut peccatorum tentationem ſuperare poſſimus, ut Spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem noſtram.* Similiter in Lib. de Natura & Gratia Cap. 34. Auguſtinus ait: *Hanc iſte miſericordiam, & medicinale Salvatoris auxilium, tantùm in hoc ponit, ut ignoſcat commiſſa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda.* Sed in tanta luce ne Phereponum quidem ipſum futurum fuiſſe cœcum arbitror, niſi unum illum afflatum ineluctabilem, hoc eſt, Calvinianum illud commentum, quod Auguſtinus atque Africani Patres nũquam tradidêre, ante oculos ipſe ſemper haberet.

Non quia idonei ſumus cogitare aliquid, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Hæc Epiſcopi Africani proferunt ex Epiſtola 2. Cor III 5. Phereponus vero ità reponit: *Sufficientia ſanè omnium Chriſtianorum, ad cogitandum aliquid Evangelio conſentaneum, eſt à Deo; quis enim neſcit, Evangelium non ingenio hominum, ſed Deo deberi? At Apoſtolorum præſertim ſufficientia, ad munus, ad quod vocati fuerant, ſuſtinendum, non humana, ſed divina fuit.* Ergo, ſi fides Pherepono, Apoſtolus hîc ſignificat, ideò non poſſe dici Chriſtianos ſufficientes ex ſe, aut idoneos ad cogitandum aliquid Evangelio conſentaneum, quia Evangelium non ingenio hominum excogitatum fuit, ſed ſolius Dei. At quis certum fecit Criticum iſtum niſi de Evangelio (quod certè Dei, non hominum, opus eſt) loqui hîc Apoſtolum? Dixerat Paulus, Corinthios Epiſtolam eſſe vivam, quæ in ſuam ipſius commendationem pateret omnibus hominibus, Epiſtolam, inquam, Chriſti, quippe Chriſtum palam amplexi fuerant; Epiſtolam ab ipſo Paulo miniſtratam, quia illius miniſterio converſi ad Chriſtum fuerant; Epiſtolam ſcriptam, non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, quippe Spiritus S. in eis ſuâ virtute habitabat, atque in eorum cordibus caritatem diffun-

Digitized by Google

diffundebat, unde præclara pietatis opera quotidiè effluebant. *Neſcitis* (ſcripſerat jam ad eoſdem Corinthios Apoſtolus in priori Epiſtola III 15.) *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Tum in loco, quem præ manibus habemus, pergit dicere: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum*; hoc eſt: Cùm dixerim Epiſtolam Dei vivi vos Corinthios eſſe, vóſque & fide in Chriſtum; & caritate, quæ in tabulis cordis per Spiritum S. inſcripta eſt, conſpicuos ità eſſe factos, ut ab omnibus hominibus laudemini, dixerímque, me inſtrumentum atque miniſtrum fuiſſe, ut ad tantam lucem, atque felicitatem perveneritis: gloriari quidem, ſed gloriari in Deo, de fructu prædicationis meæ nos debemus per Chriſtum Dominum noſtrum; gratiâ enim Chriſti, meritis, virtute, atque potentiâ illius, me ſuo miniſterio utentis, & non virtute veſtrâ, neque meâ, tales evaſiſtis. Poſtremum hoc ſignificatur ſubſequentibus verbis: *Non quod ſufficientes* (ſivè *idonei*) *ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra*, ſivè etiam velis, *idoneitas noſtra ex Deo eſt*. Id eſt; quòd tales facti ſitis ex miniſterio noſtro, non virtuti meæ, non veſtræ, id adſcribendum eſt, ſed quidem Deo, atque illius miſericordiæ & gratiæ; nam nos ex propriis naturæ noſtræ viribus nihil, non dicam facere ac dicere, ſed ne cogitare quidem, poſſumus, quod perducat ad fidem, & amicitiam, ſeu caritatem Dei, niſi Deus ipſe per Chriſtum nobis id donet, uti mihi & vobis donâſſe ſucceſſus meæ prædicationis jam comprobavit.

Hæc germana loci illius interpretatio, ad quam confirmandam, afferre etiam poſſemus ſanctorum Patrum, hominúmque eruditiſſimorum documenta complura. Quare & S. Hieronymus loco eodem contra Pelagianos jam uſus fuerat Lib. 3. Cap. 5. Dialog. Non ergo, ut Phereponus putat, ideò ſolùm Apoſtolus ait, Chriſtianos ſufficientes, ſivè idoneos, non eſſe ad cogitandum aliquid Evangelio conſentaneum, *quia Evangelium non ingenio hominum, ſed Deo debetur*. Cogitare quippe aliquid Evangelio conſentaneum, duplici modo fieri poteſt, nempe aut mente ſolùm concipiendo, ſeu percipiendo, quæ Evangelium narrat, præcipit, vetat ac monet, ità ut in homine eorum nuda ſimpléxque apprehenſio tantummodo fiat; aut ità concipiendo, ut iis mens adſentiatur, atque ad illa jam apprehenſa feratur deliberato rationis judicio, & voluntatis intimo affectu. Phereponus priori modo locutum cenſet Apoſtolum, dum inquit, Chriſtianos ſufficientes non fuiſſe ad cogitandum

per

per ſe Evangelica præcepta, monita, & documenta, niſi Deus per Apoſtolos eiſdem annuntiâſſet Evangelium ipſum, quod certè ipſi Deo, non autem hominum ingenio, debetur. At hoc à Pauli mente abhorret; non enim gloriatur, neque gloriatus fuiſſet Apoſtolus in Chriſto, & per Chriſtum, quòd Corinthii tantummodò apprehendiſſent, atque intellexiſſent ex ore ac prædicatione ſua Evangelium, cùm conſtet innumeris aliis populis, tum illo, tum ſubſecutis temporibus annuntiatum fuiſſe Evangelium, qui tamen idcircò neque crediderunt Evangelio ſibi prædicato, & apprehenſo, neque conſentaneè ad Evangelium vixêre Igitur ſecundo modo Corinthii cogitârunt ea, quæ Evangelio conſentanea erant, hoc eſt, non ſolùm intellectu, ſed & voluntate, amplexi ſunt cùm fidem Chriſti, tùm caritatem, eóque virtutum ſplendore inter Chriſtianos effulgebant, ut omnibus admirationi eſſent; atque in iis laudaretur Apoſtolus ipſe. Atque hic ſenſus iis Pauli verbis. Sufficientia autem, ſivè idoneitas ad cogitandum hoc pacto ea, quæ ſunt conſentanea Evangelio, nequit dici inde profecta, *quia Evangelium non ingenio hominum, ſed Deo debetur*; nam ut dixi, Evangelium ab aliis etiam percipitur, & tamen ſalubriter non percipitur; & niſi Evangelii prædicationem Deus peculiari ſuâ gratiâ comitetur, homines neque convertuntur neque divinâ caritate ad bonas cogitationes, & ad opera pia fœcundantur Hoc idem Apoſtolus denuntiârat in priore Epiſt. ad eoſdem Corinth. III. 6. ità ſcribens: *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat, Deus.* Hoc eſt: Ego quidem Evangelium vobis prædicavi, Apollo vos baptizavit, ſivè ſuperaddidit Chriſtianæ Diſciplinæ præcepta. At nemo ex vobis ex ſolo noſtro miniſterio profeciſſet ad fidem, & perfectionem Chriſtianam, niſi Deus illuminando mentem, & inſpirando in voluntatem veſtram vos intimo ſuæ gratiæ vigore ad hos fidei & virtutum fructus intactâ libertate Arbitrii veſtri perduxiſſet. Quibus ex verbis intelligas, ſufficientiam ad cogitandum aliquid boni, aliquid quod ad ſalutem pertineat, aliquid verè conſentaneum Evangelio, non à nobis eſſe, non ab Evangelii nudâ prædicatione, ejúſque apprehenſione, ſed ab ipſo Deo, hoc eſt ab ipſa Dei gratia interiori, intellectum illuminantis, & voluntatem moventis ad bonum. Hoc illud eſt, quod oſtendere volebant, & reipsâ oſtendunt Africani Patres, laudatis Apoſtoli verbis, quibus fruſtra Pherepontus alium ſenſum affingit contra ipſius Apoſtoli mentem.

Denique ex eadem Epiſtola 1. ad Cor. IV. 7. citant Epiſcopi hunc locum: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut eminentia virtutis ſit Dei. & non ex nobis.* Eodem loco unus eſt Hieronymus contra Pelagium Dial. 3. Cap. 3. Theſaurum tamen iſtum eſſe dona Apoſtolica ait Phereponus, ideóque nihil pertinere ad gratiam, de qua cum Pelagianis diſputabatur. Sed inter iſta dona Apoſtolica quis docuit Phereponum non computandas eſſe virtutes omnes, earúmque principem in primis, ardentem caritatem Dei, & proximi? Quid reliqua dona Apoſtolis à Deo conceſſa profuiſſent, ſi iſtam quoque caritatem eiſdem non donâſſet Deus? Idem Apoſtolus ad Corinthios in priore Epiſtola Cap. XIII. 1. jam hæc ſcripſerat: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; & ſi habuero propheticam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem &c. Caritatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt,* &c. In altera verò Epiſtola, quæ nunc argumentum nobis differendi præbet, Cap. V. 14. explicat Apoſtolus, quid ſe urgeret, impellerétque ad labores pro Corinthiis ſuſceptos. *Caritas,* inquit, *Chriſti urget nos.* Unde autem *caritas* iſta in Apoſtolos venerat? Nam ex eorum viribus, num per liberi Arbitrii conatus? Nequaquam; ſed quidem à Deo, ſed quidem per Spiritum S. *Caritas enim ex Deo eſt,* ut habetur 1. Jo. IV. 9. *Et caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis,* ut inquit Paulus ipſe ad Rom. V. 5. à qua *caritate Dei* non anguſtia, non fames, non perſecutio ulla poterat ipſum cæteróſque Apoſtolos ſeparare. Quapropter Apoſtolus, quòd ipſe tam fortis eſſet inter tot adverſitates atque pericula, & quòd tantus fructus in populis prædicationem Evangelii, ſuúmque Apoſtolicum miniſterium conſequeretur, non ſuis, non auditorum viribus, induſtriæ, ac ſapientiæ adſcribebat, ſed potentiæ, ac virtuti, id eſt gratiæ divinæ ut *ſublimitas,* ſivè *eminentia ſit virtutis Dei. & non ex nobis.* Quid ergo Phereponus ait, nihil hæc verba pertinere ad cauſam, quam Catholici adverſus Pelagium tuebantur? Imò quî pronuntiare potuit, ne unum quidem ex iis Scripturarum locis, quibus hactenus lucem attulimus, *probare id quod volebant Africani Patres?* Judicium Lectorum appello.

CAPUT VI.

Orandi quidem Dei utilitas in hominibus, ſed non neceſſitas, à Pelagio admiſſa. Aliæ Phereponi accuſationes confutantur. Non omnia dona Evangelica Pelagius confeſſus eſt. Gratia Dei, cùm opponitur Legi in ſacris Litteris, non ſemper Evangelium merum ſignificat, ut Pherepomus & Hammondus putant, ſed etiam beneficia Dei per Evangelium collata, & præſertim fidem, & caritatem. Deum impoſſibilia non jubere, Auguſtini & Eccleſiæ Catholicæ ſententia eſt. Pelagiani inimici gratiæ Dei.

PErgunt dicere Carthaginenſes Patres in ſua ad Romanum Pontificem Synodica Epiſt. 175. aliàs 90. ex ſacrilegis Pelagianorum diſputationibus *neceſſariò conſequi, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & diſcipulos monuit, & poſuit in oratione, quam docuit; aut ne deficiat fides noſtra, &c.* Non *neceſſariò* hoc ſequi, Phereponus ſtatim notat, nam particula illa Orationis Dominicæ, aut preces Chriſti pro Petro, *non ſignificant id, quod innuunt Patres, quaſi hoc ſibi vellent: O Deus, fac afflatu interno, cui reſiſtere nequeamus, ut tentationem vincamus.* Ità Cenſor imperterritus patientiâ Lectorum abuti pergit. Sed gratiam, ut his vocabulis utar, neceſſitantem, atque irreſiſtibilem, ubinam Africani Patres, Auguſtinus, & Catholici tradiderunt? ubinam exegerunt, ut gratiam talem Pelagius confiteretur? Somnum hoc eſſe, complures Catholici jam oſtenderunt; & tamen Phereponus id tanquam pro comperto, miniméque dubio paſſim ſumit ac ſtatuit. Cæterùm nobis neceſſarium eſt ad ſuperandas tentationes auxilium gratiæ Dei, etiamſi huic auxilio reſiſtere valeat liberum hominis arbitrium. Catholici reipsâ hoc unum tradebant; Pelagius contrà neceſſarium negabat adjutorium Dei, *ne intremus in tentationem*; qua ex opinione conſequitur, nobis non eſſe opus oratione ad evitanda peccata. Quid autem habet Pherepon. quo iſtud conſectarium à ſententia Pelagii tandem avertat? Ait, Pelagium non negâſſe, neq; negare potuiſſe, quin conſtitutis in periculo confugiendum ſit ad auxilium Dei, etiã extraordinarium; primò, quia *non ità facilè contingit*, ut cada-

gratiam Dei hominibus dari, *ut quod per liberum facere jubentur Arbitrium, FACILIUS poſſint implere per gratiam.* Ità ille in Libris de lib. Arbitrio. Ejus verba refert & explicat Sanctus Auguſtinus in Lib. de Hæreſ. Cap. 88. inquiens: *Dicendo utique, ut FACILIUS poſſint, voluit credi, etiamſi difficilius, tamen poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa divina*; Et in Epiſtola 186. olim 106. Cap. 10. *Utique cùm dicit FACILIUS, quid vult intelligi, niſi & gratia ſi deſit, poſſe per liberum Arbitrium vel facilè, vel etiam difficilè, quæ divinitùs jubentur, impleri?* Nihil aliud extundi è pertinaci Hæretico potuit, quem propterea variis in locis arguit Auguſtinus, & potiſſimum in Lib. de Gratia Chriſti Cap. 29. dum ad ea verba reſpiciens ſcribit: *Tolle FACILIUS, & non ſolùm plenus, verùm etiam ſanus eſt ſenſus ſi ità dicatur: Ut quod per liberum facere homines jubentur Arbitrium, poſſint implere per gratiam.* Africani autem Patres in Synodo habitâ Carthagine Ann. Chr. 418. iſtud Pelagii dogma anathemate excipiebant: quod & à reliquis Catholicis, & ab Auguſtino in primis eſt factum. Quid ergo laborat hîc Phereponus, niſi ut nos doceat rem jamdiu exploratam, videlicet Pelagium non negâſſe, quin utile ſit orare Deum, quo faciliùs peccata caveantur? Nihil id ad rem attinebat. Si animus ipſi erat, ſuum & hîc Pelagium defendere, oſtendendum fuit, Africanos Patres fruſtra conqueri, quòd Pelagius doctrinâ ſuâ orationis neceſſitatem ſuſtuliſſet, ſivè quia reverà Pelagius eam fatebatur, ſivè quia hominibus nulla eſt propriè neceſſitas orationis. At neutrum potuit aut poterit ille præſtare: adverſantem enim ſibi reperiiſſet atque reperiet cùm totam Hiſtoriam Eccleſiaſticam, tum apertiſſima divinarum Litterarum, & legitimæ Traditionis monumenta, quibus palam fit, ſine adjutorio gratiæ Dei vinci non poſſe tentationes, & neceſſum eſſe cuicumque noſtrûm orare, ne ab ipſis tentationibus vincamur.

Quæ ſequuntur apud Phereponum §. 5. pag. 515. nihil eſt quod refellamus; verſantur enim in illo ineluctabilis afflatûs ſomnio, cui uni tam ſæpè, tam libenter, ille ſuperædificat. Nihil etiam reponendum arbitror eidem dicenti, *ſe nomine Pelagii poſſe objicere Afris, ex eorum ſententia à Deo nihil potuiſſe peti* (*debuiſſe* alter ſcripſiſſet) *cùm reprobis quidem neceſſaria negare, electis verò omnia concedere, etiam non petentibus; ab æterno decrevit.* Nam ignorare ipſe nequit, cùm Auguſtinum, tum totam Catholicorum Eccleſiam, agnoviſſe ſemper auxilia ſufficientia ad ſalutem omni-

bus à Deo præberi ; atque uti ad regnum ex gratuita Dei miſericordia electi vocantur ; ità etiam reprobos ex propria culpa ac voluntate damnari. Eâdem brevitate tranſcurrimus, quod infrà habet §. 6. de Pædobaptiſmo, quem ait ex Novo Teſtamento oſtendi nullo modo poſſe neceſſarium. Subdit autem nonniſi abſurdè fundamenta fidei ab Afris vocari potuiſſe ea, de quibus altum eſt in Novo Teſtamento ſilentium. Verùm & infantibus neceſſarium eſſe Sacramentum regenerationis per aquam, ſuprà nos demonſtravimus; & Patres Cartaginenſes, cùm ajunt, Pelagianos affirmare, neceſſarium non eſſe neque infantium Baptiſmum, neque orationis uſum, quibus impiis dogmatibus *fundamenta Chriſtianæ Fidei conantur evertere* : ſatis produnt, ſe inter dogmata quidem Catholica referre Pædobaptiſmum, ſed non inter fundamenta fidei, qualia ſunt, omnes in Adam peccâſſe, atque indigere gratiâ Dei, & hominum naturam eſſe corruptam, & ad bonum per ſe ineptam, & neminem ſine gratia Servatoris ad regnum poſſe pervenire, atque alia ejuſmodi, quæ negato Pædobaptiſmo, & orationis neceſſitate ſublatâ, conſequenter evertuntur.

In notis ad Epiſtolam 176. Auguſtini olim 92. Milevitanos Patres arguit Phereponus pag. 120. quòd hæc de Pelagianis ad Innocentium I. Pontificem Maximum ſcribant: *Cùm Dominus docuerit, ut dicimus: Dimitte nobis debita noſtra, &c. Iſti dicunt, poſſe hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem juſtitiæ, ſine adjutorio Gratiæ Salvatoris, per ſolum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non ſit jam neceſſarium dicere: Dimitte, &c.* Ità verò ad hæc adnotat Phereponus: *Non dicebant, quemquam per totam vitam immunem prorſus peccatorum vixiſſe, excepto uno Chriſto. Unde ſequebatur, neminem eſſe, ex eorum ſententia, qui non deberet dicere: Dimitte, &c. Nam ad finem uſque vitæ peccatorum ſemel admiſſorum veniam petere omnes neceſſe habemus. Hæc ergo eſt invidioſa criminatio.* At nos dicimus, Pelagium, ſeu potiùs Cœleſtium affirmâſſe, hominem per totam vitam prorſus ſine peccato eſſe poſſe: id enim illius argumenta apertè conficiunt. Quòd ſi hominem eſſe, aut fuiſſe reipſa ſine peccato, præter Chriſtum, affirmare ille non eſt auſus: ex primo tamen ejus effato jure colligebatur, *hominem poſſe in hac vita pervenire ad tantam perfectionem juſtitiæ, ut ei non ſit jam neceſſarium dicere: Dimitte, &c.* Quæ enim vera neceſſitas petendæ veniæ de peccatis homini illi, quem nullius culpæ conſcientia morderet? Sed utcumque

que ſit de illorum ſententia, atque de ejuſdem ſententiæ conſectariis, nos Pherepono reſpondemus, quod Auguſtinus reſpondebat Cœleſtio in Lib. de perfectione juſtitiæ Ratioc. 16. Cap. 7. nempè: *Nullum cum eis de his verbis eſſe debere conflictum, quia non eſt auſus dicere hominem eſſe ſine peccato vel aliquem, vel ſeipſum, ſed tantummodo eſſe poſſe: quod neque nos negamus. Quando autem poſſit, & per quem poſſit, hoc quæritur, &c. Nam ſi per ſe ipſum poteſt homo eſſe ſine peccato, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Non autem gratis Chriſtus mortuus eſt; non igitur poteſt homo eſſe ſine peccato, etiamſi velit, niſi adjuvetur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, &c* Milevitani autem Patres eâdem ratione Pelagium ſivè Cœleſtium execrabantur, quòd diceret, *ſine adjutorio Gratiæ Salvatoris, per ſolum liberum Arbitrium* poſſe hominem pervenire in hac vita ad perfectionem juſtitiæ. Reliqua vide apud eumdem Auguſtinum in laudato Libro de perfectione juſtitiæ.

Invidioſam pariter criminationem, ſi Pherepono credimus, continent hæc alia Patrum Milevitanorum verba: *Non ità intelligendum* (ex ſententia Pelagii) *illud ne nos inferas in tentationem, tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, ſed hoc* (id eſt non decidere) *in noſtra eſſe poſitum poteſtate.* Inquit enim Phereponus, gratias cœleſtes non parum in tentatione juvare, ex ipſius Pelagii ſententia. Addit etiam, *ac ſine iis in gravibus tentationibus homines ſuccumberent*: quod poſtremum quandonam Pelagius ad fatendum adductus fuerit, neſcio quî oſtendere poſſit illius hyperaſpiſtes Phereponus. Orationis, ac divini adjutorii utilitatem, uti vidimus, prædicavit quidem interdum Pelagius, at nunquam ejus neceſſitatem; quippe viribus humanæ naturæ nimium ſemper indulſit. Ergo jure ex ejus ſententia inferebant Patres, neceſſarium non eſſe divinum poſcere Adjutorium, ne in peccata cadamus. Duo autem illa è ſacris Litteris excerpta loca, quæ ad confirmandam neceſſitatem auxilii, & gratiæ divinæ protulere Milevitani Concilii Patres, fruſtra à Pherepono ſolicitari intelliget, quiſquis & ſuperiorem noſtram reſponſionem legerit, & meminerit ineluctabilem afflatum temerè atque injuriâ ubique Auguſtino affingi à confidentiſſimo Cenſore iſto.

Non ſunt quidem curſim prætereunda, quæ idem animadvertit ad Auguſtini Epiſtolam 177. olim 95. Inquit ibi Auguſtinus cum ſuis collegis, Pelagium in Dioſpoli-

tano Concilio *Gratiam Dei* ſe agnoſcere profeſſum: *Quibus auditis verbis Catholici Antiſtites nullam aliam Dei Gratiam intelligere potuerunt, niſi quam in Libris Dei legere, & populis Dei legere, & populis Dei prædicare conſueverunt; eam utique, de qua dicit Apoſtolus* (Gal.2. 21.) non irritam facio Gratiam Dei. Nam ſi per Legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. *Sinè dubio gratiam, quâ juſtificamur ab iniquitate, & quâ ſalvamur ab infirmitate, non quâ creati ſumus cum propria voluntate.* Hìc inſurgit Phereponus, & ait, Pelagium non ſola Creationis beneficia agnoviſſe, verùm etiam Evangelica omnia; ſed non *Gratiam illam efficacem Auguſtinianam, ante eum incognitam præſertim in Oriente.* Quid pro *Gratia efficaci Auguſtiniana* hìc intelligat Phereponus, nemo non intelligit. At ſicuti certum nobis eſt, hujuſmodi gratiam, cui reluctari humana voluntas non poſſit, & quæ non *Auguſtiniana*, ſed *Calviniana* dicenda eſt; incognitam fuiſſe plurimis ſæculis tum ante Pelagium, tum etiam poſtea: ità quoque certiſſimum eſt, nunquam inſtitiſſe Auguſtinum, ut gratiam talem agnoſceret Pelagius Non autem minus fallitur, alióſque fallit Phereponus in hac abſurda ſententia ſancto Auguſtino tribuenda, quàm fallatur & fallat in altera opinione Pelagio adſcribenda. Nullus controverſiæ locus ſuperfuiſſet inter Catholicos atque Pelagium ſive Cœleſtium, *ſi omnia Evangelica dona* is agnoviſſet, eáque verè *Dei dona*, & non humanarum virium, laboriſque noſtri fructum confeſſus fuiſſet. Tot autem inviſibilia ac interna beneficia, ſive auxilia Dei, quibus ad bonum prævenitur, & adjuvatur, ſinè ulla tamen prævia neceſſitate, & ſinè ulla coactione, noſtra voluntas; & quibus vitiatæ noſtræ naturæ infirmitas ſuppletur, atque ſanatur, per ſe, & abſque hujuſmodi auxilio, præſtitura nihil boni ad ſalutem æternam pertinens; & quibus homo ad veram fidem perducitur, & ad verum ſuorum criminum dolorem excitatur, atque à peccatis liberatur, & caritate divinâ demum perfunditur, aliáque ejuſmodi: utique ſunt Dei dona per Chriſtum Servatorem homini comparata, hominíque ſive gratis collata, ſive gratis, & non ex meritis noſtris, conferenda, & peculiari vocabulo *Gratiæ Dei per Chriſtum* apud ſanctos Patres celeberrima. Somnia ergo nobis narrat Phereponus, inquiens Pelagium agnoviſſe *omnia dona Evangelica*; nihil enim magìs exploratum eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quam quod ambitioſus humani Arbitrii inflator Pelagius alia ex his donis, beneficiis, & auxiliis non agnoverit, alia agnoverit quidem, ſed minimè neceſſaria duxe-

luxerit, aut minimè gratìs à Deo conceſſa, ſed ità viribus Naturæ noſtræ, atque Arbitrii noſtri conatibus quæſita ac debita, ut jam dona & gratiæ Dei deſinerent eſſe.

At his dimiſſis, vocat nos Phereponus ad perpendendum locum Apoſtoli nuper ab Aguſtino laudatum, hoc eſt *non irritam facio Gratiam Dei*, eúmque nihil facere contra Pelagium ſinè ulla dubitatione pronuntiat. Audiamus illius rationes: *Nam,* inquit ille, *Gratia Dei* eſt ibi *Evangelium, aut Evangelica œconomia, quâ Deus juſtos cenſet, non eos, qui peccato carent, ſed qui Evangelio parent: quamvis anteacta eorum vita vitiis inquinata fuerit, nec ſinè lapſibus variis reliquam ætatem traducant.* Tum addit, eo ſenſu ſemper ſumi gratiam, quando opponitur Legi, quæ ex Judæorum ſententia ſummam poſtulabat perfectionem, ità ut Gratia oppoſita Legi & Operibus idem ſit ac miſericordia oppoſita rigori, ſive imperfecta obſervatio Mandatorum Dei oppoſita perfectæ ſanctitati. Et ne quis malè tempus terat in ultra inquirendo, an ità ſe res habeat, hoc luce meridianâ clarius eſſe nos monet, nullúmque recentiorum Interpretum occurrere, qui rem non viderit. Quis homini tanta cum ſecuritate talia affirmanti fidem negare audeat? Et tamen patiatur Phereponus nos dicere, nuſquam minus quàm hìc ſua verba impetrare poſſe fidem, nobíſque contra eſſe manifeſtiſſimum, cùm doctrinam Evangelicam, tum Apoſtoli mentem, ejuſmodi ſuâ interpretatione mirum in modum corrumpi. Primò falſum eſt, Deum in Evangelica Oeconomia cenſere juſtos, qui in peccata labuntur, dum tamen Evangelio pareant. Secundò ineptè, & contra veritatem dicitur, obtemperare aliquem Evangelio, etiam dum vitiis ſe inquinat, ſuiſque cupiditatibus pravis indulget. Furfurem iſtum Calvinianæ doctrinæ Catholici jamdudum exploſerunt; & quiſque per ſe intelligere poteſt, juſtitiam à peccato expelli, & neminem reputandum eſſe juſtum, hoc eſt, virtute præditum, & amicum Dei, dum Deum offendit, eíque non paret, ſuæque inobedientiæ præteritæ culpam dolore ac pœnitentiâ non eluit. Proinde falſum quoque eſt, eo ſenſu, quem Phereponus offert, ſemper ſumi gratiam, quando in Scriptis Apoſtolicis Legi oppoſitâ nobis occurrit.

Ut hoc tamen perſpicuè appareat, animadvertendum eſt, contendere paucos quoſdam è recentioribus Novi Teſtamenti Interpretibus, Hæterodoxis, & Hammondum in

primis, caput Pherepono in multis earum, reverà nomine Gratiæ Evangelium ſignificari, cùm Gratia ſeu χάρις in ſacris Literis Legi opponitur. Quod tamen Hamondus ſæpè factum ait, Phereponus pro ſua liberalitate ſemper factum pronuntiat. Ex iis autem benè multis locis, quæ ad hanc ſuam opinionem confirmandam corradit undique Hammondus ipſe, nonnulla ſunt, quæ mirum videatur, quomodo conveniant choro. Exemplo ſint duo illa deſumpta è Cap. XX. 24. & 32. Act. Apoſt. ubi inquit Paulus, ſe *teſtificari Evangelium Gratiæ Dei*; tum ait, ſe Epheſios commendare *Deo, & verbo Gratiæ ipſius*, &c. Εὐγγέλιον τῆς χάριτος, & λόγος τῆς χάριτος, nihil aliud ſunt Hammondo, quàm *prædicatio Evangelii*. Non is quidem ſum, qui negare velim, quin Gratiæ nomine Evangelium dici interdum poſſit deſignatum, quando Legi opponitur; ſed quidem ajo conſtare prius inter nos debere, quid ſit vocabulo Evangelii tunc intelligendum, & præſertim in loco Apoſtoli ad Gal. II. 21. quem Auguſtinus olim citabat, & nunc Auguſtino eripere Phereponus nititur. Nomine ergo Evangelii intelligere poſſumus aut prædicationem geſtorum, doctrinæ, cæterorúmque donorum, quæ Chriſtus in mundum intulit, & infert, aut ipſam rem prædicatam, h. e. ipſa geſta, doctrinam, & dona Chriſti. Quanquam prædicatio Evangelicæ Fidei, donum ſit, & Gratia à Deo veniens; manifeſtum tamen puto, Evangelium non appellari Gratiam ſub ea ſignificatione, quando opponitur Legi in Apoſtolicis Literis. Nam prædicatio neceſſaria quidem eſt, ut homines audiant, atque amplectantur Fidem Chriſti; ipſa tamen homines meliores facilioréſq; quàm ſub Judaïca Lege eſſent, homines per ſe non facit, cùm hoc facere ſpectet ad ipſam rem prædicatam, h. e. ad doctrinam verâ fide perceptam, & ad gratias & dona Dei in amplectentes Evangelium prædicatum diffusâ. Dicimus ergo Evangelium, ſeu rem prædicatam in Evangelio, gratiam potuiſſe appellari, vel reſpiciendo ad ipſas Chriſti res geſtas, & ad ejus præcepta, conſilia, & exempla [divinâ quippe miſericordiâ factum eſt, ut hæc audierint, & audiant homines,] vel conſiderando beneficia interna, & dona inviſibilia ab ipſo Chriſto procurata hominibus in Lege nova Evangelium fideliter recipientibus, eiq; obtemperantibus, per Chriſtum à Deo collata. Sed nudas Chriſti res geſtas, ejúſque doctrinam, atque exempla, non intelligunt Apoſtoli, cùm novi Teſtamenti Gratiam, Legi antiquæ opponunt; etenim Litera ſola homines

nines juſtificare non poteſt, niſi accedant interna illa do-
a ac beneficia, quæ audientibus, recipientibus, & obſer-
antibus Legem Evangelicam confert Deus, & quæ reverà
uſtificationem in nos important.

Hoc ergo poſtremo titulo propriè ab Apoſtolis atque E-
vangeliſtis Gratiæ nomen Evangelio tribuitur, & jure op-
ponitur Legi. Edocebat Lex, quid agendum foret Judæis,
ut Deo placerent, virtutéſque à vitiis diſtinguebat, propte-
eáq; fuit & ipſa donum Dei miſericordis. Verùm quando-
quidem ipſa alioqui bona, ſancta & utilis non vivificabat,
i. e. per ſe vim juſtificandi non habebat, neque virtutem
internam Judæis præſtabat conſequendæ juſtitiæ, & ſer-
vandæ Legis, & Deo verè placendi, ut Apoſtolus toties nos
docuit: ideo cauſa erat, ut cognoſceretur peccatum, vigo-
rem autem non miniſtrabat, ut peccatum evitaretur; ne-
que ſatis erat homini ad conſequendam æternam gloriam,
niſi Chriſtus ad mundum ſuâ morte & gratiâ ſalvandum
veniſſet. Chriſtus autem venit, donáque inviſibilia & præ-
ſtantiſſima, fidem præſertim, & caritatem, homini compa-
rans, & vires internas naturæ vitiatæ, infirmóque hominis
arbitrio ſuppeditans, aliáque beneficia ad bonum operan-
dum præbens, quæ à Lege ſola exſpectari non poterant, eá-
que dona in eos effundens, qui ſibi credunt, ſuæque Legi
parent, nunc facit, ut juſti evadamus, Deóque verè placea-
mus, cœlúmque nobis aperit. En igitur cauſam proximam,
cur Evangelium propriè Gratia appelletur in comparatio-
ne Judaicæ Legis. Hinc Jo. I. 16. dicit: *De plenitudine ejus*
(videlicet Chriſti, quem ſuprà *plenum gratiæ & veritatis* nun-
cupârat) *nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per
Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.*
In verbis autem Apoſtoli ad Gal. 2. 21. citatis ab Auguſtino
id apertè innuitur: *Non irritam* (inquit Paulus) *facio grati-
am Dei* (ſive *non abjicio*, ut vulgata verſio habet.) *Si enim per
legem Juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* A Lege Moyſis,
atque ab operibus, & cæremoniis legis, non exſpectandam
juſtitiam, atque juſtificationem, clamat Apoſtolus, ſed qui-
dem à fide Chriſti, quæ per dilectionem operatur; alio-
qui ſi aliunde, quàm per Chriſtum, ejúſque dona, obtine-
ri poſſit juſtitiâ: quid neceſſe erat Chriſtum mori? Niſi fi-
des in Mediatorem venturum vel ipſi Judæi habuiſſent, ſa-
lutem ex lege ſola, atque ex operibus nunquam retuliſſent.
Scientes (jam ſuprà Apoſtolus dixerat) *quòd non juſtificatur
homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto
Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operi-*

bus

bus legis,&c. Igitur Apoſtolus, dum *Evangelium Gratiæ Dei*, ſive prædicationem Divinæ & Evangelicæ Gratiæ memorat, nihil aliud nomine *Gratiæ Dei* deſignat, quàm ea dona, ac beneficia, quæ ex auditu, & receptione Evangelii in homines fluunt, aut fluere poſſunt per Chriſtum, & quæ Moſaica Lex per ſe conferre nequibat. Dona hæc & beneficia inſpiratione potiſſimùm conſtant Spiritûs S. qui fidem donat & caritatem diffundit in cordibus noſtris, & juſtitiam, & morum ſanctitatem, cæteráſque virtutes in nos defert, omniáque bona in nobis & nobiſcum operatur. Proinde Apoſt. Cap ſeq. ℣.2. Galatas interrogat: *Ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Et infrà: *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?* De hac autem *Gratia* Evangelica, quæ non à nobis, ſed ex Deo eſt, *quâ*, ut ait Auguſtinus, *juſtificamur ab impietate, & quâ ſalvamur ab infirmitate,* diſputabatur cum Pelagio affirmante illam à viribus noſtris eſſe, eáſque eſſe humani arbitrii vires, ut in nobis fidem & caritatem, Deo has virtutes gratìs non tribuente, excitare poſſimus. Quamobrem nullo jure Phereponus dicit, *Gratiam* ſenſu Auguſtiniano hìc minimè ſumi, ut nec uſquam alibi in Scriptura. Nam ſi Calviniano ſenſu, quem ipſe pro ſuo more *Auguſtinianum* appellat, *Gratiam* intelligit: id quidem certum ſit ex noſtra quoque ſententia; ſed falſiſſimum eſt, ſi ad veram S. Auguſtini mentem reſpicimus, ut ex pluribus divinarum Literarum exemplis conſtat, & præſertim ex eo ad Rom III. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu*; & ex altero 2. Cor XII. 8. *Sufficit tibi gratia mea.* Videat inſuper Phereponus, quàm opportuno loco pronuntiârit, Africanos Epiſcopos & *negligenter* legiſſe, & *oſcitanter* laudâſſe Scripturam, & quàm ſolidâ ratione hìc elevet eorum auctoritatem atq; doctrinam. Tandem videat, quibus tabulis fretus affirmare ipſe poſſit, *Gratiam* oppoſitam *Legi* in ſacris Literis idem eſſe, ac *miſericordiam oppoſitam rigori, & imperfectam obſervationem mandatorum Dei perfectæ ſanctitati.* Quaſi Deus in veteri Teſtamento rigidus judex nullius Judæi miſereretur, qui in peccata caderet; miſericors autem in novo non exigat à Chriſtianis perfectam mandatorum obſervantiam; & quaſi perfecta ſanctitas atq; juſtitia obtineri per Legem ſolam potuerit, imperfecta autem in Evangelio neminem à ſalute excludat. Hæc dogmata manifeſtè pugnant in Scripturam ſacram: quod oſtendere nobis facillimum foret, niſi ad alia raperetur oratio. Temperare tamen mihi non poſſum, quin memo-

memorem illa Servatoris verba ad Diſcipulos ſuos Matth. 5. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Tu reliqua ibi Chriſti verba perpende.

In Lib. de Hæreſ. ad Hæreſim 88 de Pelagianis hæc habet Auguſtinus: *Dei gratiæ, quâ prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, & quâ eruimur de poteſtate tenebrarum &c. in tantùm inimici ſunt, ut ſinè hac poſſe hominem credunt facere divina mandata, &c.* Ubi Phereponus hæc retulit pag. 595. religioſum ardorem præferens, anathema continuò dicit omnibus, qui divinæ gratiæ inimici ſunt; imò ut putat, Pelagius, ſi reviviſceret, in eadem ſententia, atque execratione ſecum fore conſenſurum judicat. *Verùm* (deinde ſubdit) *accuſatoriè dicit Auguſtinus inimicos Gratiæ Dei eos, qui internum afflatum, ad ſingulos neceſſarium actus, eúmque inèluctabilem, & ad finem uſque vitæ ſolis electis dandum, hoc eſt, Gratiam Auguſtini, non Dei repudiabant; nam Gratiam hunc afflatum, aut Gratiam Dei vocari in Scriptura nunquam demonſtravit.* Tum addit, Deum (utpote juſtum) impoſſibilia non imperare, neque ſumere pœnas de iis, qui non fecerunt impoſſibilia. Quòd ſi præter nudum imperium, auxilium aliud divinum neceſſarium ſit (hoc autem, ſi Pherepono credimus, *non negabat Pelagius,*) id nemini eorum, quibus aliquid imperat, ſubtrahit Deus. Tandem ità Cenſor loquitur: *Sed omnia hìc ſunt, ut alibi apud Auguſtinum, ad invidiam faciendam compoſita.* Liceat & nobis hìc dicere, omnia hæc Phereponi verba, ut alibi ſæpè, hominis eſſe aut calumniantis, aut ſibi ignota culpantis. Ità Auguſtinus ſcribebat in Lib. de Gratia & libero Arbitrio Cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Juvat etiam repetere alium celebrem Auguſtini ejuſdem locum in Lib. de Natura & Gratia Cap. 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Ubi vides duo poni ab eximio viro; nempe Deum *impoſſibilia non imperare,* ſimúlq; Dei auxilium neceſſarium eſſe ad ea implenda, quæ ipſe præcipit: è quibus tertium neceſſariò conſequitur, Deum videlicet, ſufficienti auxilio hominibus adeſſe, ut præcepta adimplere poſſint, eorúmque tantùm vitio fieri, niſi impleant. Quo verò opera bona virtutéſque certò amplectamur, legémq; velimus implere, & reapſe impleamus, & quò æterna Dei

de

de electorum ſuorum prædeſtinatione decreta certus ſubſequatur effectus: efficacioribus auxiliis utitur Deus, quæ ſingulis profectò non donari, neque ex obligatione teneri Deum, ut omnibus & ſingulis donet: tum experientia, tum ſacræ Literæ, & ſancti Patres, & rationes innumeræ manifeſtum faciunt. Primo igitur loci quid eſt, quòd Phereponus monet, impoſſibilia à Deo non præcipi, quaſi aliter Auguſtinus ſentiret? Deinde quid dubitare videtur, num præter nudum imperium, neceſſarium ſit aliud quodpiam à Deo auxilium, quo Lex impleatur? Iſtius auxilii neceſſitatem divinæ Literæ luculentiſſimè ſtatuunt. Tertiò ſentit Phereponus, non negâſſe Pelagium, quin ſit neceſſarium iſtud auxilium. At Auguſtinus in eod. Lib. de Hæreſ. atque ad eandem Hæreſim Pelagianorum, atque alibi etiam, teſtis eſt fide dignior quàm Phereponus, nunquam induci potuiſſe Pelagium, ut divinæ gratiæ neceſſitatem admitteret. *Denique* (ſunt Auguſtini verba) *Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio Gratiæ Dei, ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus ceſſit, ut non eam libero Arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per Gratiam. Dicendo utique ut faciliùs poſſint, voluit credi, etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa divina.*

Quæ ſi vera ſunt, (ut profectò ſunt, neque negare Phereponus audeat,) quis non intelligat, rectiſſimè atque veriſſimè Pelagianos appellatos ab Auguſtino fuiſſe *inimicos divinæ gratiæ*, & potiſſimùm cùm hæc de ipſorum prima opinione pronuntiet, quando videlicet nihil aut parum tribuebant auxilio gratiæ Dei, ſed omnia ſinebant liberi Arbitrii viribus? Non ſemel autem monui, rurſúſque monere cogor, mirè decipi Phereponum, dum ejus gratiæ, quam S Auguſtinus tuebatur, notionem nobis obtrudit. Eſt quidem illa internus Dei afflatus in intellectum, & voluntatem hominis, ſed ineluctabilis afflatus non eſt, cui nempe reſiſti non poſſit; neque ſolis electis reſervatus eſt, cùm reliquis etiam concedatur, qui ab amore creatarum rerum ad amorem veri Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti reverà convertuntur. Calviniana Gratia eſt, quam ubique deſcribit nobis Phereponus, non Auguſtiniana. Hìc ille dudum cœcutit; cùm tamen ignorare homo tot controverſiarum gnarus non poſſit, num à Calvino, an potiùs à Catholicis ſtet Auguſtinus Et ſanè afflatum, qualis à Calvino deſcribitur, Gratiam Dei nunquam in Scriptura vocari,

cari, nos quoque libenter concedimus. Verùm in Scriptura clariſſimè tradi Auguſtinianam divinæ Gratiæ notionem atque ſententiam, tum aliquibus teſtimoniis ſuprà oſtendimus, tum pluribus aliis evincere poſſemus. Eò etiam faciunt omnia, quæ ſacræ Literæ habent de auxiliis, de adjutorio, & ope, quam Deus homini confert, ut bonum operetur, & ſinè quo homo operari bonum, & venire ad Chriſtum, & impleri Spiritu Sancto, & ſanctâ charitate donari non poteſt. Intimè quoque, atque efficaciter (non ſinè tamen cooperatione ac libertate Arbitrii noſtri,) in animos voluntatémque hominum auxilia iſta influere, multis in locis tradit Apoſtolus, ſed præcipuè cùm ait ad Philip. 2. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et in 1. ad Cor. III. 7. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Atque hoc internum Dei miſerentis auxilium *Gratia* illa potiſſimùm erat, de qua cum Pelagio diſputabatur, quæque à S. Auguſtino ità definitur Lib. 4. Cap. 5. contra duas Epiſtolas Pelag. *Inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Ejus *neceſſitatem* non agnoſcebat Pelagius; Auguſtinus autem, & Eccleſia Catholica deprædicabant. Si contendere Pherepon*us* velit, Pelagio perperam Auguſtinum affinxiſſe hujuſmodi ſententiam: Pelagium faciet ille Catholicum. Sin ità Pelagium ſenſiſſe fateatur, ſolúmque contendere velit, ejus opinionem immeritò à Catholicis divexatam fuiſſe: Auguſtinum non arguat tanquam Pelagianis dogmata ab eiſdem repudiata declamatorio more imponentem, ſed ipſa arguat ipſius Auguſtini dogmata. Quod poſtremum ſi Pherepono facere placeat, non exſpectet à nobis confutationem, ſed ſciat ſe jamdudum ab innumeris Eccleſiæ Catholicæ Theologis fuiſſe confutatum. Cæterùm in ſententia, ſive ut ità dicam, in ſuppoſitione Auguſtini, rectiſſimè ſemper, & ſinè calumnia vocari potuit Pelagius *inimicus Gratiæ Dei*, quippe qui illam humanæ voluntati neceſſariam ut fateretur induci nunquam potuit.

* * * *

CA-

CAPUT VII.

Voluntarium & Liberum Phereponus putat ab Auguſtino confuſa. Quid ſint Libertas eſſentialis, & Libertas accidentalis humani Arbitrii. Quid neceſſitas eſſentialis, quid accidentalis, quid antecedens, quid conſequens. Arbitrium hominum ſemper liberum ab antecedenti neceſſitate, ſemper præditum eſſentiali libertate. In hac ſententia ſemper fuit ſanctus Auguſtinus, uti ex multis ejus locis oſtenditur. Nulla in Deo antecedens neceſſitas, eique etiam tributa à quibuſdam Libertas in amore ſui, atque virtutis. Præſcientia futurorum in Deo non tollit Arbitrium homini liberum. Deus prævidet, liberè homines peccaturos. Idem in Deo ſunt præteritum, præſens, ac futurum; quare ejus Præſcientia non lædit Arbitrii humani libertatem.

DE libero Arbitrio agentem Auguſtinum Phereponus non uno ſugillat in loco; ſed quanta cum æquitate, nôſtrûm erit deinceps oſtendere. Illud verò tanquam ratum certúmque ſtatuit ubique Phereponus, aut Auguſtinum ignorâſſe, quæ inter *liberum* & *voluntarium* differentia intercedat, aut noviſſe quidem, ſed affirmare non dubitâſſe. à Deo puniri quæcumque etiam mala ab hominibus, etſi *voluntariè*, non *liberè* tamen perpetrantur. In Lib. de vera Relig. c. 14. dixerat Auguſtinus: *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Hæc ità excipit Phereponus pag. 485. *Nempe ſi voluntarium dicatur liberum, ità ut poſſit admitti peccatum, aut non, & quidem ab ipſo peccante.* Tum addit, omnes prorſus mortales ità ſenſiſſe ante controverſias Pelagianas; *Nec aliter*, ait, *ſenſiſſet ipſe Auguſtinus, ſi poſt mortem ejus natæ demum fuiſſent. Itaque hæc fruſtra cum ſententia, quam poſtea amplexus eſt, in concordiam redigere conatur, Retract. Lib. 1. Cap. 13. §. 5. quaſi voluntarium dicatur tantùm, quod inſidet voluntati, quamvis liberum non ſit.* Iſtam quæſtionẽ uberiùs deinde agitat in Animadv. ad Lib. V. Cap. 10. de Civ. Dei, inquiens pag. 579. *Auguſtinus hîc, ut & alibi, voluntarium, & liberum confundit, quæ in omnium hominum ſermone diſtincta ſunt; nam voluntate quidem adſen-*

aſſentimur evidenti enunciationi, ſed non liberè, & voluntate ſimul cupimus felicitatem, ſed non liberè; neque enim poſſumus nolle evidentibus aſſentiri , aut nolle eſſe felices. Infrà verò hæc Auguſtini verba adfert, ſimúlque per quaſdam parentheſes commentatur: *Quocircà nullo modo cogimur* (inquit Philoſophus Pœnus) *aut retentà præſcientiâ Dei tollere voluntatis Arbitrium* (cur non addit *liberum*) *aut retento voluntatis Arbitrio* (addendum erat *libero*, hoc eſt, in utramque partem flexii) *Deum quod nefas eſt , negare præſcium futurorum. Sed utrumque amplectimur , utrumque fideliter & veraciter confitemur: illud ut benè credamus, hoc ut benè vivamus. Malè autem vivitur, ſi de Deo non benè creditur.* Ità Auguſtinus, cujus ſententiam his aliis verbis Phereponus onerat, dicens: *Poſtrema hæc libenter amplectimur; ſed ſi aliquis repoſuiſſet Auguſtino, negâſſet ab Auguſtino retineri liberum Arbitrium : quod nec ille diffitetur, cùm extra controverſiæ æſtum loquitur. Vide Enchiridion ad Laurentium Cap. XXX.*

Illud primò nos hîc proteſtamur, firmiſſimum eſſe ſempérque fuiſſe Catholicorum dogma, liberum in homine, vel poſt Adami lapſum, ſupereſſe Arbitrium , neque aut peccata , aut divinam gratiam eſſentiali iſtâ qualitate hominem exſpoliare poſſe; Calvinum verò , Lutherum, eorúmque ſimiles execramur , & Concilii Tridentini diris percutimus, quòd in actibus moralibus voluntarium quidem, ſive ſpontaneum homini tribuant, ſed liberum Arbitrium, ſivè electivam poteſtatem eripiant. Secundò addimus ſi quid hîc extra Eccleſiæ Catholicæ ſententiam exorbitâſſet Auguſtinus controverſiæ ardore abreptus, non eum declinantem ad extrema volumus ſequi, ſed regiam tenere Catholicæ matris viam. Tertiò dicimus , ne ipſum quidem ab hac eadem via veritatis Auguſtinum deflexiſſe; & ſi qua occurrunt in ejus Libris de hoc ipſo argumento obſcura, facili interpretatione, & ex aliis ejus locis explicari, idémq; cum Catholico dogmate componi poſſe, atq; debere. Animadvertendum igitur eſt ante omnia, libertatem, atq; neceſſitatem humani arbitrii, ſivè humanæ voluntatis, diverſimodè accipi, pluribúſque diſtingui modis. Nos ut breviati conſulamus, bifariam tantummodò ipſas diſtinguemus. Itaque alia eſt libertas eſſentialis, alia accidentalis. Prior voluntatem reſpicit, uti electiva eſt, facítque ut homo ex inſtitutione ſua poſſit aut eligere , aut non eligere aliquid ſibi propoſitum. Ideò verò eſſentialis homini dicitur, quia homo deſineret eſſe animal rationale, & in brutorum animalium naturam concederet, ſi eidem auferetur

tur hujuſmodi libertas, atque poteſtas, propter quam juſtè aut injuſtè operari dicitur? & laude & vituperatione dignus reputatur. Altera libertas accidentalis eſt, quæ voluntati humanæ adeſſe, aut ab eadem abeſſe poteſt, ſalvâ libertate illâ, quam *eſſentialem* diximus eſſe rationali naturæ. In tot autem libertates hujus poſtremi generis libertas dividitur, in quot ipſa actionum humanarum ampla reſpublica, iiſque libertatibus privare ſe ipſemet homo, atque ab aliis quoque externis cauſis privari poteſt. Rurſus ad inſtar libertatis alia eſt neceſſitas eſſentialis, alia accidentalis. Illa hominem eſſentiali libertate, ſivè naturali facultate eligendi aut non eligendi ſpoliatum, ità determinat ad unum, ut ei aliter eligere aut facere impoſſibile ſit. Accidentalis verò accidentali tantùm aliquâ libertate hominem ſpoliat in aliqua ſingulari actione facienda, aut non facienda. Porrò neceſſitas eſſentialis id proprium habet, ut ad externa cauſa atque impreſſione veniens, & præveniens omnem rationalis voluntatis nutum, ipſam potentiam ante determinet ad alicujus rei amorem aut odium, ſivè electionem aut fugam, quàm ipſa potentia ſeſe liberè moveat ad eligendum aut fugiendum illud objectum; ideòque neceſſitas antecedens dicitur. Talem necesſitatem invexêre Fati aſſertores, & impii quidam Aſtrologi, & Manichæi, ut alios omittam. Neceſſitatis verò accidentalis proprium eſt, ſubſequi liberum voluntatis nutum, ideóque conſequens illa appellatur. Ad hæc animadvertendum eſt, *ſpontanei, & voluntariis* nomine, prout à *libero* hæc nomina diſtinguuntur, id ſignificari, atque intelligi, quod voluntati placet, & gratum eſt, quocumque modo id fiat, hoc eſt, ſivè ipſi voluntati liberè eligenti palceat, ſivè placeat eidem ante ſuam electionem determinatæ, ac neceſſariò motæ ad illud objectum amandum. Involuntarium, vis & coactio opponuntur ſpontaneo, & voluntario. Quamobrem qui lubenter, & voluntariè, atque ſpontaneè agit, is liber à coactione dicitur; & tamen iſtum eumdem imaginari eodem tempore poſſumus *non liberum à neceſſitate eſſentiali*. Ità animalia bruta eò quòd, ut oculis noſtris apparet, lubenter, & cum delectatione, aut ſi mavis dicere, non reluctantia, neque repugnantia, cibum, potum, & venerem identidem appetunt, & tamen neceſſitate id facere dicuntur, libera dici non poſſunt à neceſſitate, etiamſi libera ſint à coactione.

His poſitis, memoriâ recolendum, contendi ſolvere à Calvino ejúſque gregariis, hominem in actionibus moralibus

libus neceſſariâ quapiam impreſſione rapi, ac determinari ad unum ante omnem ſuæ voluntatis ac arbitrii motum ac nutum, adeò ut eligendi poteſtate ac libertate careat. Concupiſcentia prava, ac homini innata, Præſcientia Dei, Prædeſtinatio, Gratia, aut aliæ hujuſmodi cauſæ, ſecundùm ipſos, electivam homini Potentiam eripiunt, ipſúmque adeò liberum Arbitrium; At cùm fieri poſſit, ut ad ea, quæ homo non facere non poteſt, (neceſſitate quippe antecedenti atque ſecreta raptus) moveatur quoque illius voluntas non coactè, ſed ſpontaneè, ſivè lubenter; hinc liberum hominis Arbitrium, ſi eoſdem Hæreticos audimus, ſitum eſt in hac una *Libertate à coactione* non autem in *Libertate à neceſſitate.* Quantum à recta ratione, à divinarum ſcripturarum documentis, & à ſanctorum Patrum ſententia abſit, ac abhorreat hujuſmodi commentum, non eſt hujus loci oſtendêre Meminiſſe tantummodo juvat, nihil à Fati aſſertoribus, à Manichæis, aliiſq; id genus hominibus, quos tantopere Chriſtiana execratur Eccleſia, differre iſtorum opinionem; homines verò hoc pacto in pecudum ſortem demitti, nulliúſque reverà meriti aut demeriti, laudíſque ac vituperationis capaces amplius eſſe dicendos. Auguſtinum verò in hac ſententia ſibi præcesſiſſe, jactitant Hæreticorum recentium Scholæ, iſtorúmque clamoribus nihil cunctatur adhibere fidem Phereponus noſter, ne carpendi Auguſtini tam bella ſibi elabatur occaſio. Sed aliter ſenſiſſe Auguſtinum, jam per alios patuit, & adhuc noſtrâ, ut ſpero, oratione palam fiet.

Arbitrium ergo hominis liberum eſſe ab antecedenti necesſitate, hoc eſt præditum ſuâ eſſentiali libertate, atque electivâ poteſtate, ità ut nihil voluntatem ad ſuos actus, & ad eligendum ante determinet, atque ut ità dicam necesſitet, quàm ipſa voluntas libero motu ſeſe ipſa ad unam partem eligendo inclinet: doctrinam ſemper fuiſſe Sancti Auguſtini, ea perſuadent, quæ ipſe variis in locis in hanc ipſam rem peculiariter intentus ſcripta reliquit. Et in primis quod eſt ad peccandum negat ille omnem in voluntate antecedentem necesſitatem. In Lib. 3 de lib. Arb. Cap. 18. ait: *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur & non peccabitur.* Mox ſubdit: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt* Si ſecretâ necesſitate, atque determinatione præviâ ad unum, homo aliquod opus pravum agit, utique nullo modo cavere illud potuit. Ergo ſine culpa erit,

 quia

ıemorem illa Servatoris verba ad Diſcipulos ſuos Matth. . 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Tu reliqua ibi Chriſti verba perpende.

In Lib. de Hæreſ. ad Hæreſim 88 de Pelagianis hæc habet ıuguſtinus: *Dei gratiæ, quâ prædeſtinati ſumus in adoptionem liorum per Jeſum Chriſtum in ipſum. & quâ eruimur de poteſta- tenebrarum &c. in tantùm inimici ſunt, ut ſinè hac poſſe homi- em credunt facere divina mandata, &c.* Ubi Phereponus hæc ıtulit pag 595. religioſum ardorem præferens, anathema ontinuò dicit omnibus, qui divinæ gratiæ inimici ſunt; mò ut putat, Pelagius, ſi reviviſceret, in eadem ſententia, tque execratione ſecum fore conſenſurum judicat. *Verùm* deinde ſubdit) *accuſatoriè dicit Auguſtinus inimicos Gratiæ Dei eos, qui internum afflatum, ad ſingulos neceſſarium actus, úmque ineluctabilem, & ad finem uſque vitæ ſolis electis dan- um, hoc eſt, Gratiam Auguſtini, non Dei repudiabant; nam Gra- iam hunc afflatum, aut Gratiam Dei vocari in Scriptura nunquam emonſtravit.* Tum addit, Deum (utpote juſtum) impoſſibi- a non imperare, neque ſumere pœnas de iis, qui non fece- unt impoſſibilia. Quòd ſi præter nudum imperium, auxi- um aliud divinum neceſſarium ſit (hoc autem, ſi Phere- ono credimus *non negabat Pelagius,*) id nemini eorum, qui- ıus aliquid imperat, ſubtrahit Deus. Tandem ità Cenſor loquitur: *Sed omnia hîc ſunt, ut alibi apud Auguſtinum, ad in- idiam faciendam compoſita.* Liceat & nobis hìc dicere, omnia ıæc Phereponi verba, ut alibi ſæpè, hominis eſſe aut calum- iantis, aut ſibi ignota culpantis. Ità Auguſtinus ſcribebat n Lib. de Gratia & libero Arbitrio Cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, uod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo ubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere ebeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex im- erat.* Juvat etiam repetere alium celebrem Auguſtini ejuſ- lem locum in Lib. de Natura & Gratia Cap 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet & facere quod poſ- is, & petere quod non poſſis.* Ubi vides duo poni ab eximio vi- o; nempe Deum *impoſſibilia non imperare,* ſimúlq; Dei auxi- ıum neceſſarium eſſe ad ea implenda, quæ ipſe præcipit: è uibus tertium neceſſariò conſequitur, Deum videlicet, ufficienti auxilio hominibus adeſſe, ut præcepta adimple- e poſſint, eorúmque tantùm vitio fieri, niſi impleant. Quo erò opera bona virtutéſque certò amplectamur, legémq; elimus implere, & reapſe impleamus, & quò æterna Dei

de

de electorum ſuorum prædeſtinatione decreta certus ſubſequatur effectus: efficacioribus auxiliis utitur Deus, quæ ſingulis profectò non donari, neque ex obligatione teneri Deum, ut omnibus & ſingulis donet: tum experientia, tum ſacræ Literæ, & ſancti Patres, & rationes innumeræ manifeſtum faciunt. Primo igitur loci quid eſt, quòd Phereponus monet, impoſſibilia à Deo non præcipi, quaſi aliter Auguſtinus ſentiret? Deinde quid dubitare videtur, num præter nudum imperium, neceſſarium ſit aliud quodpiam à Deo auxilium, quo Lex impleatur? Iſtius auxilii neceſſitatem divinæ Literæ luculentiſſimè ſtatuunt. Tertiò ſentit Phereponus, non negâſſe Pelagium, quin ſit neceſſarium iſtud auxilium. At Auguſtinus in eod. Lib. de Hæreſ. atque ad eandem Hæreſim Pelagianorum, atque alibi etiam, teſtis eſt fide dignior quàm Phereponus, nunquam induci potuiſſe Pelagium, ut divinæ gratiæ neceſſitatem admitteret. *Denique* (ſunt Auguſtini verba) *Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio Gratiæ Dei, ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus ceſſit, ut non eam libero Arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per Gratiam. Dicendo utique ut faciliùs poſſint, voluit credi, etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratia divina facere juſſa divina.*

Quæ ſi vera ſunt, (ut profectò ſunt, neque negare Phereponus audeat,) quis non intelligat, rectiſſimè atque veriſſimè Pelagianos appellatos ab Auguſtino fuiſſe *inimicos divinæ gratiæ*, & potiſſimùm cùm hæc de ipſorum prima opinione pronuntiet, quando videlicet nihil aut parum tribuebant auxilio gratiæ Dei, ſed omnia ſinebant liberi Arbitrii viribus? Non ſemel autem monui, rurſúſque monere cogor, mirè decipi Phereponum, dum ejus gratiæ, quam S Auguſtinus tuebatur, notionem nobis obtrudit, Eſt quidem illa internus Dei afflatus in intellectum, & voluntatem hominis, ſed ineluctabilis afflatus non eſt, cui nempe reſiſti non poſſit; neque ſolis electis reſervatus eſt, cùm reliquis etiam concedatur, qui ab amore creatarum rerum ad amorem veri Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti reverà convertuntur. Calviniana Gratia eſt, quam ubique deſcribit nobis Phereponus, non Auguſtiniana. Hic ille dudum cœcutit; cùm tamen ignorare homo tot controverſiarum gnarus non poſſit, num à Calvino, an potiùs à Catholicis ſtet Auguſtinus Et ſanè afflatum, qualis à Calvino deſcribitur, Gratiam Dei nunquam in Scriptura vocari,

cari, nos quoque libenter concedimus. Verùm in Scriptura clariſſimè tradi Auguſtinianam divinæ Gratiæ notionem atque ſententiam, tum aliquibus teſtimoniis ſuprà oſtendimus, tum pluribus aliis evincere poſſemus. Eò etiam faciunt omnia, quæ ſacræ Literæ habent de auxiliis, de adjutorio, & ope, quam Deus homini confert, ut bonum operetur, & ſinè quo homo operari bonum, & venire ad Chriſtum, & impleri Spiritu Sancto, & ſanctâ charitate donari non poteſt. Intimè quoque, atque efficaciter (non ſinè tamen cooperatione ac libertate Arbitrii noſtri,) in animos voluntatémque hominum auxilia iſta influere, multis in locis tradit Apoſtolus, ſed præcipuè cùm ait ad Philip. 2. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et in 1, ad Cor. III. 7. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Atque hoc internum Dei miſerentis auxilium *Gratia* illa potiſſimùm erat, de qua cum Pelagio diſputabatur, quæque à S. Auguſtino ità definitur Lib. 4. Cap. 5. contra duas Epiſtolas Pelag. *Inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Ejus *neceſſitatem* non agnoſcebat Pelagius; Auguſtinus autem, & Eccleſia Catholica deprædicabant. Si contendere Phereponus velit, Pelagio perperam Auguſtinum affinxiſſe hujuſmodi ſententiam: Pelagium faciet ille Catholicum. Sin ità Pelagium ſenſiſſe fateatur, ſolúmque contendere velit, ejus opinionem immeritò à Catholicis divexatam fuiſſe: Auguſtinum non arguat tanquam Pelagianis dogmata ab eiſdem repudiata declamatorio more imponentem, ſed ipſa arguat ipſius Auguſtini dogmata. Quod poſtremum ſi Pherepono facere placeat, non exſpectet à nobis confutationem, ſed ſciat ſe jamdudum ab innumeris Eccleſiæ Catholicæ Theologis fuiſſe confutatum. Cæterùm in ſententia, ſive ut ità dicam, in ſuppoſitione Auguſtini, rectiſſimè ſemper, & ſinè calumnia vocari potuit Pelagius *inimicus Gratiæ Dei*, quippe qui illam humanæ voluntati neceſſariam ut fateretur induci nunquam potuit.

CA-

CAPUT VII.

Voluntarium & Liberum Phereponus putat ab Auguſtino confuſa. Quid ſint Libertas eſſentialis, & Libertas accidentalis humani Arbitrii. Quid neceſſitas eſſentialis, quid accidentalis, quid antecedens, quid conſequens. Arbitrium hominum ſemper liberum ab antecedenti neceſſitate, ſemper præditum eſſentiali libertate. In hac ſententia ſemper fuit ſanctus Auguſtinus, utì ex multis ejus locis oſtenditur. Nulla in Deo antecedens neceſſitas, eíque etiam tributa à quibuſdam Libertas in amore ſui, atque virtutis. Præſcientia futurorum in Deo non tollit Arbitrium homini liberum. Deus prævidet, liberè homines peccaturos. Idem in Deo ſunt præteritum, præſens, ac futurum; quare ejus Præſcientia non lædit Arbitrii humani libertatem.

DE libero Arbitrio agentem Auguſtinum Phereponus non uno ſugillat in loco; ſed quanta cum æquitate, noſtrûm erit deinceps oſtendere. Illud verò tanquam ratum certúmque ſtatuit ubique Phereponus, aut Auguſtinum ignorâſſe, quæ inter *liberum* & *voluntarium* differentia intercedat, aut noviſſe quidem, ſed affirmare non dubitâſſe. à Deo puniri quæcumque etiam mala ab hominibus, etſi *voluntariè*, non *liberè* tamen perpetrantur. In Lib. de vera Relig. c. 14. dixerat Auguſtinus: *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Hæc ità excipit Phereponus pag. 485. *Nempe ſi voluntarium dicatur liberum, ità ut poſſit admitti peccatum, aut non, & quidem ab ipſo peccante.* Tum addit, omnes prorſus mortales ità ſenſiſſe ante controverſias Pelagianas; *Nec aliter*, ait, *ſenſiſſet ipſe Auguſtinus, ſi poſt mortem ejus natæ demum fuiſſent. Itaque hæc fruſtra cum ſententia, quam poſtea amplexus eſt, in concordiam redigere conatur, Retract. Lib. 1. Cap. 13. §. 5. quaſi voluntarium dicatur tantùm, quod inſidet voluntati, quamvis liberum non ſit.* Iſtam quæſtionē uberiùs deinde agitat in Animadv. ad Lib. V. Cap. 10. de Civ. Dei, inquiens pag. 579. *Auguſtinus hîc, ut & alibi, voluntarium, & liberum confundit, quæ in omnium hominum ſermone diſtincta ſunt; nam voluntate quidem adſen-*

adſentimur evidenti enuntiationi, ſed non liberè, & voluntate ſimul cupimus felicitatem, ſed non liberè; neque enim poſſumus nolle evidentibus aſſentiri, aut nolle eſſe felices. Infrà verò hæc Auguſtini verba adfert, ſimúlque per quaſdam parentheſes commentatur: *Quocircà nullo modo cogimur* (inquit Philoſophus Pœnus) *aut retentà præſcientià Dei tollere voluntatis Arbitrium* (cur non addit *liberum*) *aut retento voluntatis Arbitrio* (addendum erat *libero*, hoc eſt, in utramque partem flexii) *Deum quod nefas eſt, negare præſcium futurorum. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur: illud ut benè credamus, hoc ut benè vivamus. Malè autem vivitur, ſi de Deo non benè creditur.* Ità Auguſtinus, cujus ſententiam his aliis verbis Phereponus onerat, dicens: *Poſtrema hæc libenter amplectimur; ſed ſi aliquis repoſuiſſet Auguſtino, negâſſet ab Auguſtino retineri liberum Arbitrium; quod nec ille diffitetur, cùm extra controverſiæ æſtum loquitur. Vide Enchiridion ad Laurentium Cap. XXX.*

Illud primò nos hîc proteſtamur, firmiſſimum eſſe ſempérque fuiſſe Catholicorum dogma, liberum in homine, vel poſt Adami lapſum, ſupereſſe Arbitrium, neque aut peccata, aut divinam gratiam eſſentiali iſtâ qualitate hominem exſpoliare poſſe; Calvinum verò, Lutherum, eorúmque ſimiles execramur, & Concilii Tridentini diris percutimus, quòd in actibus moralibus voluntarium quidem, ſive ſpontaneum homini tribuant, ſed liberum Arbitrium, ſivè electivam poteſtatem eripiant. Secundò addimus ſi quid hîc extra Eccleſiæ Catholicæ ſententiam exorbitâſſet Auguſtinus controverſiæ ardore abreptus, non eum declinantem ad extrema volumus ſequi, ſed regiam tenere Catholicæ matris viam. Tertiò dicimus, ne ipſum quidem ab hac eadem via veritatis Auguſtinum deflexiſſe; & ſi qua occurrunt in ejus Libris de hoc ipſo argumento obſcura, facili interpretatione, & ex aliis ejus locis explicari eidémq; cum Catholico dogmate componi poſſe, atq; debere. Animadvertendum igitur eſt ante omnia, libertatem, atq; neceſſitatem humani arbitrii, ſivè humanæ voluntatis, diverſimodè accipi, pluribúſque diſtingui modis. Nos ut breviati conſulamus, bifariam tantummodò ipſas diſtinguemus. Itaque alia eſt libertas eſſentialis, alia accidentalis. Prior voluntatem reſpicit, uti electiva eſt, facítque ut homo ex inſtitutione ſua poſſit aut eligere, aut non eligere aliquid ſibi propoſitum. Ideò verò eſſentialis homini dicitur, quia homo deſineret eſſe animal rationale, & in brutorum animalium naturam concederet, ſi eidem auferretur

tur hujuſmodi libertas, atque poteſtas, propter quam juſtè aut injuſtè operari dicitur? & laude & vituperatione dignus reputatur. Altera libertas accidentalis eſt, quæ voluntati humanæ adeſſe, aut ab eadem abeſſe poteſt, ſalvâ libertate illâ, quam *eſſentialem* diximus eſſe rationali naturæ. In tot autem libertates hujus poſtremi generis libertas dividitur, in quot ipſa actionum humanarum ampla reſpublica, iiſque libertatibus privare ſe ipſemet homo, atque ab aliis quoque externis cauſis privari poteſt. Rurſus ad inſtar libertatis alia eſt neceſſitas eſſentialis, alia accidentalis. Illa hominem eſſentiali libertate, ſivè naturali facultate eligendi aut non eligendi ſpoliatum, ità determinat ad unum, ut ei aliter eligere aut facere impoſſibile ſit. Accidentalis verò accidentali tantùm aliquâ libertate hominem ſpoliat in aliqua ſingulari actione facienda, aut non facienda. Porrò neceſſitas eſſentialis id proprium habet, ut ad externa cauſa atque impreſſione veniens, & præveniens omnem rationalis voluntatis nutum, ipſam potentiam ante determinet ad alicujus rei amorem aut odium, ſivè electionem aut fugam, quàm ipſa potentia ſeſe liberè moveat ad eligendum aut fugiendum illud objectum; ideòque neceſſitas antecedens dicitur. Talem neceſſitatem invexêre Fati aſſertores, & impii quidam Aſtrologi, & Manichæi, ut alios omittam. Neceſſitatis verò accidentalis proprium eſt, ſubſequi liberum voluntatis nutum, ideóque conſequens illa appellatur. Ad hæc animadvertendum eſt, *ſpontanei, & voluntarii* nomine, prout à *libero* hæc nomina diſtinguuntur, id ſignificari, atque intelligi, quod voluntati placet, & gratum eſt, quocumque modo id fiat, hoc eſt, ſivè ipſi voluntati liberè eligenti palceat, ſivè placeat eidem ante ſuam electionem determinatæ, ac neceſſariò motæ ad illud objectum amandum. Involuntarium, vis & coactio opponuntur ſpontaneo, & voluntario. Quamobrem qui lubenter, & voluntariè, atque ſpontaneè agit, is liber à coactione dicitur; & tamen iſtum eumdem imaginari eodem tempore poſſumus *non liberum à neceſſitate eſſentiali*. Ità animalia bruta eò quòd, ut oculis noſtris apparet, lubenter, & cum delectatione, aut ſi mavis dicere, non reluctantia, neque repugnantia, cibum, potum, & venerem identidem appetunt, & tamen neceſſitate id facere dicuntur, libera dici non poſſunt à neceſſitate, etiamſi libera ſint à coactione.

His poſitis, memoriâ recolendum, contendi ſolvere à Calvino ejúſque gregariis, hominem in actionibus moralibus

libus neceſſariâ quapiam impreſſione rapi, ac determinari ad unum ante omnem ſuæ voluntatis ac arbitrii motum ac nutum, adeò ut eligendi poteſtate ac libertate careat. Concupiſcentia prava, ac homini innata, Præſcientia Dei, Prædeſtinatio, Gratia, aut aliæ hujuſmodi cauſæ, ſecundum ipſos, electivam homini Potentiam eripiunt, ipſúmque adeò liberum Arbitrium. At cùm fieri poſſit, ut ad ea, quæ homo non facere non poteſt, (neceſſitate quippe antecedenti atque ſecreta raptus) moveatur quoque illius voluntas non coactè, ſed ſpontaneè, ſivè lubenter; hinc liberum hominis Arbitrium, ſi eoſdem Hæreticos audimus, ſitum eſt in hac una *Libertate à coactione* non autem in *Libertate à neceſſitate*. Quantum à recta ratione, à divinarum ſcripturarum documentis, & à ſanctorum Patrum ſententia abſit, ac abhorreat hujuſmodi commentum, non eſt hujus loci oſtendêre Meminiſſe tantummodo juvat, nihil à Fati aſſertoribus, à Manichæis, aliiſq; id genus hominibus, quos tantopere Chriſtiana execratur Eccleſia, differre iſtorum opinionem; homines verò hoc pacto in pecudum ſortem demitti, nulliúſque reverà meriti aut demeriti, laudiſque ac vituperationis capaces amplius eſſe dicendos. Auguſtinum verò in hac ſententia ſibi præceſſiſſe, jactitant Hæreticorum recentium Scholæ, iſtorúmque clamoribus nihil cunctatur adhibere fidem Phereponus noſter, ne carpendi Auguſtini tam bella ſibi elabatur occaſio. Sed aliter ſenſiſſe Auguſtinum, jam per alios patuit, & adhuc noſtrâ, ut ſpero, oratione palam fiet.

Arbitrium ergo hominis liberum eſſe ab antecedenti neceſſitate, hoc eſt præditum ſuâ eſſentiali libertate, atque electivâ poteſtate, ità ut nihil voluntatem ad ſuos actus, & ad eligendum ante determinet, atque ut ità dicam neceſſitet, quàm ipſa voluntas libero motu ſeſe ipſa ad unam partem eligendo inclinet: doctrinam ſemper fuiſſe Sancti Auguſtini, ea perſuadent, quæ ipſe variis in locis in hanc ipſam rem peculiariter intentus ſcripta reliquit. Et in primis quod eſt ad peccandum negat ille omnem in voluntate antecedentem neceſſitatem. In Lib. 3 de lib. Arb. Cap. 18. ait: *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur & non peccabitur.* Mox ſubdit: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt* Si ſecretâ neceſſitate, atque determinatione præviâ ad unum, homo aliquod opus pravum agit, utique nullo modo cavere illud potuit. Ergo ſine culpa erit;

quia nulla ex parte liberum ipſi fuit ſecùs agere, neque ipſe neceſſitatem ſibi fecit, ſed factam aliunde ſenſit. At certum eſt Auguſtino, homines reverà peccare ſæpè ac ſæpiùs ergo certiſſimum eſt Auguſtino, libertatem ab antecedenti neceſſitate ſupereſſe vel poſt Adami lapſum. Eadem fuſiùs repetit Sanctus Doctor in Lib. de duabus Animabus Cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quicquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus, &c.* Vide & eumdem in Lib. de vera Relig. Cap. 14. & in Lib. contra Adimantum Cap. 27 & in Lib. 2. contra Fauſtum Cap. 5. & in aliis locis Librorum de Lib. Arb. Quod autem eſt ad bonum faciendum, ne tunc quidem neceſſitate ferri hominem, ſed quidem ſini liberè agere, auctor eſt non uno in loco Auguſtinus. Celeberrima ſunt, quæ ille habet in Lib de Spiritu & Littera Cap. 34. *Miſericordia ejus prævenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Iiſdem ferè verbis de libertate ad malum perpetrandum pronuntiavit in Pſalm 91. inquiens: *Non ceſſat Satanas ſuadere malum: ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum. In tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire.* Alia omitto loca, quibus Sanctus Auguſtinus, Eccleſiæ Catholicæ concors, humanæ voluntati facultatem, & non de nomine tantùm, ſed veram ac innatam poteſtatem tribuit reluctandi & reſiſtendi divinæ Gratiæ.

Sed quia loca ſuperiùs aut deſcripta, aut indicata, quibus *eſſentialem Arbitrii libertatem* Auguſtinus deprædicat, omnia ferè deprompta ſunt è Libris contra Manichæos compoſitis; Phereponus autem contendere poteſt, Auguſtinum hoſtibus mutatis ſententiam quoque mutâſſe: conſulamus & Libros Auguſtini contra Pelagianos, ubi eadem repetit atque confirmat In Lib. de Natura & Gratia Cap. 65. Pelagianis Sancti Hieronymi auctoritate abutentibus ità reſpondet: *Item quod ait* (Pelagius) *à memorato dictum eſſe Presbytero: Liberi Arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt; quis non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat?* Vide & Cap. 64. & 66. & 32. & 43. ejuſdem Libri. Ad hæc in Lib. 2. Cap. 3. de Nuptiis & Concupiſc. objicienti Pelagio, eos ſtatim infamari, qui liberum affirment Arbitri-

bitrium, reſpondet Auguſtinus: *Non itaque, ſicut te atque alios fallens loqueris, ſi quis liberum in hominibus Arbitrium dixerit, Cœleſtianus, & Pelagianus vocatur: iſta quippe Catholica fides dicit, &c.* Itidem in Lib. de Spiritu & Littera Cap. 33 *Vult autem Deus, omnes homines ſalvos facere, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, ut eis adimat liberum Arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur.* Vide & Cap. 34. ejuſdem Libri, & Cap. 2. 3. & 15 Libri de Gratia & libero Arb. ubi fortiter prædicat humani Arbitrii libertatem à neceſſitate quacumque antecedenti.

Accedamus nunc ad Phereponum, & ab eo petamus, num ſibi videatur eſſentialem homini libertatem eripere, qui conſentire, aut diſſentire ſivè ad bonum ſivè ad malum in poteſtate ſemper relinquit humani Arbitrii? qui nos neceſſitate non trahi fatetur? qui libero Arbitrio benè aut malè uti nos agnoſcit, fatum execratur, liberúmque ad faciendum, & non faciendum animis noſtris motum facultatémque tribuit? At inquit Phereponus: Cur Auguſtinus voluntarium dumtaxat exigit ut actio mala jure dicatur Peccatum? Non voluntariè tantùm, ſed & liberè fiant neceſſe eſt, quæ laudem, aut vituperationem mereri debent. Verùm Phereponus æquiorem ſe erga Auguſtinum longè præbuiſſet, ſi viam potiùs intelligendi; atque in bonum ſenſum explicandi Auguſtini, quàm carpendi quæſiiſſet; Sanctus autem Doctor terminis, atque vocabulis, quæ nunc in Scholis obtinent, ſemper non eſt uſus; & voluntatis, ac voluntarii nomine facultatem electivam interdum ſignificavit. In Lib. de vera Relig. Cap. 14. quo reſpicit Phereponiana cenſura, inquit Auguſtinus, *uſque adeò peccatum voluntarium eſſe malum, ut nullo modo ſit Peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Hìc nomine *voluntarii mali* ſignificat Auguſtinus malum, quod à voluntate uti causâ verâ procedit, & conſequenter à libera cauſa atque electione oritur, omnémque antecedentem neceſſitatem excludit. Indicat id apertè ipſemet Auguſtinus infrà ſic ſcribens: *Si non voluntate malè facimus, nemo objurgandus eſt omninò, aut monendus: quibus ſublatis Chriſtiana Lex, & diſciplina omnis Religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis Arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* Vides hìc *liberum voluntatis Arbitrium*, vides

quia nulla ex parte liberum ipſi fuit ſecùs agere,neque ipſe neceſſitatem ſibi fecit, ſed factam aliunde ſenſit. At certum eſt Auguſtino,homines reverà peccare ſæpè ac ſæpiùs ergo certiſſimum eſt Auguſtino, libertatem ab antecedenti neceſſitate ſupereſſe vel poſt Adami lapſum. Eadem fuſius repetit Sanctus Doctor in Lib. de duabus Animabus Cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit,ſummæ iniquitatis eſt, & inſania. Quamobrem illæ animæ quicquid faciunt,ſi naturâ,non voluntate faciunt,id eſt, ſi libero & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus, &c.* Vide & eumdem in Lib. de vera Relig. Cap. 14. & in Lib. contra Adimantum Cap. 27 & in Lib. 2. contra Fauſtum Cap. 5. & in aliis locis Librorum de Lib. Arb. Quod autem eſt ad bonum faciendum, ne tunc quidem neceſſitate ferri hominem, ſed quidem ſini liberè agere, auctor eſt non uno in loco Auguſtinus. Celeberrima ſunt, quæ ille habet in Lib de Spiritu & Littera Cap. 34. *Miſericordia ejus prævenit nos. Conſentire autem vocationi Dei,vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Iiſdem ferè verbis de libertate ad malum perpetrandum pronuntiavit in Pſalm 91. inquiens: *Non ceſſat Satanas ſuadere malum: ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum. In tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire.* Alia omitto loca, quibus Sanctus Auguſtinus, Eccleſiæ Catholicæ concors, humanæ voluntati facultatem, & non de nomine tantùm, ſed veram ac innatam poteſtatem tribuit reluctandi & reſiſtendi divinæ Gratiæ.

Sed quia loca ſuperiùs aut deſcripta,aut indicata,quibus *eſſentialem Arbitrii libertatem* Auguſtinus deprædicat, omnia ferè deprompta ſunt è Libris contra Manichæos compoſitis;Phereponus autem contendere poteſt,Auguſtinum hoſtibus mutatis ſententiam quoque mutâſſe:conſulamus & Libros Auguſtini contra Pelagianos, ubi eadem repetit atque confirmat In Lib. de Natura & Gratia Cap. 65. Pelagianis Sancti Hieronymi auctoritate abutentibus ità reſpondet; *Item quod ait* (Pelagius) *à memorato dictum eſſe Presbytero: Liberi Arbitrii non condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt; quis non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat?* Vide & Cap. 64. & 66. & 32. & 43. ejuſdem Libri. Ad hæc in Lib. 2. Cap. 3. de Nuptiis & Concupiſc. objicienti Pelagio, eos ſtatim infamari, qui liberum affirment Arbitri-

bitrium, reſpondet Auguſtinus: *Non itaque, ſicut te atque alios fallens loqueris, ſi quis liberum in hominibus Arbitrium dixerit, Cœleſtianus, & Pelagianus vocatur: iſta quippe Catholica fides dicit, &c.* Itidem in Lib. de Spiritu & Littera Cap. 33 *Vult autem Deus, omnes homines ſalvos facere, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, at eis adimat liberum Arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur.* Vide & Cap. 34. ejuſdem Libri, & Cap. 2. 3. & 15 Libri de Gratia & libero Arb. ubi fortiter prædicat humani Arbitrii libertatem à neceſſitate quacumque antecedenti.

Accedamus nunc ad Phereponum, & ab eo petamus, num ſibi videatur eſſentialem homini libertatem eripere, qui conſentire, aut diſſentire ſivè ad bonum ſivè ad malum in poteſtate ſemper relinquit humani Arbitrii? qui nos neceſſitate non trahi fatetur? qui libero Arbitrio benè aut malè uti nos agnoſcit, fatum execratur, liberúmque ad faciendum, & non faciendum animis noſtris motum facultatémque tribuit? At inquit Phereponus: Cur Auguſtinus voluntarium dumtaxat exigit ut actio mala jure dicatur Peccatum? Non voluntariè tantùm, ſed & liberè fiant neceſſe eſt, quæ laudem, aut vituperationem mereri debent. Verùm Phereponus æquiorem ſe erga Auguſtinum longè præbuiſſet, ſi viam potiùs intelligendi; atque in bonum ſenſum explicandi Auguſtini, quàm carpendi quæſiiſſet; Sanctus autem Doctor terminis, atque vocabulis, quæ nunc in Scholis obtinent, ſemper non eſt uſus; & voluntatis, ac voluntarii nomine facultatem electivam interdum ſignificavit. In Lib. de vera Relig. Cap. 14. quo reſpicit Phereponiana cenſura, inquit Auguſtinus, *uſque adeò peccatum voluntarium eſſe malum, ut nullo modo ſit Peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Hîc nomine *voluntarii mali* ſignificat Auguſtinus malum, quod à voluntate uti causâ verâ procedit, & conſequenter à libera cauſa atque electione oritur, omnémque antecedentem neceſſitatem excludit. Indicat id apertè ipſemet Auguſtinus infrà ſic ſcribens: *Si non voluntate malè facimus, nemo objurgandus eſt omninò, aut monendus: quibus ſublatis Chriſtiana Lex, & diſciplina omnis Religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis Arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* Vides hîc *liberum voluntatis Arbitrium*, vides

vides homines Deo, aut peccato ſervire liberaliter; ergo liberâ voluntate, non neceſſitate. Imò ipſemet Auguſtinus neceſſitatem hanc opportunè nominans, eam ab Arbitrio hominum prorſus excluſit. Lib. autem 1. Cap. 13. Retract. non deſtruit hujuſmodi ſententiam, ſed rurſus confirmat. Peccata quippe quæ ipſe tantummodo peccata appellat, prorſus à voluntate electiva eſſe dicit; illa verò quæ peccata ſimul ſunt, & pœna peccati, atque ab homine perpetrantur ſuæ cupiditati relicto in pœnam præcedentium criminum, quanquam non voluntariè facta videantur, ſed quidem ex neceſſitate, attamen & ipſa Auguſtinus voluntaria eſſe agnoſcit, hoc eſt à libera voluntatis electione facta. *Quamvis*, inquit, *& illa quæ non IMMERITO non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à neſcientibus, vel à coactis perpetrantur, non omni modo poſſunt ſine voluntate committi; quoniam & ille, qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum. Et ille qui concupiſcente adverſus ſpiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Sed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſenſit volens, & in eo non facit, niſi quod vult, liber ſcilicet juſtitiæ, ſervúſque peccati.* Ubi patet, Sanctum Auguſtinum etiam in iis, qui concupiſcentiâ illecti ac rapti peccant, nullam agnoſcere præcedentem eſſentialem neceſſitatem, ſed quidem liberam voluntatis inclinationem: ſi enim nollent, non vincerentur, neque peccarent Et ſanè coactum pro invito prorſus, ac nullatenus voluntario, neque Sancti Patres, neque Hæretici accipere conſueverunt, cùm de ipſius voluntatis actionibus agebatur; ſed de externis tantùm actionibus accepêre, in quibus nullæ ſæpè numero poſſunt eſſe partes voluntatis. Tam quippe repugnat, actionem ſivè motionem voluntatis, non eſſe voluntariam, quam actionem intellectûs non eſſe intellectualem, & facultatis ſentientis non eſſe ſenſitivam. Itaque etiamſi à concupiſcentia cogi ad peccandum videatur homo, attamen & tunc eligit, & tunc liberè agit voluntas; ac proinde ex allatis S. Auguſtini verbis inferri nunquam poteſt, *voluntarium tantummodo id dixi, quod inſidet voluntati, quamvis liberum non ſit.*

Minùs moroſum ſeſe in Auguſtinum non prodit Pherepomus in notis ad Lib. V. Cap. 10 de Civ. Dei inquiens, *illic, ut & alibi, voluntarium atque liberum ab Auguſtino confundi, quæ in omnium hominum ſermone diſtincta ſunt; nam voluntate quidem adſentimur evidenti enuntiationi, ſed non libere; &*

volun-

voluntate ſimul cupimus felicitatem, ſed non liberè. Verùm ſi majorem cum Patribus & Scholæ Theologis familiaritatẽ habuiſſet Phereponus, vel eorum dicta ſincerè & candidè reminiſci vellet, intelligeret, & in hiſce voluntatis actionibus, quas non liberas ipſe Phereponus appellat, multos præter Auguſtinum agnoviſſe libertatem, hoc eſt libertatem ab antecedenti quacumque eſſentiali, ſive naturali neceſſitate, determinatione, aut impreſſione. Hinc dixerunt, Deum liberè cognoſcere, atque amare juſtitiam, veritatem & ſe ipſum, quanquam indifferentiam ad volendum contrarium ab ipſo excluderent; nimium quippe ſoliciti erant, ne turpe neceſſitatis, ac ſervitutis nomen Deo tribueretur, neve cauſam quampiam admitterent, cui ſubjiceretur Deus; qualem Ethnici in Fato perperam excogitârant. Itidem creatas mentes, quanquam pro ſua conditione ex Dei nutu omnino pendentes, affirmârunt Patrum atque Theologorum nonnulli, vel tum libertate frui, cùm ſeipſas amant, & felices eſſe cupiunt, tametſi non amare ſe ipſas, & felices eſſe nolle non poſſint. Quod idcirco affirmatum ab ipſis eſt, quia nullam præcedentem neceſſitatem, ac determinationem agnovêre, quâ ad ſe amandum, ac beatitudinem volendam rapiantur, atque compellantur; in eorum enim ſententia dilectio ſui, & gaudii quietiſque volitio, ſunt ipſa voluntatis facultas, atque ipſi voluntati aliquid ità eſſentiale, ut ſinè ipſo voluntas nec agere, nec eſſe poſſit. Contrà alii, inter quos videtur eſſe Sanctus Thomas, libertatem in memoratis actionibus tum Dei, tum hominum non agnovêre: quorum utique loquendi ratio præferenda eſt, tanquam magìs conſona ideis atque notionibus communibus, quibus id tantùm appellare *Liberum* ſolemus, cui eſt indifferentia, hoc eſt, potentia volendi, & non volendi aliquid. Sed hujuſmodi contentiones ſunt de nominibus potiùs quàm de rebus. Videndum eſt, an Sanctus Auguſtinus in actionibus moralibus hominum viatorum nullam aliam libertatem ſtatuat, quàm quæ Creatori dicitur ineſſe in amando cùm ſe ipſum, tum virtutes, aut quæ creatis mentibus in generaliter appetendo bono ab ipſo Auguſtini adſcribitur, immo an eamdem homini viatori ad actiones malas ac bonas, ad quas indifferentiam Phereponus exigit, exigimus & nos, neceſſitatem tribuat, quam brutis tribuimus. At certum eſt, in eodem Lib. V. Cap. 10. de Civ. Dei Auguſtinum tradere hujuſmodi actiones in poteſtate eſſe humani Arbitrii, hominémque

que liberè & ſine eſſentiali, præcedenti, ſivè naturali neceſſitate ac determinatione, ad eas ferri, ità ut hujuſmodi volitiones voluntati non ineſſent, niſi ipſa voluiſſet, aut vellet. Quod ut pateat, atque ut Janſenianis quoque ſimul reſpondeatur hoc Sancti Auguſtini loco abutentibus, conſiderandum priùs eſt, quis ibi ſit Auguſtino ſcopus.

Contra Ciceronem, & Stoicos, in quorum Libris negabatur Deo *Præſcientia futurorum contingentium*, agit Auguſtinus. Verebantur nempè Philoſophi illi, ne ſi divina Præſcientia admitteretur, peſſumiret tota humani Arbitrii Libertas, & Facto invecto, poſitâque ineluctabili neceſſitate agendi, nullum ſupereſſet laudis aut vituperationis argumentum in hominibus. Eumdem ferè timorem ac opinionem ab Orco rurſum excitavit Socinus, eandémque in illius aſſeclis fervêre adhuc intueor, quibus jamdudum alii accenſuêre Phereponum noſtrum. Contrà Auguſtinus præſcientiam futurorum ſine magna impietate, & ſine ſacrarum Litterarum contemptu, negari non poſſe Deo, oſtendit; indè verò non conſequi ait, ut homini libera eripiatur agendi & non agendi, volendi & non volendi electiva poteſtas. Quamvis enim neceſſe ſit, ut quæ Deus præſcivit ab æterno, in tempore fiant, Deus tamen cùm ſimul præſciverit, voluntates hominum liberè, quodcumque volunt, præviſo tempore operaturas, ſuâ illâ præſcientiâ nihil detrahit eſſentiali hominis libertati. Cum verò dicatur, nec injuriâ, neceſſum eſſe ut ea, quæ præſcivit Deus, fiant: reſpondet Auguſtinus, neceſſitate hujuſmodi non adimi hominibus libertatem Arbitrii, quippe cum libertate aliquod etiam neceſſitatis genus conſiſtere poteſt, quod Auguſtinus oſtendit quibuſdam exemplis. Aliud nimirum neceſſitas eſt, *quæ non eſt in noſtra poteſtate*, hoc eſt, per quam, & propter quam aliquod neceſſariò fit, ità ut eligendi poteſtatem nobis eripiat, qualis eſt neceſſitas mortis. Manifeſtum autem inquit eſſe, non huic neceſſitati humanas voluntates ſubdi. Aliud eſt neceſſitas, ſecundùm quam neceſſarium ſimpliciter eſt, ut aliquid fiat, eâmque minimè libertati officere ſentit Auguſtinus. Refert porrò ad poſtremum hoc neceſſitatis genus, cùm dicimus: *Neceſſe eſt, ut Deus ſemper vivat, ac præſciat futura:* quod cùm à nulla antecedenti neceſſitate eveniat, ſed quia Deus nullius neceſſitatis ſervus id liberè ipſe vult, id proptereà fiat, Deus autem ſemper ſuâ voluntate id ſit voliturus: hinc Auguſtinus liberum ſimul & neceſſarium

rium appellat. Aliud neceſſitatis exemplum affert Auguſtinus, cùm nempe dicimus: *Neceſſe eſt eſſe, ut cùm volumus, libero velimus Arbitrio.* Quandoquidem enim nulla neceſſaria, inſuperabilis, ac ſecreta vis, nulla cauſa antecedens ad unum impellit, rapit, aut determinat voluntatem noſtram, ſed ipſa voluntas noſtra hoc unum eligit, cùm poſſet & alterum eligere ſi vellet: propterea liberum cognoſcimus in nobis eſſe Arbitrium, etiamſi neceſſe ſit, ut cùm volumus, libero velimus Arbitrio. Iſtiuſmodi neceſſitas non eſt cauſa noſtrarum volitionum; ſed potiùs volitiones ipſæ, quæ aliter eſſe non poſſunt, niſi liberæ ſint, cauſa ſunt iſtius neceſſitatis. Quare utì impoſſibile eſt, hominem eſſe, & carere eſſentiali facultate ac libertate eligendi, ità impoſſibile eſt, hominem aliter velle, quàm libero velit Arbitrio. Neceſſe ergo eſt homini voluntate liberâ velle, vel nolle, quia naturalis & inſita eſt hujuſmodi facultas; non eſt tamen volendi hoc aut illud ſive nolendi ipſa actio neceſſaria.

Hinc Auguſtinus infert, præſcientiâ Dei poſitâ, libertatem Arbitrii nequaquam perire; ſiquidem Deus dum determinatè præſcit ac prævidet futura contingentia, ſimul præſcit, homines ad ea ſeſe determinaturos liberâ electione, & eos aliter præſcire nequit, niſi liberos in eligendo, hoc eſt nullâ antecedenti impulſione ſive neceſſitate præreptos. *Non eſt autem conſequens* [dixerat ille Cap IX. ejuſdem Lib. V. de Civitate Dei,] *ut ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideo nihil ſit in noſtræ voluntatis Arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, ejúſque præſcientiâ continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt.* At quia Capite ſequenti utì vidimus, Sanctus Auguſtinus liberum agnoſcit Deum, liberos etiam agnoſcit homines, quanquam & in illo, & in iſtis quamdam neceſſitatis ſpeciem fateatur, vide ne paritatem ac ſimilitudinem hujuſmodi in omnibus cohærere credas; vide ne eamdem ipſiſſimam, quod eſt ad opera contingentia, libertatem & neceſſitatem in hominibus ſuſpicere, ac in Deo eſt ad præſcienda futura, ad vivendum, ad amandum ſe ipſum. Id à mente Auguſtini planè abhorreret; ac certiſſimè abhorret. Quanquam liber appelletur Deus ad amandum exempli causâ ſe ipſum, quia nulla ei ſuperior neceſſitas dominatur, quia non cœco modo, non irrationabiliter, ut in brutis accidit, ſed cum clariſſima viſione & conſideratione ſuæ naturæ ac eſſentiæ amat ſe ipſum, & vult ab hoc

 amo-

amore nunquam deſiſtere: attamen ea non eſt in hac parte divina libertas, ut indifferentiam complectatur, poſſitque, ſi velit, contraria amplecti. *Neceſſe eſt enim Deum ſemper vivere, & cuncta præſcire*, ut inquit ibi Auguſtinus, cui addimus, *neceſſe eſt & amare ſe ipſum*, &c. Exemplo omnipotentiæ id percommodè ab eodem Auguſtino explicatur: *Sicut nec poteſtas ejus minuitur, cùm dicitur mori, fallique non poſſe, ſic enim hoc non poteſt, ut potiùs ſi poſſet, minoris eſſet utique poteſtatis.* At hominis libertas, ut ut ſimilis prorſus divinæ ſit, hoc eſt, indifferentiâ careat, in generaliter appetenda felicitate: in actionibus tamen contingentibus, atque ſingularibus, libertate fruitur indifferente, & minimè ad unum determinatâ, ſempérque velle & non velle in ejus omnino poteſtate eſt. Quod nunc vult, poterat non velle; & velle poterat, quod nunc fugit, neque ab ulla neceſſitate, quæ præceſſerit liberam electionem unius potiùs quàm alterius, rapta eſt ad unum ità eligendum, ac volendum, ut alterum eligere ac velle non poſſet Eadem pariter libertas ac indifferentia in Deo eſt ad facienda extra ſe opera quædam, quæ facere, & non facere pro ſua voluntate poteſt.

Audi Auguſtinum hoc idem apertè de hominibus eodem Cap. ac Lib teſtantem: *Sunt igitur noſtræ voluntates; & ipſæ faciunt, quidquid volendo facimus, quod nunc fieret, ſi nollemus.* Nulla ergo antecedens neceſſitas humanæ voluntati jugum imponit, ipſámque ſecum rapit, ſed ipſa voluntas propriè, primitus, ſimpliciterque, humanarum actionum cauſa eſt (quanquam ad bonas neceſſaria ſit, ut dicemus, Dei gratiâ;) adeóque libera eſt, ut potuerit pro ſua innata facultate nolle facere quod fecit, ipſúmque nolle facere futurum fuiſſet cauſa, ne illa actio eſſet. Similis ergo eſt Deus hominibus, ad imaginem ſuam creatis, quòd tum ille, tum iſti liberè ab Auguſtino dicuntur amare ſe ipſos ac felicitatem, quamvis contrarium amare ac velle non poſſint, & neceſſarium ſit eorum eſſentiæ ità velle. In altero quoque genere libertatis, quæ verè ac propriè libertas eſt, ſimiles ſunt, quia neque Deus, neque homines determinati ſunt ad volendum unum potiùs quàm alterū in rebus quibuſdam ſingularibus; atque in hoc ultimo non ſolùm à coactione, ſed à quocumque *Neceſſitatis* nomine liberi ſunt. At nequaquam eodem pacto liber eſt Deus in generaliter amanda felicitate, virtute, & ſe ipſo, ac eſt homo ad unum potiùs quàm alterum contingens volendum. Nos homines, inquit Auguſtinus, *ſi volumus eſt, ſi nolumus, non eſt*. Quis contrà

audeat

audeat dicere: *Sic Deus amat virtutem, ac ſe ipſum, ut ſi nollet, non amaret?* Hinc Auguſtinus *beatam neceſſitatem* alibi appellat hoc ipſum in Deo non poſſe non amare ſe ipſum. Hæc autem neceſſitas amandi ſui ipſius itidem eſt in homine; at nulla homini neceſſitas eſt ad volenda ſingularia, ſive bona, ſive mala, uti neque Deo ad volendum extra ſe hoc potiùs quàm illud. Ea verò neceſſitas, quæ ex Præſcientia quodammodo provenit, ſinè libera electione noſtra non fit, ideóque diverſa eſt ſecundùm Auguſtinum ab ea neceſſitate, quæ in noſtra poteſtate non eſt Voluntatem quippe hominum, imò & volitiones quarumcumque ſingularium actionum, liberas, & ad nullam partem determinatas Deus etiam præſcit. Quamobrem rectiſſimè Auguſtinus infert, nullo modo nos cogi, *aut retentâ Præſcientiâ Dei, tollere voluntatis arbitrium; aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas eſt, negare præſcium futurorum.* Exigebat ſuprà Pherepónus, ut Auguſtinus memoratum in his verbis Arbitrium, etiam liberum dixiſſet, id eſt in utramque partem flexile; ſuſpicionem ingerens, ne fortè callidè, aut imperitè eam vocem reticuerit Auguſtinus ut nomen Arbitrii retineret, rem autem negaret. At quis facilè non intelligat, *Arbitrii* nomine illic ſignificari ipſum àrbitrium liberum, poteſtatem videlicet electivam homini eſſentialem. Nonne ſuprà Auguſtinus hanc vocem cum arbitrio conjunxerat? Planè, inquit enim: *Sicut cùm dicimus, neceſſe eſſe, ut cùm volumus, libero velimus Arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipſum liberum Arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem.* Quî ergo ſubdolè Auguſtinus omiſerit infrà *Liberi* vocem, ut liberum eſſe Arbitrium neget, cùm ipſe in ſuperioribus palam edixerit, *neceſſe eſſe, ut cùm volumus, libero velimus Arbitrio?*

Sed inquit Phereponus, *ſi Ciceronianus aliquis Philoſophus repoſuiſſet Auguſtino* (præſcientiam futurorum Deo tribuenti) *negâſſet ab Auguſtino retineri liberum Arbitrium,* Id & ego ſuſpicor Auguſtinum repoſiturum fuiſſe Ciceronianum aliquem; & hoc idem velle nunc reponere alienis verbis Phereponum ipſum mihi facilè perſuadeo. At reſpondere pro Auguſtino acutus quiſq; & ſincerus homo poſſet, Ciceronianum iſtum (aut ſub Ciceroniani perſona loquentẽ Phereponum) nimium confidenter accuſare negati liberi Arbitrii Auguſtinum, neque aliunde accuſationem hanc oriri quàm aut ab ingenio ſophiſtico, aut à ſolemni incogitantia. Cujus rei argumento ſint alia quædam verba eodem c. 10. lib. 5. de Civ. Dei, quæ cùm Phereponus aut legere nolue-

&c. & præmia, & pœnas, docet & ipſe, fruſtra hæc eſſe, ubi homines à coactione tantùm, & non etiam à neceſſitate, liberi ſint. Quæ profectò & nos veriſſima fatemur, Auctoréſque Pherepono ſumus, ut eadem in Gomariſtas, Calvinianóſque rigidiores majori etiam voce tonet, ex quorum ſententiis reverà conſequitur, fruſtra promulgari leges, injuſtáſque eſſe pœnas ac præmia. At quid hæc ad Auguſtinum tam à Calvini opinione hìc diſtans, quàm Phereponus alibi à Religione Catholica. Quid rurſus ad Auguſtinum, quæ in ſequenti animadverſione Phereponus? De homine dixerat Auguſtinus, ut vidimus: *qui ſi nolit, utique non peccat; ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.* At Phereponus: *Certè ſi nolit homo, non peccat; ſed oportet, ut poſſit velle ac nolle, ut ſit peccati capax; oſtendendúmque fuerat contra Ciceronem, Deum poſſe præſcire id futurum, quòd potuerit nolle is, qui facturus eſt.* Tum quaſi de proſtratis Auguſtini cavillationibus triumphum ducens, ſibíque plaudens, in hæc verba deſinit: *Hinc liquere poteſt, quantum ſit diſcrimen inter Rhetoricas argutias, & Philoſophicas ratiocinationes.* Bone Deus! neque veretur Phereponus, ut ne ſibi inter glorioſos milites ampliſſimus aliquis aſſignetur locus? Quæ pauca ille huc adfert; Philoſophicæ ratiocinationes ſunt: quæ multa Auguſtinus, Rhetoricæ argutiæ.

Quiſquis eſt in literaria palæſtra aliquantulum exercitatus, continuò intelligat, leviſſimas haſce nebulas, quas rationibus Auguſtini objicit in hoc loco Phereponus, non aliunde venire, quàm ex ignoratione aut diſſimulatione Theologicæ eruditionis. Cum Auguſtino conſentiunt SS. Patres, nobiléſque Theologi ac Philoſophi vel ex ipſis Ethnicis, nedum è recentiorum ſæculorum Scholis, Deum certò prænoſcere futura contingentia. Id Catholici omnes in ſuis Scholis contra Phereponum ejúſque magiſtros non ſolùm quotidie ac paſſim docent, certiſſimúmque eſſe confirmant; ſed ſimul, contra Calvinum, Arbitrii humani libertatem nequaquam hinc lædi oſtendunt. Nempe Calvinus ac Phereponus in extrema ruunt; Catholica verò Eccleſia medium tenet, non divinam Præſcientiam minus, quàm humanam libertatem in ſacris Literis, atque in Libris Patrum æquè deprædicatam deprædicans atque concilians. Cui ergo è noſtris indignationem movere non poſſit, audire Phereponum tum impiè detrahentem Deo ſcientiam futurorum contingentium, tum Auguſtino adeò procaciter inſultantem, tanquam triobolari declamatori, quòd hanc ſcientiam in Deo, ſimúlque liberum in homine

mine

mine Arbitrium prædicet? Et quibus quæſo tam ſolidis argumentis id facit Phereponus? *Certè*, inquit, *ſi nolit homo, non peccat; ſed oportet, ut poſſit velle ac nolle, ut ſit peccati capax*. Rem planè certam ediſſerit hic Scriptor, ſed belliè contigit, ut ante mille & trecentos annos hoc idem noverit Auguſtinus, pluribúſque in locis ità ſe ſentire affirmârit. Nonnulla in hanc rem Auguſtini documenta jam produximus. *Oſtendendúmque fuerat contra Ciceronem* (pergit dicere Phereponus) *Deum poſſe præſcire id futurum, quod poterit nolle is, qui facturus eſt*. At hoc idem eſt, quod ſive nolit, ſive non poſſit intelligere Phereponus noſter, oſtendere cònatur, & ſatis oſtendit Auguſtinus in eo ipſo Libro de Civ. Dei, & in Lib. 3. Cap. 3. & 4 de lib. Arb. oſtendúntque tot editis libris, & paſſim, in Catholicorum Scholis Theologi. Iterum ergo Auguſtinum legat hic Cenſor; legat & libros Dialecticorum, atque Theologorum; ediſcétque non impediri per divinam Præſcientiam, quominus homo, qui aliquid mali facturus prævidetur, poſſit etiam nolle facere aliter quàm eſt facturus, ſi velit; nam futura quæque contingentia ab æternitate præſentia ſunt Deo, atque ab eo ſciuntur non ſolùm fieri, ſed etiam liberè fieri à nobis. Et ſicuti qui currentem videt, minimè aſpectu ſuo currentem potiùs huc quàm illuc facit: ità ſi humana licet componere divinis, Deus omnia tempora uno intuitu complectens, omnes hominum volitiones futuras videt ſibi præſentes; neque ipſe eſt, qui ad unum voluntates addicat, ſed ipſæ voluntates ſunt, quæ liberè ad alterutrum, ſponte ſeſe ad unam partem determinant, atque in eo ſtatu videntur, ac ſciuntur à Deo. Idem nempe eſt in oculis Dei, videre nunc nos agentes, ac prævidiſſe, utì nos dicere ſolemus, ante decem annorum millia agentes & ſicuti qui nunc nos agentes intuetur, non facit, ut ſinè libertate agamus; ità Deus prævidens ante decem annorum millia nos acturos, ſive nos nunc agentes, non fecit, nec facit, ut nos liberè nunc non agamus, cùm ſemper nos prævideritt liberè acturos, ſive ut melius dicam, videat nos liberè agentes. Cum his verò hactenus dictis egregiè cohæret, hominem ſinè Dei gratia ad bonum ſalutariter volendum determinare ſeſe non poſſe, utì infrà demonſtrabitur.

CA-

CAPUT VIII.

S. Auguſtinus cùm deperditum in homine liberum Arbitrium ait, ſolùm de Libertate accidentali & conſequente ad bonum faciendum loquitur, neque eſſentialem, ſeu antecedentem neceſſitatem ad malum homini tribuit, ſed accidentalem & conſequentem. Quid ſint hæ neceſſitates ac libertates, oſtenditur. Afferuntur & explicantur varia Auguſtini loca. De libertate tantùm accidentali ad bonum inter Catholicos & Pelagianos lis fuit. Poteſtas, non Libertas operandi boni in hominibus deperdita poſt peccatum Adami. Quæ ſimilitudo intercedat inter hominem factum in bello ſervum, & hominem peccato addictum. Arbitrium tunc liberum ad Bonum, ſi liberetur à Deo. Correptio ac Oratio utiles ac neceſſariæ in ſententia quoque Auguſtini.

SEd ne quid diſſimulemus, intactum hactenus locum reliquimus, ubi Phereponus Auguſtinum tandem deprehendere ſibi viſus eſt apertum liberi arbitrii hoſtem. In Enchiridio ad Laur. c. 30. ſunt verba Auguſtini: *Libero Arbitrio malè utens homo & ſe perdidit, & ipſum.* Et rurſus: *Cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt liberum Arbitrium.* En ergo, (pag 579. Phereponus inquit) cùm Auguſtinus extra controverſiæ æſtum loquitur, non diffitetur, quin poſt Adæ peccatum prorſus perierit humani Arbitrii libertas. Poterat & ille Auguſtinum referre ità loquentem in Lib. de Perfect. Juſt. c. 4. *Victâ vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate Natura.* Et de Civ. Dei Lib. 14. c. 2. *Arbitrium voluntatis tunc eſt verè liberum, cùm vitiis peccatiſque non ſervit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt.* Vide & Lib. de Correpț. & Gratiâ Cap. 12. ut alia loca omittam. Sed quid inde? In his aliiſque ſimilibus locis libertatem homini eſſentialem, ſed accidentalem deperiiſſe; non neceſſitatem antecedentem, ſed conſequentem homini adhæſiſſe peccanti, Auguſtinus ſignificat. Jam duplex hoc libertatis, ac neceſſitatis genus ſuprà indicavimus; nunc opus eſt ediſſerere melius, quid ſit libertas accidentalis, quid neceſſitas conſequens. Utcumque

que anima noſtra eligendi, hoc eſt volendi; ac non volendi innatâ poteſtate ità ſit prædita, ut illâ privari nunquam poſſit, & ne cogi quidem ad unum volendum, ſi nolle perſeveret; attamen iſta libertas eſſentialis, indifferens, atque expedita ad utrumque, & ad amanda, aut non amanda innumera objecta, ipſius identidem voluntatis vitio, aliqua ex parte, imò ex multis imminui in homine poteſt. Atque ut de moralibus tantùm agatur, nunc homo ſe expeditum ac impulſum ſentit ad volendum hoc bonum, ad volendam hanc aut illam virtutem, nunc impeditum, atque impotentem. Rurſus ſe expeditum & impulſum nunc ſentit ad hæc aut illa prava opera volenda, nunc impotentem atque impeditum. Habitus, & affectiones, & cogitationes animi, ſive pravæ, ſive bonæ, itémque affectiones corporis, & externæ complures cauſæ, ea ſunt, quæ hujuſmodi varias impreſſiones in hominem faciunt, ipſúmque, ut ità dicam, rapiunt, modò ad amanda, modò ad fugienda opera ſpiritûs & carnis.

Homo autem aut juſtitiam amat, aut iniquitatem, atq; agit aut ex amore honeſto Dei, aut ex amore pravo mundi: quod cùm dicimus, non negamus, quin ſint medii quidam amores neque laudis atque virtutis, neque vituperationis atque peccati argumenta. Porrò cùm amamus juſtitiam, ſervi ſumus juſtitiæ, eidémq; ſervientes ac obedientes, expeditè ac facilè volumus, ac facimus, quæ generali huic virtuti congrua ſunt, difficilè verò contraria cupimus, atque operamur. Contrà cùm iniquitatem diligimus, ſervi ſumus iniquitatis; eique mancipati, quæ illa imperat, mirâ facilitate volumus atque præſtamus; ad contraria verò inertes atque impotentes nos eſſe ſentimus. Servi quippe faciunt, quæ domini præcipiunt. Promptitudinem ergo, vividámque potentiam volendi, & præſtandi, quæcumque congrua ſunt affectui in homine regnanti, libertatem eatenus appellamus, quatenus nihil illum impedit, quin ſectetur & agat deſideria domini ſui; aut etiam libertatem eo reſpectu, quo homo liber eſt & ſolutus à jugo ac imperio alterius oppoſiti effectûs. Neceſſitatem verò ac ſervitutem viciſſim dicimus impotentiam parendi contrariis affectibus, aut determinationem ad actus convenientes dominanti affectui. Sed tam libertas, quàm neceſſitas hujuſmodi accidentales ſunt atq; adventitiæ. Ab ea libertate eſſentiali, ſinè qua eſſe homo non poteſt, altera hæc libertas differt, quia & homini adeſſe, & abeſſe ab homine poteſt. A neceſſitate eſſentiali ac antecedente diverſa itidem eſt altera

hæc

hæc neceſſitas,ſiquidem & advenire,& recedere poteſt, neque antecedit,ſed conſequitur liberam voluntatis electionem. Quamobrem accidere videmus, ut homo nativam eſſentialémque ſui Arbitrii libertatem habeat, & tamen liber & expeditus æquè non ſit ad duo contraria,ſive oppoſita, ſed neceſſitate quapiam accidentali compellatur ad unum volendum, & ad alterum fugiendum. Quò verò major eſt vis dominantis cupiditatis, & affectus ſivè recti ſivè pravi,eò major etiam libertas,atque neceſſitas accidentalis; ità tamen ut quæcumque ſint determinationes ad unum, & impedimenta ad alterum, ſit ſemper in poteſtate hominis retinere aut dare aſſenſum ſivè honeſtæ ſolicitationi piorum affectuum,ſivè turbidis impulſibus iniquæ cupiditatis; hoc enim proprium eſt eſſentialis illius libertatis,quâ ne Deus quidem ſpoliare hominem valet.

Quæ autem diximus,non tam Philoſophiæ melioris cõſideratione, quàm ipſarum Scripturarum teſtimonio confirmantur. En *libertatem*,en *ſervitutem* ac *neceſſitatem*,adventitias atque accidentales. *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ* Rom.VI.20.Et infrà ℣.22.*Nunc verò liberati à peccato* Item Jo. VIII. 32. *Veritas liberavit vos*. Et ℣. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis*, *&c.* De potentia autem, aut impotentia, promptitudine aut difficultate agendi vel non agendi, volendi vel non volendi, quam in homine gignit dominans affectus, hæc alia habe: *A fructibus eorum cognoſcetis eos &c. Omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere,neque arbor mala bonos fructus facere.* Matth. VII. 16. 17. 18. Item: *Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali?* Item: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam,quæ à ſolo Deo eſt,non quæritis?* Item I. Jo. 3. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo,peccatum non facit,&c.* Alia omitto documenta ſacrarum Litterarum,ubi quid imperii in homine habeat iniquitas & concupiſcentia mala, & quid roboris alia ex parte caritas, evidentiſſimè conſtat.

Nunc ad Auguſtinum accedamus. Cùm ille dicit, *perditum* ac *amiſſum* fuiſſe liberum Arbitrium,nihil aliud ſignificare vult,niſi ad bonum faciendum, & ad volenda ac præſtanda caritatis officia, periiſſe in homine peccante primævam libertatem conditionis humanæ. Hoc eſt, hominem, poſtquam ſe peccato addixit, & regnantis concupiſcentiæ jugum ſubiit, promptitudine illâ & facultate deſtitutum fuiſſe, quâ primus homo pollebat ad ammandum incommutabile bonum, divinámque legem implendam, & con-

trà à dominante cupiditate acriter ferri ad amorem mundi & ad eligenda opera carnis, Niſi ergo divinis reparator nos liberet ab hujuſmodi vinculis, niſi gratiâ ſuâ atque inſpiratione caritatis, tyrannidem peccati, & concupiſcentiæ pravæ, ab homine volente depellat: nunquam liber & expeditus homo erit ad virtutem amandam, & ad peragenda opera juſtitiæ, uti, & quatenùs opus eſt ad æternam ſalutem conſequendam; ſed quidem expeditus erit, & liber ad obſequendum legi peccati, & ad prava opera complenda. Ex neceſſitate autem iſta accidentali, ſivè ex hoc libertatis adventitiæ defectu perire in homine eſſentialem naturaléṁque facultatem liberi Arbitrii nunquam auguſtinus dixit. Imò eam ſubſiſtere ſemper fatetur. In lib. de Gratia & libero Arbitrio Cap. 15. *Semper*, inquit, *eſt in nobis voluntas libera*. Ecce *eſſentialem* Arbitrii humani *libertatem*, quam ſola tollit *neceſſitas antecedens*, ab Ethnicis, & à Novatoribus excogitata, ab Auguſtino autem cum execratione negata. Tum pergit: *Sed non ſemper eſt bona. Aut enim à juſtitia libera eſt, quando ſervit peccato, & tunc eſt mala; aut à peccato libera eſt, quando ſervit juſtitiæ & tunc eſt bona.* Quibus poſtremis verbis deſignat Auguſtinus accidentales illas *libertates*, *ſervitutes*, *neceſſitates*, *potentias*, ac *impotentias*, quæ à pravis rectiſque affectibus veniunt, prout quiſque affectus malus ſivè bonus ad malum bonúmve hominem ſibi ſervum inclinat ac rapit. Et profectò cùm peccator ope divinâ, ſeu cœleſti gratiâ ſe privaverit, & concupiſcentiæ legibus ac imperio ſeſe addixerit: impedire ipſe non poteſt, quominus potentiam ad ulteriùs agendum bonum devinctam habeat, ſuáque voluntas ad ſolum malum eligendum ac perficiendum, ſi non abſolutâ neceſſitate, certè magno impetu, exinde rapiatur. Fides autem nos docet, non poſſe homines poſt Adæ calamitatem, ſuis viribus exſurgere è peccato, aut implere ſalutariter legem, aut vincere varios tentationum incurſus. Ergo homo peccati ſervus, & in ſe ipſo conſideratus, accidentaliter liber ad electionem boni, & ad virtutis opera non eſt, indigétque Servatoris gratiâ, quæ ipſius voluntatem à ſervitute, atque ab accidentali neceſſitate peccandi liberet, liberámque & expeditam faciat ad amplectendam atque ſervandam virtutem.

Itaque amiſſum ac deperditum in homine liberum Arbitrium, nihil aliud eſt Auguſtino, quàm iſta *libertas*, promptitudo, ac potentia ad bonum, quæ ſita eſt in quodam laudabili, ſed tamen accidentali ſtatu humani Arbitrii, ipſiúſque eſſentiam minimè deſtruit. De hac autem una libertate

lis

Digitized by Google

lis fuit inter Auguſtinum atque Pelagium, non autem de *eſſentiali libertate*. Aſſerebat Pelagius, non liberum minus eſſe Arbitrium filiorum Adami ad bonum faciendum, quàm eſſet ipſius innocentis Adami; ideóque putabat tales eſſe humanæ voluntatis vires, expeditámque adeò potentiam hominis ad opera caritatis, ut ſine adjutorio Dei perficere poſſet juſtitiam, vel ad eam tendendo proficere. Concedebat Auguſtinus, liberum adhuc eſſe hominis Arbitrium, quod eſt ad immunitatem à *neceſſitate antecedente*; at minimè in eo ſtatu eſſe, in quo erat Adami innocentis Arbitrium. Nunc enim captivam eſſe, debilem, infirmam, & peccati jugo attritam voluntatem, & malæ concupiſcentiæ aculeis exagitatam, ideóque adjutorio Dei indigere, atque inſpiratione caritatis. *Ad non peccandum*, inquit idem Auguſtinus unà cum quatuor aliis Epiſcopis in Epiſt. olim XCV. 177. ad Innocentium I. ſcripta, *id eſt ad non malè faciendum, quamvis eſſe non dubitetur Arbitrium voluntatis* (eſt ergo in poteſtate voluntatis negare conſenſum tentationi, atque non peccare;) *tamen ejus poteſtas non ſufficit, niſi adjuvetur infirmitas*. Audi & ipſum ità loquentem Lib. I. Oper. Imperf. Cap. 47. *Multa ſunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere: ſed nulli tam liberum eſt, quàm illi fuit, qui Deo ſuo, à quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat.* Alia ſunt in eodem Lib. I. quibus apertiſſimum fit, ſenſiſſe Auguſtinum, ſupereſſe adhuc naturalem illam hominum facultatem electivam, quæ neceſſitatis ad unum determinantis eſt inimica, & eſſe peccata, *quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, & à quibus liberum eſt abſtinere.* Quod ſi peccandi neceſſitatem in quibuſdam hominibus ille agnoſcit, non alia eſt Auguſtino neceſſitas hujuſmodi, quàm conſequens, & accidentalis, & à voluntate libera ſenſim inducta, conſuetudine videlicet peccandi, affectionibúſque pravis (liberâ electione ac volitione) in animum admiſſis.

Ut ergo regrediamur ad Cap. 30. Enchiridii Auguſtiniani, in quod magno molimine inſurgit Phereponus pag. 560. ſuarum Animadverſionum, jam palam fecimus, quid ſibi velit Auguſtinus, cùm inquit: *Libero Arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.* Et infrà: *Cùm libero peccaretur Arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum Arbitrium.* Servus peccati voluntariè peccando factus eſt homo; hinc ad bona facienda liber, expeditúſq; non eſt, ad mala autem victrice cupiditate raptum ſe ſentit. Ab hac ſervitute conſequenti, quæ cum naturali ac eſſentiali libertate voluntatis, ut vidimus,

benè conſiſtit, non liberat niſi gratia Dei. Egregiè mentem Auguſtini explicat Fulgentius in Reſponſ. ad primam Inquiſit. Ferrandi, ſcribens: *Malos habere liberum Arbitrium, non liberatum; liberari verò per gratiam. Ex quo enim primus homo libero Arbitrio venumdatus eſt ſub peccato, ideò mala cœpit eſſe libertas hominis, quia ipſi libero Arbitrio ablata eſt bonitas voluntatis.* Neque reticere poſſum præclariſſima Richardi Victorini verba, ità ſcribentis Lib. de Erud. Inter. Cap. 30. *Aliud eſt Arbitrii poteſtas, atque aliud eſt Arbitrii libertas. Aliud eſt enim magna poſſe, atque aliud eſt liberum eſſe. Et liber, & infirmus eſſe potes; ſicut è contrario & ſanus, & ſervus eſſe potes &c. Quàm multi in definitione liberi Arbitrii errant, quia inter poteſtatem, & libertatem diſtinguere ignorant, vel diſſimulant! Vide tamen quid interſit, cùm poteſtatem homo ſæpè amittat; libertatem verò nunquam amittere poſſit. Item nemo ad omnia bona accipit poteſtatem; ſed omnis homo ad omnia bona vel mala, accipit libertatem.* Quod Victorino *poteſtas* dicitur, *libertas* Auguſtino dicitur in eo Enchiridii loco. Hanc poteſtatem, ſeu libertatem & expeditam promptitudinem ad operandum bonum. Adamus ſibi conceſſam perdidit peccato ſuo, fecitq; ut eâ quoque nos careremus. Neque verò ille, neque nos unquam amiſimus inſitam vim electivæ ac liberæ voluntatis, uti neque poteſtatem, ſeu libertatem ad operandum malum. Imò & recuperare licet alteram poteſtatis partem, quâ bonum velle & facere ſalutariter poſſumus, ſi liberemur à ſervitute concupiſcentiæ atque peccati per gratiam divini Servatoris. Hinc Pelagianos putantes, Auguſtinum dicere, ſublatum fuiſſe liberum Arbitrium, quatenus electiva & eſſentialis animæ potentia eſt, ſivè facultas, ipſe his excipit verbis Lib. I. contra duas Epiſt. Pelagian. Cap. 2. *Quis noſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum Arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ &c. Nam liberum Arbitrium uſque adeò in peccatore non periit ut per illud peccent &c. Liberi ergo à juſtitia non ſunt, niſi Arbitrio voluntatis* (hoc eſt, ideò ſolùm iniqui ſunt homines, quia talis eſſe liberè voluit eorum voluntas) *liberi autem à peccato non fiunt, niſi gratiâ Salvatoris.* Vide & infrà, ubi eodem vocabulo, quo Richardus ſuprà, utitur Auguſtinus, Pelagium ità arguens: *Quid eſt, quòd iſte libero Arbitrio vult benè vivendi tribuere poteſtatem, cùm hæc poteſtas non detur niſi gratia Dei &c.* Vide & nuper laudatam Epiſtolam 177 olim XCV. ubi *libertatem* quidem, ſed non *poteſtatem* Arbitrii ad non peccan-

Digitized by Google

candum agnoſcunt Africani Patres In Enchiridio autem Cap. 30. eamdem planè & unicam ſententiam tradit vir ſanctus ſub aliis verbis.

Proinde ſuperfluum puto ſingillatim confutare Animadverſiones Pherepont in eumdem Enrichidii locum: quando aut ſuppoſito falſo laborant ejus argumenta, dum cenſet, Auguſtinum reverà, uti ſomniârunt Calviniani, eſſentialem Arbitrii libertatem ſuſtuliſſe, gratiámque Dei talem deprædicâſſe, cui reſiſtere ampliùs hominum non poſſit Arbitrium; aut Pelagianis opinionibus undique ſcatens ille, ſervitutem è peccato contractam viribus humani Arbitrii, & ſine gratuito ac interno Dei adjutorio, vinci poſſe arbitratur; & nullam agnôſcit gratiam Dei, quæ intimè in voluntates hominum operetur, aliáque ejuſmodi dogmata placidâ cum ſecuritate venditat, quaſi non jam millies confutata fuerint in Catholicorum ſcholis. Hoc unum prætermittere nolo, videlicet à Pherepono comparationem quamdam inſtitui, opponíque ſententiæ Auguſtini, ſed ità ut homo ille videatur & hîc ignorâſſe germana Scripturarum dogmata & humanæ naturæ miſeriam. *Ut nemo fit* (ſunt ejus verba pap. 580.) *in bello ſervus, niſi invitus, & quàm primum libertatem recuperare poteſt, occaſionem avidè arripit: ſic quoq; hominem, qui ſe à peccato victum animadvertit, ejúſque ſervitutis incommoda ſentit, ſi quis eum melius doceat, peccato libenter valedicere.* Addit infrà: *Vicit quidem peccatum, ejuſque ſervi facti ſunt homines, quia ei parere voluerunt; ſed nihil vetat ut nolint ei obſequi, præter conſuetudinem, quæ paulatim vinci poteſt: ut liquet ex eo, quod Deus omnes homines ad pænitentiam vocet.* Vide quæſo, quàm belle aduletur Pelagianus hic Cenſor miſeræ conditioni peccantium Nemo fit, niſi invitus ſervus peccati, occaſionémque recuperandæ libertatis avidè arripit, & peccato libenter valedicit, ubi quis eum melius doceat. Quis in hominum cœtu diu verſatus eſt, quis Ethnicorum ſapientum vitam & dogmata intellexit, quis populos adhuc à Chriſto, atque à Catholica Religione alienos novit, imò ſe ipſum novit, cæteróſque æquales ſuos: & Phereponum non rideat, aut doleat talia pronutiantem? Peccant homines, neque peccant inviti, imò liberè ac libenter in iniquitate volutantur, & ab incredulitate atque à tenebris emergere nequaquam volunt, nequaquam ſolent, quamvis tanto exhortationum ſtrepitu, tantâ prædicatione ſanctiſſimi Evangelii incitentur ad amplectendam Chriſti fidem, & ad ejurandam familiaritatem peccati. Nonne agnoſcis mancipia peccati, & ſervos erro-

erroris, quos unum delectat Domini ſui imperium, quos liberare nequit ſuis viribus nimium fractis miſera & cœca voluntas? Aut nolunt converti ad verum & bonum; aut ſi volunt, ineptiſſimè volunt.

Illud certiſſimum, poſſe eos converti, dum vivunt, nam libero Arbitrio quiſque fruitur, & neminem ad peccatum rapit antecedens aliqua atque ineluctabilis neceſſitas. At æquè certum eſt, eos nunquam ſuæ naturæ ſuique arbitrii viribus reapsè à peccato exurgere, & veram fidem amplecti, & amare fontem omnis boni. Neceſſaria eſt illius gratia atque adjutorium, qui jam edixit: *Sine me nihil poteſtis facere. Et nemo poteſt ad me venire, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, Jo. 6. Et, *Non vos elegiſtis, ſed ego eligi vos*, &c. Jo. 15. Deus autem, *cujus vult miſeretur; & quem vult indurat*. Et *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, Rom. 9. ut innumera alia tum ſacrarum Litterarum, tum ſanctorum Patrum loca prætermittam, quorum una vox eſt, non induſtriâ ac vigore voluntatis noſtræ, bonos & ſalvos homines fieri, ſed gratuitâ miſericordiâ, & forti adjutorio Dei. Homini ergo peccatori, ut vincat peccati conſuetudinem, & à peccato liberetur, non eſt ſufficiens virtus & vis arbitrii voluntatiſque propriæ; ſed ex divino auxilio ſufficientia noſtra procedit. Deus verò, etſi omnibus pro loco & tempore talibus auxiliis adſit, ut ſi quis rectè iis velit uti, poſſit & peccata vitare, & ad ſalutem pervenire; non omnibus tamen validiſſima illa impertitur auxilia, quibus non ineluctabiliter, ſed certiſſimè ſalvantur, quicumque ſalvantur. Quamobrem ſi haberi impius aſſentator humanæ naturæ non vult Phereponus, agnoſcat in ſua comparatione neceſſariam opem divinæ gratiæ, aut à comparationibus abſtineat, quæ rei propoſitæ minimè reſpondent. Ille tamen pergit Lectoribus credulis imponere, hæc alia ſcribendo eâdem pag. 560. *Ex locutione tralatitia, qualis eſt ſervire peccato, non ità ratiocinandum, quaſi ut captivus amiſit libertatem corporis, quam recuperare nequit, dum vinctus eſt: ſic qui ſervus eſt peccati, nunquam ejus dominationem excutere poteſt. Neque enim hominem captivum, cateniſque vinctum, & carcere clauſum hortatur quiſquam, ut excuſſis catenis carcere exeat, & niſi faciat indignatur; quia omnes nôrunt, non eſſe hoc in ejus poteſtate.* Utique dominationem peccati excutere homo poteſt, ſed non ſolo conatu ſuo, neque ſuis viribus id faciet (viribus quippe ad bonum ſe exuit ſemel, liberè & voluntariè peccando,) ſed quidem id faciet viribus divinæ gratiæ, quam Deus ſufficientem omnibus præbet. Externis ergo, inter-

interniſque gratiæ ſuæ vocibus vel unumquemque peccatorem Deus, etſi non momentis omnibus, nec influxu pari, identidem à peccato revocat, hortatúrque ad bonum, & auxiliatur, ut velit bonum. Quod quis pareat divino muneri, non ſuis viribus aut meritò homines tribuant; quod alii reſiſtant, eorum pertinaci voluntati in amanda iniquitate ac errore adſcribendum eſt. Audi Apoſtolum ità ſcribentem 2. ad Tim II. 25. 26 *Cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem; & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Plurimum autem ab homine captivo, cateníſque vincto, & carcere incluſo, quem ad exeundum horteris, differt homo, catenis peccati illigatus, quem horteris ad virtutem; nam ille quanquam exire de carcere velit, non poteſt, quippe corpus illius alienâ voluntate abhuc detinetur, invitúſque propterea ſervire ſervitutem, & carcerem non deſerere cogitur. Habet velle, non habet poſſe. Peccatorem verò, quominus exeat ac liberetur, nihil aliud impedit (poſitâ Gratiâ Dei) niſi ſua ipſius voluntas. Ut morales iſtæ catenæ cadant, huic ſufficit, ut velit; ſed miſer neglectâ voce repulſóque auxilio Dei, præſtare vult inter catenas peccati, quarum delectatione tenetur, & quas odiſſe neſcit. Jure ergo indignari Deus captivo huic poteſt, jure *Ira Dei manet ſuper ipſum*, quòd is volentem liberare contemnat, quòd oblatum auxilium reſpuat, & ideò ſolum in peccato perſeveret, quòd peccatum amare pertinaciter velit, nolitque diligere bonum. Neque juſtitiæ deeſt ipſemet Deus, ſi non omnibus momentis ſolicitat, neque unicuique gratiam illam impertitur efficacem, quæ cor hominis, intactâ libertate Arbitrii, ſuaviſſimè ad amorem boni certò convertit; nam homini, qui ſe liberè ac ſpontè ſervum fecit, & in carcerem ſe concluſit, injuriam non facit legitimus Dominus, ſi non omnem experitur artem, ut è carcere ac ſervitute eripiat. Dic ergo, peccatores ad inſtar hominis illius eſſe, qui legitimo domino liberè ac ſpontè poſthabito, ſe alteri addicit, atque ab ejus latere, ab hujus ædibus ac hortis divertere amplius neſcit. Eum quidem prior Dominus miſericordiâ tactus, officii debiti ſæpè monet, ſæpè minis, ac precibus, & ope oblatâ ad reditum urget, ac manum præbet, ſæpè etiam & pericula & exitus ad fugam digito oſtendit; & ut ſe placidiſſimum ac optimum dominum deprædicat & confirmat, ità & alterum ſæviſſimum ac fallaciſſimum tyrannum prodit.

Verùm homo infelix nunquam de propoſito dimoveri ſe patitur,& aut aures avertit, aut hortanti fidem non habet, aut etiam contemptum & contumelias iterùm ingerit; & cùm recipere ſe poſſit ad priorem dominum, alterius tamen delectatione. ac amore dulciſſimæ catenæ tantùm tenetur, ut ſuum tyrannum nolit omninò deſerere. Nonne homini ità agenti jure iraſcaris? Nunc pone,eſſe priori domino artes alias,quibus certiſſimè, minimèque fallaci ſucceſſu, & adhuc tamen ſine violentia,perducere ad ſe rurſus queat fugitivum ſervum; his autem artibus ipſum uti ad hunc potiùs,quàm illum ſervum ſibi recuperandum: nonne vides & miſericordiam ejus in hunc eſſe laudandam, & nihilominus de illius juſtitia conqueri alterum non poſſe, quòd tam efficaci brachio, artibúſque adeò certis, à carcere ac ſervitute ipſum prior dominus revocare noluerit? Ex his intellige (quantum tamen comparatio ferre poteſt) œconomiam, æquitatem, & clementiam Dei in diſtributione munerum, cœleſtíſque ſuæ gratiæ, ſine qua nihil ad bonum valet liberum Arbitrium, & quacum omnia poteſt.

Atque his animadverſis,liquebit etiam,quid Pherepono reſpondendum ſit, in Librum de Corrept. & Gratia inſurgenti pag. 618. Animadverſ. Fruſtrà ibi contendit novus Pelagii Hyperaſpiſtes, liberum Arbitrium ab Auguſtino auferri, eò quòd hic inquiat Cap. 1. *In bono liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus, &c.* Arbitrii *libertatem*, ut millies diximus, retinet Peccator; ſed non retinet vires ad bonum volendum, atque faciendum. Pelagianus noſter vellet in homine peccatore indifferentiam primi hominis, & eaſdem ad operandum bonum & malum vires. At nos expediti,fortéſque ſumus ad iniquitatis opera; infirmi & devincti ad opera juſtitiæ: quam infirmitatem, catenam atq; ſervitutem maximè peccato ſervientes in ſemetipſis ſentiunt. Potentiam ergo remotam, atque imperfectas vires habemus ad opera pietatis, non autem proximam atque perfectam; neque habituri ſumus, niſi nos liberaverit Deus, ſine quo nihil boni facere unquam poſſumus. Quare Aug. Li. 1. Cap. 22. Retract. ajebat: *In poteſtate hominis eſt, mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi detur à Deo, de quo dictum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, &c.* Ac propterea in eodem Cap. 1. Lib. de Corrept. & Gratia idem Auguſt. *confitendum eſſe* ait, *nos liberum Arbitrium & ad malum & ad bonum faciendũ habere,* quia nulla nos præcedens neceſſitas ante electionem noſtrã rapere poteſt ad bonũ aut ad malum. *In bo-*

ne

no autem liber (hoc eſt, expeditus, robuſtus, & ſolutus) *eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos Filius liberaverit tunc verè liberi eritis. Voluntas* enim, ut in Epiſt. olim 89. nunc 157. Cap. 2. inquit idem Auguſtinus, *tantò liberior, quantò ſanior; & tantò ſanior, quantò divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior.* Cæterùm neſcio, quid ſibi velit Phereponus adjiciens, quaſi hæc ſit Auguſtini ſententia, homines *ante regenerationem nihil niſi mala facere, bona nullâ poſſe; ſed facere mala volentes, & bona omittere nolentes.* Neque neceſſitate adacti, neque coacti homines ante Baptiſmum aut mala faciunt, aut bona omittunt; imò & bona quædam in genere morum facere tunc poſſunt cum generali adjutorio Dei, quanquam non *ut oportet*, ea faciant, neque ad ſupranaturalem felicitatẽ conducere ea poſſint ſinè ſpeciali gratia Dei.

Reliqua verò, quæ contra eumdem Librum de Corrept. & Gratia diſſerit idem Phereponus, aut ex iis opinionibus procedunt, quarum falsò Auguſtinum facit auctorem, aut ex impiis iis opinionibus, quas antea ipſe Phereponus adoptavit, Arminium ſecutus, ſive Socinum. Negat enim Deo ſcientiam futurorum contingentium, negat gratuitam atque infallibilem prædeſtinationem electorum. Præterea negat in homine neceſſitatem gratiæ ad bonum, ſed ejus utilitatem tantùm probat, negat originale peccatum, liberi autem arbitrii vulnera infirmitatémq; poſt Adamum non agnoſcit pro merito. Ad hæc Auguſtino affingit non ſolum ineluctabilis atque neceſſitantis gratiæ neceſſitatem, ſed etiam ſublati prorſus liberi arbitrii enormem ſententiam. Quid facias homini ſinè ullis frenis per divina Scripturarum myſteria & documenta excurrenti? Equidem meum non eſt, nec erit in tam anguſto campo oſtendere, quantũ à mente divinarum Literarum aberret Phereponus in ſuis hiſce opinionibus. Id jam præſtitêre contra alios Pherepónos innumeri Scriptores. Quòd ſi Catholicorum dogmata nituntur hìc auctoritate divinæ Scripturæ, atque antiquiſsimâ Traditione; diſcendum illi fuerat, intellectum captivare in obſequium revelantis Dei, & argutiis temperare, & difficultates comprimere, quas humani ingenii aut temeritas aut infirmitas excitare ſolent adversùs exploratã Chriſti atque Apoſtolorum doctrinam, intellectu interdum difficilem. Accedit, quod in ſententia quoq; Auguſtini (ſi eam Catholicis oculis legas, & Catholicâ interpretatione exponas) utilis eſt correptio, utiles ac neceſſariæ ad Deum ſunt preces: idque ex ipſo Lib. de Corrept. & Gratia patere poteſt. De nullius enim ſalute deſperare unquam debemus,

Digitized by Google

donec in iſta vita fuerit & cùm liberè nunc fiant, quæcumque ad æternam ſalutem aut perditionem fiunt, neque aliter à Deo iſta præſciantur, quàm liberè facienda homini: hinc orationi, quam Deus miſericors plerumque exaudit, & correptioni ſua utilitas eſt, atque etiam neceſſitas. Quanquam verò correptionis & orationis fructum Sanctus Auguſtinus ſentiat eſſe tribuendum Dei gratiæ, attamen non negat ille, quin hominibus Deus tantam gratiam ſuppeditet identidem, quâ proximè poſſint, ſi velint, divinâ miſericordiâ vires præſtante, proficere ex correptione, & oratione ad Deum fusâ. Totus ille eſt in oſtendendo, nos de noſtro gloriari non poſſe, ſed gloriari in Domino debere. Beneficentiam Dei in omnes non negat ille. Catholica autem Eccleſia apertiſſimè deprædicat veram ac ſufficientem gratiam nulli à Deo negatam, ità ut ideo tantum in ſe beneficii divini fructum non experiantur, qui perduntur, niſi quia Deo vocanti atque auxilianti reſtiterunt, atque reſiſtunt, cauſámque in ſe habeant, cur potentiori voce ac impulſu eos non excitet ac liberet Deus, & cur de ſe tantùm conqueri deinde debeant, quòd ſalutiferæ vocationi, & correptioni minimè obtemperârint.

Cæterùm illo argumento, quod anxios habet non rudes tantùm homines, ſed ipſos interdum doctiſſimos & acutiſſimos viros, utitur etiam Pherepomus in Auguſtinum, dum contendit pag. 618. ex iſtius ſententia conſequi, de futuris orandum non eſſe; *nam* inquit, *Dei decreta erga electos executioni mandabuntur, ſive ores, ſive taceas. Erga reprobos nihil fiet orationibus tuis. Ergo deſine fata Dei flecti ſperare precando.* Iterum dicimus, & Pherepono denuntiamus, hallucinari ipſum, quòd æternam hominum aut prædeſtinationem aut reprobationem ſibi fingat, ab Auguſtino & Catholicis omnibus ità ſuſtineri, ut aut ad efformandum, aut ad complendum divinum decretum nihil rei habeat humana voluntas. At dogma apud Auguſtinum eſt, ſinè liberâ hominis voluntate, quæ peccatum ante eligat, ac prævideatur eligere, neminem à Deo reprobari. Rurſus etſi ſinè nobis, & ex mera ſua miſericordia, non autem ex meritis noſtris, nos prædeſtinârit Deus, attamen ſinè conſenſu noſtræ voluntatis, atque adeò ipsâ repugnante, compleri divinum illud decretum nequit. Voluntates ergo noſtræ, licèt in tempore poſitæ, in œconomia tamen æterni conſilii locum habent, ſive mavis dicere, habuerunt. Et præſentia Deo jam ab æterno fuerunt, ac ſunt, quæ voluntas noſtra identidem facit, & factura eſt. Ergo non fruſtra oratio-

nes

nes inſtituuntur in Eccleſia de futuris. Electorum voluntas, dum in via eſt, poteſt velle malum, & quandoque etiam vult, quanquam in fine invincibiliter, & liberâ electione, bonum ſit amplexura Reproborum rurſus voluntates bonum velle ſemper poſſunt, dum in corpore verſantur, & quandoque etiam eligunt, quanquam uſque in finem culpâ ſuâ non ſint in bono perſeveraturæ. Divina autem ſcientia ab æterno prævidens, ac divina voluntas ab æterno volens, aut permittens, contingentiam ac libertatem in tempore non adimunt animis rationi utentibus. Orationibus ergo, & correptionibus noſtris fit, ut æternum Dei decretum, atque præſcientia ſuum conſequatur complementum, dum & electi ad bonum illud incitantur, quod eis per adjutorium ſuæ gratiæ deſtinavit Deus, & quod ſinè concurſu libero voluntatis eorum perfici non poteſt; & reprobi nihil inde proficientes, habent, quod ſuæ pertinaciſſimæ voluntati exprobrare poſſint, quæ contemptis correptionibus & adhortationibus, in nequitiam liberè ferri voluit, & à nequitia exurgere liberè noluit.

Audi S. Thomam 2.2. Quæſt. 83. Art. 2. Poſtquam dixit, *ità inducendam eſſe orationis utilitatem, ut neque rebus humanis divinæ providentiæ ſubjectis neceſſitatem imponamus, neque etiam divinam diſpoſitionem mutabilem æſtimemus*, hæc alia ſubdit: *Conſiderandum eſt, quod ex divina Providentia non ſolùm diſponitur, qui effectus fiant, ſed etiam ex quibus cauſis, & quo ordine proveniant. Inter alias autem cauſas ſunt etiam quorumdam cauſæ actus humani: unde oportet, homines agere aliqua, non ut per ſuos actus divinam diſpoſitionem immutent, ſed ut per actus ſuos impleant quoſdam effectus ſecundùm ordinem à Deo diſpoſitum, &c.* Quanquam verò neque orationes, neque correptiones ex inſcrutabili, ſed juſto Dei conſilio, profuturæ ſint reprobis, ità ut cum perſeverantiæ dono è vivis decedant; attamen Eccleſia Dei non deſinit orare pro omnibus, & unumquemque ad orationem ſolicitat, obtemperans Chriſti præceptis. Nequaquam enim noti ſunt, quos Deus ſecundùm propoſitum vocavit, & quos ſecundùm juſtitiam damnandos præſcivit. Propter eà inquit S. Auguſtinus in eodem Lib. de Corrept. & Gratia Cap. 15. *Ad nos, qui neſcimus, quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere, nullúmque diſcernere; ſed velle omnes ſalvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem.* Idem verò Auguſtinus in eodem libro agnoſcit voluntatem noſtrã, dum incitatur per correptiones, & adhortationes, liberè poſſe recedere ab iniquitate, & iniquitatem fugere, & orandum ei eſſe Deum, ut fa-
cultа-

cultatem vireſque benè agendi in tempore conferat, atque illud impleat, quod ipſe ab æterno jam ſtatuit atque præſcivit. Noſtrûm quippe operari in tempore, etſi ab æterno, ſempérque, præſens Deo fuerit, attamen non deſiit eſſe (quod eſt ad nos) aliquid futurum, & liberè à liberis hominibus faciendum. Neque Deus, niſi voluntatis noſtræ conſenſus accederet, nos benè acturos prævidere potuit, quanquam nos gratiâ ſuâ præcurrente, & noſtrâ voluntate libero aſſenſu conſentiente, benè ſimus acturi, & ipſe facturus ſit, ut nos liberè conſentiamus gratiæ ſuæ. Sed nos Deum metimur (ut hoc iterum commemorem) humanis ideis, & ejus æternitatem, atque æternam præſcientiam concipimus, tanquam cognitionem, quæ per infinitos annos operationem noſtram præceſſerit, cùm tamen in Dei præſentia æternitas unum ſit punctum omnia complectens, quæ nobis triplici ſub idea apparent, nunc præterita, nunc præſentia, & nunc futura. Vide Auguſtinum Lib. 2. Quæſt. ad Simplicianum, ubi non *præſcientiam futurorum*, ſed *ſcientiam* in Deo ponit, quanquam reſpectu ad nos habito rerum futurarum cognitio *Præſcientia* in Deo ſoleat appellari. Quamobrem & bonum ſemper nobis agendum eſt, & improbitas evitanda, & fideliter Deo ſerviendum, & ſpes collocanda in immenſa illius miſericordia ac bonitate, neque nimis anxiè inveſtiganda eſt profunda illa Prædeſtinationis abyſſus, quæ Apoſtolo ipſi incomprehenſibilis videbatur. Neque enim minus certum eſt, prædeſtinationem noſtram non è prævisis meritis noſtris, ſed ex miſericordia Dei, & reprobationem contrà è ſola præcognita iniquitate noſtra, ab æterno fuiſſe in mente Dei: quàm certum eſt voluntatem noſtram in tempore poſitam nullâ eſſentiali neceſſitate præviâ ferri in bonum, aut in malum; & contingenter operari, ſive bonum, Deo adjuvante, ſive malum concupiſcentiâ vincente; & nos, dum adulti rationis uſum habeamus, non poſſe aut damnari ſine libera electione mali, aut ſalvari ſine libera electione boni, ad quam prævia & cooperans gratia gratia Dei neceſſaria eſt.

CAPUT IX.

Sententia de deſcenſu Chriſti ad Inferos ad fidem ſpectans à Pherepono improbata. Quid hîc certò credendum, quid ſit dubium. Pſalmi XV. locus à Sancto Petro laudatus Catholicorum ſententiam probat. Phereponus eum Pſalmi locum abſonè interpretatus. Davidis verba ad unum Chriſtum referenda. Vox Hebraïca Scehol *Inferos etiam, & loca animarum poſt corporis mortem ſignificat. Talem ejus eſſe ſenſum in Pſalmo laudato vox Græca* Hades *à Sancto Luca adhibita evincit. Alia argumenta in hanc rem. Sententia Hebræorum de infernis animarum ſedibus, &* Scehol, *eodem ſenſu ab Interprete Syriaco uſurpata.*

AD alia nunc tranſeamus. Dixerat Auguſtinus in Epiſt. 164. aliàs 99. *Dominum carne mortificatum veniſſe in infernum*, idque evicerat verbis Pſalmi XV. 10. & Petri in Actibus Apoſtolorum. *Quis ergo*, tum ſubdit, *niſi infidelis, negaverit fuiſſe apud inferos Chriſtum?* Ad hæc Phereponus: *Vel hinc intelligere licet, quàm periculoſum ſit, Scripturam velle interpretari, ſi neceſſariis ſubſidiis deſtitutus ſis; primum enim in ea invenitur, quod non eſt, deinde acerbè damnantur, qui ea melius intelligunt.* Tandem Auguſtinum carpit, quòd exiſtimârit, Chriſti animam in locum ſuppliciorum deſcendiſſe, dum corpus ejus in ſepulchro jaceret, ſimúlq; illos impietatis arguerit, qui aliter ſentirent. Eadem repetit Phereponus ad Epiſt. 187. olim 57 In notis verò ad Cap. V. §. 2. Lib. de Fide & Symbolo ait, à Symbolo Eccleſiæ Africanæ, ut & à Romano, aliiſq; abfuiſſe caput *de deſcenſu ad inferos, quod tamen poſteà temerè conjunctum eſt.* Non uni ergo Auguſtino infenſus eſt hac de cauſa Phereponus, quòd ille inferos in Pſalmo, & Actuum loco, memoratos acceperit pro loco, in quo animæ damnatorum hominum pœnas luunt, ſed reliquis ferè Patribus iraſcitur & Scriptoribus Eccleſiaſticis, imò univerſæ Catholicæ Eccleſiæ, quæ credit, & in Symbolo à tot ſæculis profitetur deſcenſum Chriſti ad inferos. Ego quàm breviſſimè potero, Eccleſiam Catholicam potiùs, quàm Auguſtinum, à confidenti cenſura Pherepony vindicare conabor.

Pri-

Primò igitur ſtatuendum eſt, id tantummodo inter Catholicos conſtare ac ratum eſſe, videlicet Chriſtum poſt mortem deſcendiſſe ad Inferos, & nomine *Inferorum* ſignificata diverſa quædam loca, quò omnes hominum vitâ functorum animæ è corpore ſolutæ olim deferebantur pro variis meritis. Suus erat locus juſtis, Chriſti adventum & reſurrectionem exſpectantibus. Elyſios Campos ſimilem locum Ethnici appellabant. Suus improbis, qui & adhuc durat, atque æternùm durabit. Orcus, Tartarus, aliáq; nomina ei tribuebantur ab eiſdem Ethnicis. Ad priorem, ſuperioremq; infernum, in quo Patrum atq; juſtorum animæ detinebantur, ſententia communis eſt, animam Chriſti ſe contuliſſe. Utrùm etiam ad inferiorem infernum, ſeu ad impiorum loca penetrârit, & ad reliqua inferorum ergaſtula, quidve ibi egerit, non æquè patet, & magna inter ipſos SS. Patres, nedum inter Theologos recentiores, diſſenſio occurrit. Quod igitur ad Auguſtinum attinet ille ſententiam Eccleſiæ de Chriſti deſcenſu ad inferos ſectatus fuit, certámque habuit, & à ſolis infidelibus negari poſſe ait. In reliquis de Chriſti deſcenſu ad inferos, negandum non eſt, quin diu fluctuârit mens Auguſtini At non omnia, quæ ad hunc Symboli Articulum referuntur, ad ipſam fidem ſpectant. Phereponus cenſere videtur, inferos ab ipſo accipi pro loco duntaxat damnatorum. Verùm agnovit etiam Vir ſanctus, inter inferos ſinum Abrahæ, quo piorum animæ ante Chriſtum è corporeis nexibus expeditæ migrabant. Inquit enim Lib. XX Cap. 15. de Civ. Dei: *Non abſurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret.* In enarratione etiam in Pſalmum 85. idem Auguſtinus *duo inferna* ſtatuit, *quorum in uno quieverunt animæ Juſtorum, in altero torquentur animæ impiorum.*

Itaque oſtendendum reſtat reverà Chriſtum ad aliquos *inferos* deſcendiſſe, quod ab Eccleſia Catholica non minus, quàm ab Auguſtino, tanquam certiſſimum affirmatur, à Pherepono autem tanquam falſum negatur. In Actib. Apoſtolorum Cap. 2 ℣. 24. Petrus exponit Chriſti reſurrectionem, eámq; à Davide prædictam inquit iis Pſalmi XV. verbis: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* His potiſſimùm verbis innititur Eccleſiæ fides, dum Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, atque inde etiam ſurrexiſſe tradit. Phereponus verò aliter locum illius Pſalmi interpretatur, & pro *inferno*

con-

Digitized by Google

ontendit *ſepulchrum* eſſe intelligendum; ità enim ſignifiat apud Hebræos vocabulum *Scebol*, quo uſus eſt eo in loo David. Habet ille in hac ſententia concordes, immo Magiſtros, nonnullos è Novatoribus, quorum eruditio am eò pervenit, ut pleraque Chriſtianæ Eccleſiæ dogmaa, licèt antiquiſſimâ Traditione Patrum jamdiu ſacrata, rrodat, in dubium revocet, & levibus de cauſis explodat. *Ante omnia*, inquit Phereponus, *ſtatuendum eſt, Petrum non quæſiviſſe in loco Pſalmi id, quod minimè eſt; ideóque ex loco Pſalæ intelligendus Petrus, æque ac Pſaltes ex ſermone Petri; nec ullus eſt inter eos diſſenſus, quamvis cum Auguſtino nullo modo ſentiant*. Conditionem accipimus, quam exhibet Phereponus; nihil enim apud nos certius eſt, quàm S. Petrum à Pſalte diſſentire non potuiſſe, ipſúmque ab omni errore immunem fuiſſe in Pſalmi loco interpretando. Sed utì certum eſt, nullum inter Davidem, ſeu Pſalten, & Petrum eſſe diſſenſum, ità quoque exploratum habemus, mentem Petri ac Davidis perſpectiſſimam divinitùs eſſe debuiſſe Actuum Scriptori Lucæ, adeò ut ne iſte quidem falli in ea enarratione potuerit. Videamus igitur, quid David, quid Petrus, quid Lucas habeant. Verba Pſaltæ in Hebraico Codice ità ſe habere ſcribit Phereponus: *Non relinques animam meam ſepulchro, nec patieris ſanctum tuum videre corruptionem.* Nunc notionem hujus vocabuli Hebraïci diſſimulemus, audituri prius, quid hæc omnia Pherepono docente ſignificent. *Liquet*, ait ille dictatoriâ voce, *hoc velle Pſalten, ſenſu tralatitio, Deum non paſſurum ut occideretur, nam* relinquere ſepulchro, *aut* pati, videre corruptionem, *eſt ſinere vulneratum quempiam, aut malè affectum mori. Hæc tamen verba, ſenſu proprio, meliùs in Chriſtum quadrant, quem Deus paſſus non eſt in ſepulchro diu jacere, neque in eo corrumpi.*

Malè Phereponum non habeat, ſi dicamus, non ſolùm ipſum & Petro Apoſtolo doctiorem, & Judæis ipſis Petri auditoribus proſpicaciorem velle videri; ſed etiam velle nobis exhibere Petrum linguæ Hebraicæ non ſatis peritum, & Judæis imponentem, & ipſos Judæos tam ſuarum rerum ignaros, ut ſibi paterentur illudi. Si enim ea verba ſecundũ Davidis mentem ſignificabant, non permiſſurum Deum, ut ipſe David vulneratus, aut malè affectus moreretur: quàm concinne quæſo ad Chriſtum illa referebat Petrus? Chriſtus mille plagis & contumeliis affectus necatus fuerat, & ſepulchro datus Num ergo perſuadere auditoribus ſuis potuiſſet Petrus, hæc de Chriſto necato dici, quæ Davidi à morte liberando, & nondum in ſepulchrum illato

illato competebant? Quando ipſe Petrus inſtabat, Chri
ſtum inquiens è mortuis ſurrexiſſe, idque à Pſalte iis verbi
prædictum: infideles ac pervicaces Judæi, quos tunc allo
quebatur Petrus, continuò reſpondere poterant, ſi eis co
& ſcientia Phereponi fuiſſet: diverſum planè aliúmq; eſſ
eorum verborum ſenſum, & nihil facere cum reſurrectio
ne Chriſti. Liquebat enim Hebraïcæ linguæ vel leviter pe
ritis (ſi Pherepono credimus) non de mortuo aliquo ſuſci
tando, ſed de vivo à morte ſervando locutum fuiſſe S Re
gem, idque propriè illum locum ſonare, quanquam trala
titiis verbis conceptū. Quid ad hæc Petrus? Fruſtra ſe con
torſiſſet, arbitror; nihilque profuiſſet cum Pherepono di
cere, ea verba *melius in Chriſtum, ſenſu proprio, quadrare, quem
Deus paſſus non eſt in ſepulchro diu jacere, neque in eo corrumpi*
Nam primò negarè potuiſſent, hæc metaphorica non eſſe
atque ità explicâſſent eadem verba: *Quoniam non ſines ani
mam meam* deſcendere, venire (quæ verba ſuppleri non im
meritò poſſunt) *in ſepulchrum, liſciol, non dabis ſanctum tuun
videre foveam.* Quæ phraſes proprio, non tralatiti
ſenſu, etiam in Davidem non moriturum quadrâſſent
Tum ſubdere poterant, etiamſi hæc metaphorica eſſent
nihil tamen aliud ſonare, quàm quod Phereponus cenſet
nempe, non permiſſurum Deum, ut aliquis moreretur, &
ſepulcro traderetur: quæ nullo pacto conveniunt in Ser
vatorem noſtrum. Ac proinde Petrum arguiſſent, atque ir
riſiſſent, quaſi in ſuam rem divinis abuteretur Scripturis
& verba neque fortuitò, neque conſultò congruentia ir
ſuam ſententiam contorqueret.

Atabſit ab Apoſtolo tanta ignominia, tanta ſuæ lingua
inſcitia, quibus notis ipſum Phereponus incautè aſpergit
Ea erant Davidis in illo Pſalmo verba, quæ unicum germa
num ſenſum haberent in ipſius etiam Davidis mente, & hi
ſenſus uni Chriſto ſeu Meſſiæ poterat ac debebat accomo
dari. Audiamus Apoſtolum ipſum de Jeſu loquentem
Quem, inquit, *Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxt
quod impoſſibile erat, teneri illum ab eo. David enim dicit in eum
Providebam &c. Quoniam non derelinques &c.* Tum oſtenſuru
hæc de uno Chriſto prædicta fuiſſe, ità loqui pergit: *Vir
fratres, liceat audenter dicere ad vos, de Patriarcha David, quo
niam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulcrum ejus eſt apud nos uſq
in hodiernum diem. Propheta igitur cùm eſſet &c. Providens locu
tus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno
neque caro ejus vidit corruptionem,* &c. Hìc meridiano ſole cla
rius eſt. Petrum pro confeſſo atque explorato apud omne

Judæo

Judæos ſumere, ea Davidis verba unicè ſignificare, quempiam verè jam mortuum ad vitam poſtea revocandum, ejúſque carnem in ſepulchro non eſſe corrumpendam Evidens erat, Davidem è vita conceſſiſſe, ejúſque cadaver in tumulo cæterorum more fuiſſe in tabem reſolutum, cujus rei teſtis adhuc erat ſuperſtes illius tumulus. Quare non de ſe Propheta locutus fuerat, ſed quidem de Meſſia quem Apoſtoli omnes aliíque fideles è mortuis reſurrexiſſe compertum habebant. Ac propterea quis non videat, quàm longè à Petri mente Phereponus abeat, & quàm temerè verba Pſalmi interpretetur?

Sed optimos Auctores ſuæ in interpretanda Scriptura conſuetudinis Phereponus fortaſſe laudabit. Theodorum videlicet Mopſueſtenum, quem in Collat. IV. Patres Concilii Conſtantinopolitani II. idcirco etiam diris devoverunt, quod hunc eundem Pſalmi locum, aliáque de Chriſto prænuntiata argutis interpretationibus alio referri poſſe doceret, Hugonem Grotium adferre etiam poterit, virum alioqui eruditiſſimũ (ut nihil de Socianis Scriptoribus dicam) cujus ea fuit ſententia, univerſis de Chriſto Prophetiis duplicem ineſſe ſenſum, quorum alter & primarius ad Hiſtoriam temporis, quo Prophetæ vixerunt, alter & ſecundarius ad Chriſtum ſit referendus. Quæ opinio, quia nullo diſcrimine Prophetias omnes complectitur Chriſto accommodatas, quàm abſurda ſit, & quàm malè ſe regat, vel ex hoc loco liquere poteſt, ut pluribus aliis parcam. Ità enim Davidis Prophetiam in Chriſtum è mortuis ſuſcitatum convenire Petrus ait, ut nullo pacto ad Hiſtoriam Regii Prophetæ referri poſſe pro re evidenti ſtatuat. Quis autem Petro cum Davide conſenſus, ubi eiſdem verbis unam rem iſte, alteram ille penitùs diverſam ſignificare volunt? Quis Judæorum tunc non potuit fruſtrari rationem Apoſtoli, ſi eo tempore aut obtinuiſſet, aut ſuccurriſſet interpretatio Phereponi? Quis adduci ad Chriſtum, cujus reſurrectionem à mortuis per adeò dubias, incertas, faciléque eludendas Prophetias Apoſtolus Petrus probare conabatur? Et tamen ex ipſis Judæis tria millia ad Chriſtum eo die converſa fuêre, tantam vim habuêre Petri argumenta ex ipſis Pſalmorum verbis petita. Sed ultrà non juvat urgere conſectaria & incommoda temerariæ iſtius ſententiæ; nos enim vocat altera quæſtionis noſtræ pars.

Stat igitur, locum illum Pſaltæ ad Chriſtum mortuum eſſe referendum, cujus animam Deus derelicturus non erat in inferno. At Phereponus unà cum aliis Novatoribus pro

in inferno contendit vertendum eſſe *in ſepulchro* ; vox enim *Scebol*, perpetuo linguæ Hebraicæ uſu, ſignificat *ſepulchrum*. Catholici contrà retinendam hîc eſſe *inferni* vocem perſuaſum habent, qua hîc non ſepulchrum, ſed ſedes & loca hominum vitâ functorum ſignificantur, ſivè iſti in Abrahæ ſinu, hoc eſt in requie, fuerint, ſivè in gehenna, hoc eſt in pœnis. Vocabulum autem *Scebol* non negamus, quin pro *ſepulchro* ſeu loco humatorum corporum, ſæpè accipiendum ſit in ſacris Libris antiquæ legis ; ſed per illud etiam ſignificari dicimus inferna illa loca, & ſedes, quò mortuorum animæ deferebantur, Chriſti adventum, & poſtremum ſeculi judicium expectaturæ. Conſentire in hanc rem mihi videtur & ipſe Phereponus, cui vox iſta ſignificat non ſolùm *ſepulchrum*, ſed etiam *locum aliquem ſub terræ ſuperficie, aut certè ſtatum ac conditionem mortuorum, quæcumque ſit*, quamvis ipſe ſe ſtatim addat, *nunquam locum peculiarem malorum ſuppliciis attributum* per eam deſignari, qua de re nunc diſputare nolumus. Certè *Scebol* indefinita quædam vox eſt & loca ſubterranea deſignat, atque adeò mortuorum ſtatum atque ergaſtula. Quare non tam eruditè quàm prudenter illos feciſſe reor, qui eam vocem Latinè reddentes, potius quàm *ſepulchrum*, ſemper *inferos* aut *infernum* trãſtulere voces indefinitas ; has enim poſtea explicare liberum erat aut pro corporum, aut pro animarum ſede poſt diſceſſum è vita, prout Scripturæ ſenſus, rerúmque contextus, & alia argumenta ab Interprete poſcerent. Nam cur exempli gratiâ Gen. XXXVII. ℣. 35. ubi Jacob dicit : *Deſcendam ad filium meum lugens in Scebol*, hanc vocem vertas in *ſepulchrum*? Putabat Jacob filium ſuum mortuum, & à feris devoratum, ſepulchro caruiſſe. Non igitur ad illum ſepultum ſe eſſe deſcenſurum, ſuáque oſſa cum filii oſſibus ſe eſſe compoſiturum ſperabat, cùm oſſa illius nullo ſepulchro condita arbitraretur. Inquit ergo Jacob: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, ut poſt Græcã vulgata verſio habet, hoc eſt eum in locum, quò hominũ animi à corpore ſoluti abeunt, & quò non dubitabat pater, quin ſuus filius ſe præceſſiſſet.

Nunc quæramus, an *Scebol* in laudato Pſal. XV ℣. 10. accipi debeat pro corporum ſepulchro, an pro animarum poſt mortem ergaſtulo. Poſtremam ſignificationem eſſe præferendam, totius Chriſtianæ antiquitatis conſenſus ſuadet, & clamat. Juſtinus. Irenæus, Origenes, Clemens Alexandr. Euſebius, Athanaſ. Baſil. Niſſen. Nazianzen. Epiphan. Chryſoſtom. Cyrillus Hieroſolimitan. & alii è Græcis innumeri. Tum Tertullianus, Hilarius, Ambroſ. Hieronym. Rufinus,

Augu-

Auguſtin. & alii inter Latinos quamplurimi, tum ipſa Concilia, & Symbola ab omnibus Catholicis, imò Chriſtianis omnibus recepta, Chriſti deſcenſum ad inferna animarum domicilia crediderunt, & per ſæcula XVI. prædicârunt, & ex hoc potiſſimum loco intellexerunt. Negantes verò ta-em ſententiam, Hæreticis atque infidelibus omnium ore adjuncti fuêre. Tanta, támque vetuſta Patrum & Chriſtianorum Traditio atque conſenſio, non id ſolùm roboris habet, ut Catholicum quemlibet ſuæ profeſſionis conſcium ità ſentire jam cogat, ſed ipſos etiam Traditionis & vetuſtatis nuperos contemptores impudentiæ, ac temeritatis arguit, quòd aliter audeant affirmare. Nam cùm inter Novatores ſinceriſſimi fateantur, ſignificationem vocis *Scehol* ambiguam eſſe, & deſignari per illam ſtatum quoque & ſedes ſpirituum humanorum poſt corporis mortem: certè nullam ipſi adferunt urgentem rationem, quare in Pſal. XV. vox illa ſignificare non poſſit id quod Eccleſia Catholica omnium temporum cenſuit. Rurſus cùm apud omnes æquos rerum æſtimatores veriſimile ſit, antiquiſſimos Eccleſiæ Patres eam non ſuo marte procudiſſe opinionem, ſed expoſuiſſe, qualem ab aliis Majoribus, atque adeò ab ipſis Apoſtolis, veluti per manus acceperant; quis non videat, potiori jure antiquis illis teſtibus rem adeò diſertè affirmantibus, quàm novitiis hiſce Criticis ſine ratione validа negantibus, habendam eſſe fidem? Accedit, quod ex his etiam vetuſtis Auctoribus tres ſaltem Hebræam calluere linguam, Origenes, Hieronym. & Epiphan. & cum ſui æqualibus Rabbinis verſati, notionem vocis *Scehol* ignoraſſe cenſendi non ſunt. In re autem à noſtris temporibus adeò remota, cùm de notione vocis agatur, quæ ab hominum uſu & arbitrio pendet, exigit prudentia, ut vetuſtioribus potiùs eruditis, quàm recentioribus credamus.

Quod tamen omnem dubitationis cauſam auferre poteſt, ac debet, eſt ipſa S. Lucæ narratio in Act. Apoſtolorum Cap. 2. ℣. 27. Verba Pſalmi Græcè reddita ſic ille exhibet: ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ἅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. *Quoniam non derelinques animā meam in Hadu, neq; dabis S. tuū videre corruptionē.* Pro εἰς ἅδου, LXX. Interpretes, quorum verſionem Lucas uſurpâſſe videtur, habent εἰς ἅδην *in Haden.* Quid autem ſit ἅδης, quidq; eo vocabulo apud Græcos omnes ſignificaretur, inter ejus linguæ peritos conſtare facilè poteſt, Nativâ ſuâ ſignificatione *Plutonem* deſignabat. Homerus Iliad. O. Ζεὺς καὶ ἐγὼ,

in inferno contendit vertendum eſſe *in ſepulchro*; vox enim *Scebol*, perpetuo linguæ Hebraicæ uſu, ſignificat *ſepulchrum*. Catholici contrà retinendam hîc eſſe *inferni* vocem perſuaſum habent, qua hîc non ſepulchrum, ſed ſedes & loca hominum vitâ functorum ſignificantur, ſivè iſti in Abrahæ ſinu, hoc eſt in requie, fuerint, ſivè in gehenna, hoc eſt in pœnis. Vocabulum autem *Scebol* non negamus, quin pro *ſepulchro* ſeu loco humatorum corporum, ſæpè accipiendum ſit in ſacris Libris antiquæ legis; ſed per illud etiam ſignificari dicimus inferna illa loca, & ſedes, quò mortuorum animæ deferebantur, Chriſti adventum, & poſtremum ſeculi judicium expectaturæ. Conſentire in hanc rem mihi videtur & ipſe Phereponus, cui vox iſta ſignificat non ſolùm *ſepulchrum*, ſed etiam *locum aliquem ſub terræ ſuperficie, aut certè ſtatum ac conditionem mortuorum, quæcumque ſit*, quamvis ipſe ſe ſtatim addat, *nunquam locum peculiarem malorum ſuppliciis attributum* per eam deſignari, qua de re nunc diſputare nolumus. Certè *Scebol* indefinita quædam vox eſt & loca ſubterranea deſignat, atque adeò mortuorum ſtatum atque ergaſtula. Quare non tam eruditè quàm prudenter illos feciſſe reor, qui eam vocem Latinè reddentes, potius quàm *ſepulchrum*, ſemper *inferos* aut *infernum* trãſtulere voces indefinitas; has enim poſtea explicare liberum erat aut pro corporum, aut pro animarum ſede poſt diſceſſum è vita, prout Scripturæ ſenſus, rerúmque contextus, & alia argumenta ab Interprete poſcerent. Nam cur exempli gratiâ Gen. XXXVII. ℣. 35. ubi Jacob dicit: *Deſcendam ad filium meum lugens in Scebol*, hanc vocem vertas in *ſepulchrum*? Putabat Jacob filium ſuum mortuum, & à feris devoratum, ſepulchro caruiſſe. Non igitur ad illum ſepultum ſe eſſe deſcenſurum, ſuáque oſſa cum filii oſſibus ſe eſſe compoſiturum ſperabat, cùm oſſa illius nullo ſepulchro condita arbitraretur. Inquit ergo Jacob: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, ut poſt Græcã vulgata verſio habet, hoc eſt eum in locum, quò hominũ animi à corpore ſoluti abeunt, & quò non dubitabat pater, quin ſuus filius ſe præceſſiſſet.

Nunc quæramus, an *Scebol* in laudato Pſal. XV ℣. 10. accipi debeat pro corporum ſepulchro, an pro animarum poſt mortem ergaſtulo. Poſtremam ſignificationem eſſe præferendam, totius Chriſtianæ antiquitatis conſenſus ſuadet, & clamat. Juſtinus, Irenæus, Origenes, Clemens Alexandr. Euſebius, Athanaſ. Baſil. Niſſen. Nazianzen. Epiphan. Chryſoſtom. Cyrillus Hieroſolimitan & alii è Græcis innumeri. Tum Tertullianus, Hilarius, Ambroſ. Hieronym. Rufinus, Augu-

Auguſtin.& alii inter Latinos quamplurimi, tum ipſa Concilia, & Symbola ab omnibus Catholicis, imò Chriſtianis omnibus recepta, Chriſti deſcenſum ad inferna animarum domicilia crediderunt, & per ſæcula XVI. prædicârunt, & ex hoc potiſſimum loco intellexerunt. Negantes verò talem ſententiam, Hæreticis atque infidelibus omnium ore adjuncti fuêre. Tanta, támque vetuſta Patrum & Chriſtianorum Traditio atque conſenſio, non id ſolùm roboris habet, ut Catholicum quemlibet ſuæ profeſſionis conſcium ità ſentire jam cogat, ſed ipſos etiam Traditionis & vetuſtatis nuperos contemptores impudentiæ, ac temeritatis arguit, quòd aliter audeant affirmare. Nam cùm inter Novatores ſinceriſſimi fateantur, ſignificationem vocis *Scehol* ambiguam eſſe, & deſignari per illam ſtatum quoque & ſedes ſpirituum humanorum poſt corporis mortem: certè nullam ipſi adferunt urgentem rationem, quare in Pſal. XV. vox illa ſignificare non poſſit id quod Eccleſia Catholica omnium temporum cenſuit. Rurſus cùm apud omnes æquos rerum æſtimatores veriſimile ſit, antiquiſſimos Eccleſiæ Patres eam non ſuo marte procudiſſe opinionem, ſed expoſuiſſe, qualem ab aliis Majoribus, atque adeò ab ipſis Apoſtolis, veluti per manus acceperant; quis non videat, potiori jure antiquis illis teſtibus rem adeò diſertè affirmantibus, quàm novitiis hiſce Criticis ſine ratione valida negantibus, habendam eſſe fidem? Accedit, quod ex iis etiam vetuſtis Auctoribus tres ſaltem Hebræam calluere Linguam, Origenes, Hieronym. & Epiphan. & cum ſui æqualibus Rabbinis verſati, notionem vocis *Scebol* ignorâſſe cenſendi non ſunt. In re autem à noſtris temporibus adeò remota, cùm de notione vocis agatur, quæ ab hominum uſu & arbitrio pendet, exigit prudentia, ut vetuſtioribus potiùs eruditis, quàm recentioribus credamus.

Quod tamen omnem dubitationis cauſam auferre poteſt, ac debet, eſt ipſa S. Lucæ narratio in Act. Apoſtolorum Cap. 2. ℣. 27. Verba Pſalmi Græcè reddita ſic ille exhibet: ὅτι ὀυκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ἅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. *Quoniam non derelinques animã meam in Hadu, neq; dabis S. tuũ videre corruptionẽ.* Pro εἰς ἅδου, LXX. Interpretes, quorum verſionem Lucas uſurpâſſe videtur, habent εἰς ἅδην *in Haden*. Quid autem ſit ἅδης, quidq; eo vocabulo apud Græcos omnes ſignificaretur, inter ejus linguæ peritos conſtare facilè poteſt, Nativâ ſuâ ſignificatione *Plutonem* deſignabat. Homerus Iliad. O. Ζεὺς καὶ ἐγὼ,

τρίτατος δ' Αἴδης ἐνέρροισιν ἀνάσσων. *Jupiter, & ego, tertius autem Pluto inferis imperans*. Quandoquidem in Plutonis ditione ſubterranea quæque loca eſſe credebantur, hinc *Hades* inferna ipſa loca appellata ſunt, quò Ethnici mortuorum animas illabi putabant, Judæis & Chriſtianis in ea ſententia concordes. Itaque εἰς ᾅδου (quod in citato Cap. Act. legitur) nihil aliud eſt, quàm *in domo Hadis*, ſeu *Plutonis*, ſubintelligendo δόμον, ſeu οἶκον, pro ἐν οἴκῳ ᾅδου, ut ex aliis exemplis confirmari poteſt. Idem Homerus Odyſſ. κ. ἱκέσθαι εἰς Αΐδαο δόμους, καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης, *Venire in Plutonis domum, & tenebricoſæ Proſerpinæ. Domus Plutonis*, ſeu *Inferni*, pro Græcorum more non *ſepulchrum*, ſed *inferos* ſignificat, hoc eſt geminas illas ſubterraneas ſedes, quibus, uti diximus, animæ è corporis nexibus expeditæ claudebantur, quietis loca piis, pœnarum verò impiis. Proinde conſtans regula eſt, uſitatiſſimam & communem olim ejus nominis *Hades* vim *Inferos* ſonâſſe, qualem nos deſcripſimus, aliáſque interpretationes aut paucis fuiſſe, aut nulli cognitas, ſivè uſurpatas. Quibus conſtitutis, jam qui ſe Chriſtianos dicunt, ac in eo Pſalmi loco vocem *Scebol* pro *ſepulchro* protervè accipiunt, nihil minùs facere mihi videntur, quàm Lucam, Scriptorem divino afflatu procul dubio plenum, ignorantiæ atque inconſiderantiæ arguère, ſuámque Criticam eruditionem ſcientiæ ac judicio Apoſtolorum præponere Aut enim perſpecta Lucæ non fuit notio vocabuli *Scebol* & *Hades*: & tunc ex opinione Novatorum conſequitur, hìc eum ſuam eruditionem & ſcientiam, imò divinum Spiritum defeciſſe; ſiquidem, ſi iſtis credimus, *Scebol ſepulchrum* tantummodo ſignificat, *Hades* verò pro *Inferis* perpetuo Linguæ Græcæ uſu accipitur. Sin autem Lucas novit, *Scebol* ſignificare ſepulchrum, quomodo ab inconſiderantiæ nota liberari vir θεόπνευστος poteſt, qui cùm facilè per dictionem Græcam τάφος, hoc eſt *ſepulchrum*, aut per alias Græcis uſitatas voces, reddere poſſet Hebraicum *Scebol*, tamen uſurpare voluit vocem ᾅδης, quæ rem aliam à *ſepulchro* deſignat? Nonne hoc erat certiſſimum errandi fundamentum præbere Græcis Lectoribus, qui Hebraica ignorantes vocem *Hades* pro ſuo more interpretaturi fuiſſent? Quod ſi Patres in ea interpretatione errârunt (uti Novatores affirmare audent) nonne in Lucam reſilit culpa, qui aliis tam facilè poterat debebátque ſeſe explicare verbis, dum Græcos homines erudiendos ſuſceperat?

Verùm, inquit Phereponus, *Græci Interpretes, qui LXX. dicun-*

dicuntur, Gentilibus non una in re ſeſe attemperârunt, & Lucas verſioni græcæ adſuetus, & ſcribens in gratiam Græcorum, adhibuit locutiones LXX. Interpretum. Quaſi, ſi vera ſunt, quæ de hac quæſtione Phereponus habet, minus errârit S. Lucas, quàm Græci Interpretes. Si iſtorum verſio in eo loco Pſalmi *incommoda* erat (quo honeſto vocabulo Phereponus infidelem ac ineptam ſignificare, ut arbitror, voluit) quam fidem ampliùs ac venerationem debebimus Lucæ, ſine judicio incommodam nobis ac falſam interpretationem obtrudenti, & præbenti certam nobis anſam erroris? Talia incommoda, talia abſurda atque conſectaria manifeſtè devorare coguntur Novatores, quoties nihil ſibi religioni ducunt, aliter atque Eccleſia Catholica & Sancti Patres, illum Pſalmi & Actorum locum explicare. Quodnam verò nomen iſtos manet, qui tam malè conſulunt divinorum Auctorum dignitati ac fidei, ut ingeniorum ſuorum libidini & eruditioni, ambitioſè non minùs quàm incautè, ſatisfaciant? At à Chriſtiano Interprete tantum crimen abſit. Niſi Lucam errantem velimus, nuperam hanc interpretationem abjicere, erroríſque accuſare neceſſe eſt. Diſſentire inter ſe atque errare non poſſunt Pſaltes, Petrus & Lucas *Scebol* ſignificare *Inferos* poteſt, ſeu animarum poſt corporis mortem ſubterraneas ſedes. Manifeſtè pro *Inferis* idem vocabulum S. Lucas accipit. Ergo quin illic *Inferi* tantùm deſignentur, nullus Chriſtianorum negare poteſt, ac debet.

Et iſta quidem ea ſunt, ut vincant Chriſtiani hominis animum. Cùm tamen argumentum hoc, ut Logici aiunt, ſit à poſteriori, vincere quidem Chriſtianorum omnium animos debet, rem tamen nonnullis etiam Chriſtianis perſuadere fortaſſe non valet. Certè non continuò perſuadebit incredulis atque gentilibus. Quamobrem hos quoq; appellamus, judicéſque in medio ſtatuimus; certum quippe eſt nobis, ipſos quoque in noſtram ſententiam, ſi æquos ſe præbeant, eſſe conceſſuros, In laudato Pſalmo Catholici *Inferos*, Hæretici quidam *Sepulchrum* ſignificari contendunt. Quid habent poſtremi; quo ſuam opinionem firment? Nihil profectò ſolidi; quamvis enim *Scebol* pro *Sepulchro* ſæpè in ſacris Litteris accipiatur, negare tamen non audent, quin mortuorum etiam ſtatum ac loca aliquando ſignificat, & ſæpè ſignificare poſſit. Tum nullũ adferunt vetuſtum Scriptorem ſuæ in hoc Pſalmo interpretationis vindicem ac teſtem, qui *Sepulchrum* potiùs, quàm *Inferna animorum à corpore ſolutorum loca*, hîc moneat eſſe accipiendum. Quid nos contra? Cùm hîc de Linguæ tamdiu obſoletæ ac mortuæ

τςίτατος δι' Αἴδης ἐνέςςισιν ἀνάαςον. *Jupiter, & ego, tertius autem Pluto inferis imperans.* Quandoquidem in Plutonis ditione ſubterranea quæque loca eſſe credebantur, hinc *Hades* inferna ipſa loca appellata ſunt, quò Ethnici mortuorum animas illabi putabant, Judæis & Chriſtianis in ea ſententia concordes. Itaque εἰς ἅδου (quod in citato Cap. Act. legitur) nihil aliud eſt, quàm *in domo Hadis,* ſeu *Plutonis,* ſubintelligendo δόμον ſeu οἶκον, pro ἐν οἴκῳ ἅδου, ut ex aliis exemplis confirmari poteſt. Idem Homerus Odyſſ. κ. ἰχέσθαι εἰς Αΐδαο δόμους, καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης, *Venire in Plutonis domum, & tenebricoſæ Proſerpinæ. Domus Plutonis,* ſeu *Inferni,* pro Græcorum more non *ſepulchrum,* ſed *inferos* ſignificat, hoc eſt geminas illas ſubterraneas ſedes, quibus, uti diximus, animæ è corporis nexibus expeditæ claudebantur, quietis loca piis, pœnarum verò impiis. Proinde conſtans regula eſt, uſitatiſſimam & communem olim ejus nominis *Hades* vim *Inferos* ſonâſſe, qualem nos deſcripſimus, aliáſque interpretationes aut paucis fuiſſe, aut nulli cognitas, ſivè uſurpatas. Quibus conſtitutis, jam qui ſe Chriſtianos dicunt, ac in eo Pſalmi loco vocem *Scehol* pro *ſepulchro* protervè accipiunt, nihil minùs facere mihi videntur, quàm Lucam, Scriptorem divino afflatu procul dubio plenum, ignorantiæ atque inconſiderantiæ arguêre, ſuámque Criticam eruditionem ſcientiæ ac judicio Apoſtolorum præponere. Aut enim perſpecta Lucæ non fuit notio vocabuli *Scehol* & *Hades*: & tunc ex opinione Novatorum conſequitur, hîc eum ſuam eruditionem & ſcientiam, imò divinum Spiritum defeciſſe; ſiquidem, ſi iſtis credimus, *Scehol ſepulchrum* tantummodo ſignificat, *Hades* verò pro *Inferis* perpetuo Linguæ Græcæ uſu accipitur. Sin autem Lucas novit, *Scehol* ſignificare ſepulchrum, quomodo ab inconſiderantiæ nota liberari vir θεόπνευςος poteſt, qui cùm facilè per dictionem Græcam τάφος, hoc eſt *ſepulchrum,* aut per alias Græcis uſitatas voces, reddere poſſet Hebraicum *Scehol,* tamen uſurpare voluit vocem ἅδης, quæ rem aliam à *ſepulchro* deſignat? Nonne hoc erat certiſſimum errandi fundamentum præbere Græcis Lectoribus, qui Hebraica ignorantes vocem *Hades* pro ſuo more interpretaturi fuiſſent? Quod ſi Patres in ea interpretatione errârunt (uti Novatores affirmare audent) nonne in Lucam reſilit culpa, qui aliis tam facilè poterat debebátque ſeſe explicare verbis, dum Græcos homines erudiendos ſuſceperat?

Verùm, inquit Phereponus, *Græci Interpretes, qui LXX.*

dicun-

dicuntur, Gentilibus non una in re ſeſe attemperârunt, & Lucas verſioni græcæ adſuetus, & ſcribens in gratiam Græcorum, adhibuit locutiones LXX. Interpretum. Quaſi, ſi vera ſunt, quæ de hac quæſtione Phereponus habet, minus errârit S. Lucas, quàm Græci Interpretes. Si iſtorum verſio in eo loco Pſalmi *incommoda* erat (quo honeſto vocabulo Phereponus infidelem ac ineptam ſignificare, ut arbitror, voluit) quam fidem ampliùs ac venerationem debebimus Lucæ, ſine judicio incommodam nobis ac falſam interpretationem obtrudenti, & præbenti certam nobis anſam erroris? Talia incommoda, talia abſurda atque conſectaria manifeſtè devorare coguntur Novatores, quoties nihil ſibi religioni ducunt, aliter atque Eccleſia Catholica & Sancti Patres, illum Pſalmi & Actorum locum explicare. Quodnam verò nomen iſtos manet, qui tam malè conſulunt divinorum Auctorum dignitati ac fidei, ut ingeniorum ſuorum libidini & eruditioni, ambitioſè non minùs quàm incautè, ſatisfaciant? At à Chriſtiano Interprete tantum crimen abſit. Niſi Lucam errantem velimus, nuperam hanc interpretationem abjicere, errorîſque accuſare neceſſe eſt. Diſſentire inter ſe atque errare non poſſunt Pſaltes, Petrus & Lucas *Scehol* ſignificare *Inferos* poteſt, ſeu animarum poſt corporis mortem ſubterraneas ſedes. Manifeſtè pro *Inferis* idem vocabulum S. Lucas accipit. Ergo quin illic *Inferi* tantùm deſignentur, nullus Chriſtianorum negare poteſt, ac debet.

Et iſta quidem ea ſunt, ut vincant Chriſtiani hominis animum. Cùm tamen argumentum hoc, ut Logici aiunt, ſit à poſteriori, vincere quidem Chriſtianorum omnium animos debet, rem tamen nonnullis etiam Chriſtianis perſuadere fortaſſe non valet. Certè non continuò perſuadebit incredulis atque gentilibus. Quamobrem hos quoq; appellamus, judicéſque in medio ſtatuimus; certum quippe eſt nobis, ipſos quoque in noſtram ſententiam, ſi æquos ſe præbeant, eſſe conceſſuros, In laudato Pſalmo Catholici *Inferos*, Hæretici quidam *Sepulchrum* ſignificari contendunt. Quid habent poſtremi, quo ſuam opinionem firment? Nihil profectò ſolidi; quamvis enim *Scehol* pro *Sepulchro* ſæpè in ſacris Litteris accipiatur, negare tamen non audent, quin mortuorum etiam ſtatum ac loca aliquando ſignificat, & ſæpè ſignificare poſſit. Tum nullũ adferunt vetuſtum Scriptorem ſuæ in hoc Pſalmo interpretationis vindicem ac teſtem, qui *Sepulchrum* potiùs, quàm *Inferna animorum à corpore ſolutorum loca*, hîc moneat eſſe accipiendum. Quid nos contra? Cùm hîc de Linguæ tamdiu obſoletæ ac mortuæ

agatur, eorúmque vim ac notionem veteres magis Hebrææ Linguæ peritos, quàm recentiores, intellexiſſe credendi ſint, iique potiſſimum, qui florente adhuc Hebræorum Republicâ vixerunt: nemo non videt, eam eſſe præferendam ſententiam, quæ antiquiſſimis hiſce teſtibus nitatur. At nos Catholici præter quoſdam veteres Patres, Hebraicæ Linguæ deditos, antiquiſque Rabbinis in eo ſtudio uſos, Lucam ipſum omnium vetuſtiſſimum damus, qui in hoc ipſomet laudati Pſalmi loco *Inferos*, non autem *Sepulchrum*, vocabulum *Scehol* interpretatur, dum per vocem ᾅδης illud reddit, quæ, ſicuti vidimus, *Inferos* conſtanter pro Græcorum more ſignificabat. Numquid verò in Lucam erroris ſuſpicio cadat? Ab omni veriſimilitudine id prorſus abhorret. Non hîc Græcàm, uti appellatur, LXX. Verſionem aut laudare aut tueri eſt animus. Lucam tuemur, non ipſam verſionem; nam cùm illam in hoc loco ſuam fecerit Lucas, neceſſarium eſt, aut ſaltem veriſimillimum, eam ibi rectè expreſſiſſe vim vocabuli Hebraici, mentémque Prophetæ; non enim aliter ejus ope Sanctus Lucas uſus fuiſſet. Apoſtoli quoque eamdem ſæpè verſionem uſurpârunt; quod facientes, ineptum ſit ſuſpicari, eos neſciiſſe, an Græca Hebraicis verè conſentirent. Hebræi erant, ſuæque Linguæ ſatis periti. Ubi à Codicibus Hebraicis Græca diſſonabant, ignorare iſti non poterant; ſique non ignorabant, quis eos verſionem pravam adhuc obtruſiſſe vel ſuſpicetur? Innumeri tunc erant, qui fraudem hanc, uti Linguæ utriuſque periti, potuiſſent, & uti Chriſtianorum acerbisſimi hoſtes, voluiſſent aperire. Aut numquid, ut ſe Græcis attemperarent, errores ſibi notos, errorúmque cauſas diſſeminare voluiſſe putandi ſunt?

Idem de Luca dicendum atque ſentiendum. Ut Litteris Hebraicis ille operam dederit, profectò nunquam veriſimile eſt, ipſum adeò in illis hoſpitem fuiſſe, ut infidam verſionem potuerit volueritque uſurpare. Acta Apoſt. memoriæ mandabat, idque Pauli ipſius, ut quidam tradunt, conſilio ac juſſu. Individuus ejuſdem Apoſtoli comes diu fuit, verſatúſque eſt cum aliis Apoſtolis, ac viris utriuſque Linguæ gnaris; ab Apoſtolis, ac ab ipſo Petro audire potuit verba in concione Hieroſolymitana olim pronuntiata. Quî fieri potuit, ut ille neminem unquam interrogârit, nemo illum monuerit de infida eo in loco verſione Græcorum? Nemo id credat, & de Libro, quem Lucas & Apoſtoli, & Apoſtolici viri, ad certam Chriſtianorum eruditionem reli-

relicturi erant, & de Scriptore, qui in exordio Evangelii ſui profitetur, ſe nihil ſcribere, quod *à principio diligenter aſſecutus* non fuerit, *ſicut ei tradiderunt, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis*. Accedit, quod Paulus reſurrectionem Chriſti confirmaturus, laudare & ipſe ſolebat Pſalmum XV. Uti enim teſtis eſt idem Lucas Act. Apoſt. XIII. 34. ità Apoſtolus ajebat: *Quod autem* (Deus) *ſuſcitavit eum* (Chriſtum) *à mortuis, ampliùs jam non reverſurum in corruptionem, ità dixit &c. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim, &c. voluntate Dei dormivit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus ſuſcitavit à mortuis, non vidit corruptionem.* Hìc Apoſtolus priorem partem verſiculi prætermittit, in qua *Hadis*, ſeu *Scebol* mentio habetur. Attamen hinc liquere poteſt, tritum ore Apoſtolorum eum Pſalmi verſiculum fuiſſe ad evidenter oſtendendam Chriſti reſurrectionem è mortuis, & Paulum etiam eo loco ſecundùm LXX. verſionem uti conſueviſſe, cùm Hebræos Helleniſtas alloquebatur, quáles erant habitantes Antiochiæ Piſidiæ, ad quos fuit memoratus à Luca Pauli ſermo. Quare nihil veriſimilius, quàm quod Lucas illius loci ſenſum probè perſpectum habuerit, atque intellexerit vim eorum verborum tum in Græcis tum in Hebraicis Codicibus. Non video autem, quî cum recti judicii legibus eorum opinio componi poſſit, qui Apoſtolos à perverſa ac falſa verſione abſtinere conſultò noluiſſe ajunt, ut ſeſe Græcis ad eam aſſuetis attemperarent. Quaſi non idem ſit ac dicere, Apoſtolos conſultò voluiſſe auditores ſuos in priſtinis erroribus confirmare, aut novis imbuere. Poſtremò quicquid poſſit inconſultum adverſariorum bellum adverſus eruditionem ac judicium Sancti Lucæ, nihil aliud ſibi ſpondere poteſt, quàm quòd ille non ſatis Hebræam Linguam calluerit, aut vim vocabuli *Scebol* aſſecutus non fuerit: quæ tamen omnia veri nunquam videbuntur ſimilia. At quando hoc etiam obtinerent, num obtinere etiam poterunt, Lucam ignoràſſe vim vocabuli *Hades*, eíque Græcæ Linguæ ſcientiam præripient? Id quidem non audeant. Verum id ſatis eſt nobis, & ſatis futurum eſt cuicumque judici æquo. Nam cùm Lucas *Chriſti animam non relictam in Hade* affirmet, quæ verba Græcè peritis ſonant, Chriſti animam è corpore ſolam ad *Inferos* migràſſe, ibique diu non permanſiſſe: ſemper reſtat, Lucam id crediſiſſe, ac tradidiſſe, quod nos credimus, & univerſa ſemper Eccleſia tradidit. Quod, inquam, Lucas ea de re didicerat ab Apo-

ſtolis, Græca illius verba planè ſignificant, quæ ipſe procul dubio intelligebat; & quanquam non conſtaret, Scriptori huic ſat cognita fuiſſe Hebraica Pſaltes verba, id unum ſequeretur, Lucam in eo Pſalmi loco rem inutiliter quæſiviſſe, ac inveniſſe, quæ illic non erat, ſed quam tamen ipſe aliunde certam hauſerat, atque altè animo præceperat. Etenim niſi perſuaſum id ipſi antea fuiſſet, Græcè peritus ab ea locutione ſeſe abſtinuiſſet, quæ deſcenſum animæ Chriſti ad Inferos Græcis Lectoribus apertè, atque ex ſuo inſtituto, perſuadebat, ſempérque in poſterum perſuaſit. Si ergo ſaltem conſtat, Lucam de Chriſti ad Inferos deſcenſu non dubitâſſe: quid nos ampliùs ea de re dubitare pergimus? Hoc unum eſt, quod potiſſimum quærimus, & ſcire volumus, & hinc ediſcimus. Hæc ſumma litis noſtræ: num Lucas noverit, crediderit, atque tradiderit, animam Chriſti ad inferna loca migrâſſe. Id autem credidit S. Lucas. Diverſa quæſtio eſt, an Hebraicas voces Scriptor Actorum probè intellexerit, & probè reddiderit. Quæ tamen moneo non quòd Lucam adverſariis in hac altera quæſtione relinquam, & hallucinatum putem, aut verear; ſed ut quod maximè quærendum ſit ipſi tandem intelligant, quò faciliùs à certis conſtitutis ad incerta explicanda progrediamur.

Sed ne cui ſcrupulus adhuc & dubitatio ſuperſit, an reverà per vocem *Hadus*, *Inferos* deſignare S. Lucas voluerit, age rem in meliori lumine collocemus. Quæramus, quam poteſtatem notionémque voci illi Α᾿δη, Lucas, & reliqui Judæi Græcè loquentes, olim ſubjicerent, hoc eſt, quid eo nomine intelligerent. Nobiliſſimus Judæorum Hiſtoricus Joſephus id manifeſtè nos docebit. Auctor ille eſt Lib. 18 Ca. 2. Antiquit. Jud. tres inter Hebræos à multis temporibus exſtitiſſe Sectas, Phariſæorum nempe, Saducæorum, atque Eſſenorum. De Phariſæis hæc habet: Α᾿θάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίςις αὐτοῖς εἶναι καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς, οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ *Animas autem immortales eſſe credunt, & ſub terris earum pœnas ac præmia dari, prout virtutis vitiorúmve ſtudium illis in vita fuit.* Tum addit, perpetuis carceribus illic improbos conſtringi, piis autem facilem eſſe ad vitam reditum. Phariſæi potiſſima & doctiſſima Judæorum pars erant. Illis eorúmque opinionibus populus adhærebat, adhæſit & olim Paulus, ità ut quidquid ad ſolemnes precationes, cultúmque divinum attinebat, ſecundùm horum interpretationem ac præſcriptum fieri ſoleret. Hanc etiam de immor-

mortalitate animæ ſententiam tuebantur Eſſeni, ſolis Sadducæis contradicentibus, quorum & numerus exiguus, & auctoritas contemta. *Sadducæi*, inquit ipſe Lucas Act. Apoſt. XXIII. 8. *dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neq; Spiritum*, h. e. mentes humanas à corpore expeditas amplius non vivere. *Pharisæi autem confitentur utraque*. Quare dubitandum non videtur, quin comunis Judæorum ſententia foret, animas poſt corporis mortem in inferna loca deferri ſive ad requiem, ſive ad tormenta. Eò pertinent, quæ de ipſis Judæis habet Tacitus Lib. 5. Hiſt. *Corpora condere, quam cremare à more Ægyptio, Eadémque cura, & de infernis perſuaſio*. Status ergo animarum, earúmq ſedes, uti Joſephus teſtabatur, erat ὑπὸ χθονὸς *ſub terra* atque adeò ἐν ᾅδου *in Inferis*. Clariùs ſeſe explicat idem Joſephus alibi. De iiſdem Sectis loquens Lib. 2. Cap. 12. de Bello Jud. Poſtquam Phariſæis laudata nuper placita tribuit, hæc de Sadducæis ſubdit: ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ᾽ Ἅδου τιμωρίας, καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι. *Animæ verò immortalitatem, & in Hade, ſeu Inferno vel ſupplicia vel præmia negant*. En quid Judæis Græcè loquentibus eſſet ᾅδης. Non utique *Sepulchrum*, ſed locus animabus è corpore ſolutis deſtinatus, ut ibi vel pœnas vel præmia pro meritis reciperent. Eamdem prorſus Chriſtianorum ſententiam fuiſſe, omnia antiquitatis monumenta teſtantur Paulus ipſe in Act. Apoſtolor. Cap. XXIII. cum Phariſæis hac de re ſe conſentire clamabat. Situs erat hic locus ὑπὸ χθονὸς *ſub terra*, mirabili planè, & vero, quanquam incognito divinæ potentiæ artificio. Id quoq; Chriſtianis perſuaſum fuit, & apertè ab Apoſtolo innuitur ad Philipp. 2. 10. cùm ait: *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων. Ubi vides καταχθονίους appellari, hoc eſt *ſubterraneos*, eam gentem, cujus animæ in geminis Inferis, piorum nempe ac impiorum, claudebantur.

Ab antiquis mutuati recentiores cum Græci tum Latini ſignificationem iſtam, vocabulis τοῦ Ἅδου, atque *Inferorum* uti perrexerunt, ut ea quoq; loca exprimerent, quibus piorum animæ poſt mortem purgandæ detineri ex Orthodoxæ Eccleſiæ Traditione creduntur. Quare non ſatis rectè Græcos Chriſtianos Schiſmate à nobis ſejunctos culpare viſus eſt mihi Thomas Smithus in Ep. *de Græcæ Eccleſiæ hodierno ſtatu*, ubi illos in *errorem Origenicum de animabus impiorum ex Inferno tandem liberandis prolapſos* ſuſpicatur, eò quòd in Confeſſione dogmatica ſcribant: Βέβαια πολλοὶ ἀπὸ

τοὺς ἁμαρτωλοὺς (ità illic ſcriptum lego) ἐλευθερώνονται ἀπὸ τῶν δεσμῶν τοῦ ᾅδου, *&c.* *Certò multi peccatores à vinculis Inferni liberantur*, &c. videlicet, uti ſubdunt, *propter viventium pia opera & eleemoſynas, & Eccleſiæ pro iis fuſas orationes, & potiſſimùm propter incruentum Sacrificium*, &c. Non eſt illic ᾅδης propriè *gehenna*, ſive æternus damnatorum locus, ſed quidem clauſtrum illud, quod nos Latini *Purgatorium* appellamus, Græci verò Schiſmatici nomine quidem negant, at cum Patribus re affirmant Quod ſi etiam pro *gehenna* accipere velis, nihil moramur; adhuc enim apud Græcos ſtare vides Catholicum dogma de Animabus quibuſdam levium peccatorum reis, & poſt mortem in aliquo tormentorum loco purgandis. Et certè de ſitu eorumdem locorũ diſputare adhuc nefas non eſt. Cæterùm potuiſſet nobis etiam hanc inurere notam Smithus, cùm in Latina quoq; Liturgia, quando preces Deo offeruntur pro piis vita functis, dicatur *Domine Jeſu Chriſte libera animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis Inferni, &c.* Verùm, utì diximus toties, Orientalibus vox ᾅδης, Occidentalibus vocabulum *Inferi* modò piorum, modò impiorum ergaſtulum poſt mortem ſignificabant, & adhuc ſignificant.

In alterum autem ex his ergaſtulis demerſum poſt mortem fuiſſe *Divitem* illum, cujus Hiſtoriam aut Parabolam refert Chriſtus, ex ipſo Luca diſcimus in Evang. Cap. XVI. 21. *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in Inferno. Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis*, &c. Ex omnium conſenſu qui hìc memoratur *Infernus* à S. Luca, & vocabulo τοῦ ᾅδου exprimitur, nihil aliud eſt, quàm pœnarum locus, quò impiorum animæ poſt diſceſſum è vita truduntur. Quare hinc etiam apertè colligitur, quam notionem in auditorum animo excitare ſoleret ea vox *Hades*, quidve per eam ſignificare vollent Judæi Helleniſtæ, & quam vim ipſi tribueret S. Lucas. Sed ne cui ſuccurrat cavillationibus elevare, atque eludere iſtius loci robur, quaſi Infernus hìc pro *Sepulchro*, & *Inferno* pro mera hominis ſepultura accipi poſſit, neceſſe eſt animadvertere, hoc in loco non ſatìs reſpondere Græcis exemplaribus verſiculos vulgatæ verſionis, atque inde factum eſſe, ut hìc minus aperta ſit Evangeliſtæ mens. At in Græcis hæc ità ſe habent ℣. 22. Ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος καὶ ἐτάφη Tum ſequitur ℣. 23. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, &c. Hoc eſt: *Mortuus autem eſt & dives, & ſepultus eſt. Et in Hade, ſeu Inferno, elevans oculos ſuos*, &c. Græca omnia exemplaria in hanc lectionem conſen-

ſentiunt, tum Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique Græci Interpretes. Sic etiam nonnulli manuſcripti Codices Latini legunt, & Auguſtinus, aliique olim legebant. Accedit, & poſt Græcam in primis audienda eſt Syriaca Verſio, cujus verba placet afferre. Ità ergo Lucam exprimit Interpres ille: *Dives mortuus eſt, & ſepultus eſt. Et cùm cruciaretur in Inferno.* Quantâ veneratione digna ſit hæc Novi Teſtamenti verſio, eruditis compertum eſt. Ejus antiquitatem ad Apoſtolicum uſque ævum referre quidam non dubitârunt. Quare *inferna* impiorum ergaſtula procul dubio apud S. Lucam memorari vides, & per vocem *Hades* ſignificari. Sed aliam inſuper magni momenti rem nos edocet hic idem Syriaci Interpretis locus. Nam quod Lucæ eſt ἐν τῷ ᾅδῃ, Interpreti eſt *beſciol*, hoc eſt, *Hades* redditur per *Scebol*. Illud autem exploratum eſt, Syriacam hanc linguam, ſeu Syro-Chaldæam, Chriſti & Apoſtolorum ævo inter Judæos Hieroſolymitanos finitimóſque etiam populos vernaculam fuiſſe. Eâdem uti conſueverunt Chriſtus ipſe, ac Apoſtoli, cùm alloquebantur plebem. Hæc autem, ſi ſeriò penſentur, maximo ſunt argumento, & Chriſtum in ea narratione *Inferos*, ſeu tormentorum loca per vocem *Scebol* expreſſiſſe, & S. Lucam pro animarum ſedibus ſubterraneis eamdem vocem accepiſſe tum in laudato Pſalmo XV tum in Petri concione, ſecutúmque in ea interpretatione fuiſſe traditionem Judaïci populi Syriacè loquentis, ſicuti in uſu vocis *Hades* mentem apertam ſequebatur Judæorum Græcè loquentium, & infernas animarum ſedes eo vocabulo deſignantium.

Poſt quæ neceſſe eſt protervus ſit Academicorum diſcipulus, & par infidelibus, qui negare pergat, conſtitutum, creditúmque à S. Luca deſcenſum animæ Chriſti ad inferos. Itidémque eſt hìc agnoſcere conſuetam Phereponi confidentiam, qui temerè conjunctum Symbolo fuiſſe ait placitum iſtud. Talem ſententiam nunc nos quærimus, & evidenter expreſſam reperimus in verbis & mente illius Scriptoris, quem fidum Interpretem Chriſti atque Apoſtolorum Interpretum Spiritus S. elegit. Tota Chriſtianorum antiquitas eamdem illic ſententiam vidit, & Traditioni conſonam ſtatuit, & Gnoſticorum, Arianorum, Eunomianorum, ac in primis Apollinariſtarum erroribus oppoſuit. Eò etiam retulit Apoſtoli verba ad Epheſeos IV. 9 ubi Chriſtus dicitur deſcendiſſe εἰς κατώτατα, κατώτερα μέρη τῆς γῆς, *in infimas ſeu inferiores partes terræ*, unde & aſcendit *captivam ducens*

ducens captivitatem: quibus verbis innuit Apoſtolus, Chriſtum deſcendiſſe, non in ſuperficiem terræ, ubi degunt mortales, non in ſepulchrum paucis ulnis ab hac ſuperficie remotum, ſed in profunda terræ penetralia, unde Sanctorum animas, quas alibi καταχθονίους appellatas ab ipſo Paulo vidimus, eduxit, & in cœlum ſubinde intulit. Ad eamdem rem Eccleſia docet, pertinere poſſe alia ſacrarum Literarum loca, quæ viciſſim dant accipiúntq; lucem ex Actorum Cap. 2. & apud Catholicos Polemicæ Theologiæ illuſtratores occurrunt. At Phereponus, ejuſdémq; gregis alii, vires Criticæ ſuæ eruditionis exercent atque exhauriunt in hujus Articuli πάρεργα quædam. De *doloribus* inferni, quos impiè Chriſto tribuit Calvinus, & de inferorum loco, & de vocabulo *nephesc*, ſeu *anima*, diu ſed fruſtrà diſputant. Auguſtinum dictatorio edicto proſcindunt, quòd *infernum* in eodem Actorum loco memoratum pro impiorũ ergaſtulo accipiat; alias etiam quæſtiones miſcent, & ferè ubique Patribus antiquis ignorantiæ dicam nullo negotio impingunt, atque ut mirêre magìs, antiquiſſimas has opiniones è Pontificiis tandem invectas Ligtfootus ait (quo judicio videant alii) ut Purgatoria officina apud nos ſtatueretur. Sed quantùm lubet illic ſibi placeat hoc hominum genus Noſtrûm non eſt hoc pelagus ingredi. Id ſatìs eſt Catholicis, quòd nullus Patrum Chriſtum ad *inferos*, h. e. ad inviſibiles poſt corporis mortem animarum ſedes deſcendiſſe negârit, imò omnes ferè cùm Latini, tum Græci, cùm veteres, tum recentiores affirmârint. Hanc nobis veritatem reique arcem eripere, ut vidimus, Novatores non poſſunt. Cæterùm utram inferorum partem Chriſtus adierit, quidve illic egerit, atque alia hujuſmodi πάρεργα, etiam apud antiquos Patres diſputationis argumenta fuerunt. De his inter eos minimè conſtitit; adhuc non ſatìs conſtat; ſed omnium conſenſus fuit, animam Chriſti in *Hadum*, ſeu in *inferna* penetrâſſe. Quare cùm Auguſtinus à Pherepono inſimulatur, quòd *inferos* apud S Lucam, atque in aliis Scripturæ locis memoratos, pro ſubterraneo impiorum domicilio accipere ſemper ſoleat, cùm tamen vox *Scehol* id nunquam ſignificet: primò reſpondere poſſemus, Syriacum Interpretem, utì nuper animadvertimus, eâ voce uti, *Orcum*, ſeu *Tartara*, uti loquitur S. Petrus, ſeu locum pœnarum deſignaturus. Secundò in Thalmudicis Libris, & à Bar Nachmoni, atque ab Aben-Ezra, & in Libro Judaicarum Precum, & ab aliis Rabbinis cùm recentibus, tum vetuſtiſſimis, *Scehol* non ſolùm pro bonorum poſt mortem manſione

one accipi, ſed etiam pro Gehenna, ſeu Tartaro. Tertiò Auguſtinum eam opinionem ità imbuiſſe, ut contrariam tamen haud quaquam aſpernaretur. Imò, uti diximus, aliis in locis à priore ſententia ipſe receſſit. Tandem Auguſtini placitum nihil continere, quod Chriſti ad inferos deſcendentis dignitati, naturæ, atque inſtituto repugnet: à quo ſcopulo ſibi non cavit olim Calvinus. Verùm in iſto controverſiarum campo non juvat ultrà evagari. Multa utrinque dici poſſent; ſed cùm in obſcuris verſemur, utrinque demum incerta foret victoria. Nos contenti oſtendiſſe, certam Eccleſiæ, & Patrum, & Traditionis victoriam eſſe, dum in Symbolo à ſepultura Chriſti diſtinguunt ejus ad inferos deſcenſum, ad alia properamus.

CAPUT X.

Non Apoſtolicâ Fide, ſed Apoſtolicâ Sede legendum in quodam Auguſtini loco. Phereponi ſomnia varia hîc nobis obtruſa. Alia Auctoritas veritatis, alia juriſdictionis. Quid commune cum cæteris Eccleſiis Catholicis, *quid ſuprà cæteras habeat Romana Eccleſia. Eo in loco Auguſtinus à Pherepono minimè intellectus. Epiſcoporum continuata ſucceſſio in Cathedra Romana inter Notas veræ Eccleſiæ computata, ab Auguſtino aliiſque vetuſtioribus ſanctis Patribus. Tertullianus ejuſdem ſententiæ fuit. Conſenſus & judicium Chriſtiani Populi ſuum quoque robur habet in controverſiis de Religione.*

CAtholicam Eccleſiam, ſolam nempe Religionis veræ cuſtodem atque hæredem, Auguſtinus multis comendat, & Manichæis perſuadet in Lib. de utilitate credendi. Cap. XVII hæc potiſſimùm habet: *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica Sede per ſucceſſores (ſucceſſiones* legendum eſſe arbitror) *Epiſcoporum fruſtra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majeſtate, damnatis, culmen Auctoritatis obtinuit?* Perquàm ſuſpecta ſunt Pherepono verba illa *ab Apoſtolica Sede; nam ſic ſolebat in Occidente Sedes Romana vocari; cujus Auctoritatem omnibus artibus amplificare conati ſunt* *exſcri-*

exſcriptores Librorum Eccleſiaſticorum Monachi Ità ſcribit Phereponus pag. 597. Animadv. Verùm mirari ſubit, hominem acutum adeò levem infelicémque occaſionem arripuiſſe, quâ dum Auguſtinianos Codices emendandos ſuſpicatur, Apoſtolicæ Sedis auctoritatem ac præſtantiam ſuis dictis impeteret. Cenſet enim, non *ab Apoſtolica Sede*, ſed *ab Apoſtolica Fide* hìc eſſe legendum. Hujus ſubſtitutæ vocis eam rationem ille reddit, quòd *primam Auctoritatem Eccleſiæ Chriſtianæ traherent ab Apoſtolica Fide*; parem enim cum Apoſtolis ſententiam tuebantur. Tum Tertulliani locum è Præſcriptionum Libro in hanc rem adfert, quaſi revocari in dubium à Chriſtianis tam aperta veritas poſſit, ſi epithetum illud *primam* à Pherepono uſurpatum excipias, quòd explicatione fortaſſis indigeat. Sed Auguſtini verbis nulla prorſus adhibenda eſt emendatio, & inepta eſt, quam Phereponus propoſuit; & ipſe Tertullianus Auguſtini verba rectiſſimè ſeſe habere oſtendit.

Totus eſt Auguſtinus in eo Libro, ut & Gentilibus, & Hæreticis, & Manichæis potiſſimùm, oſtendat, Religionem Catholicam reliquis, ſi ità appellare licet, Religionibus eſſe præferendam. Ad hanc veritatem attingendam, brevem præſcribit, & commodam, & certam methodum, quæ vel ipſis rudioribus eſſe, ut ità dicam, poſſit ad manus. Nimirum Notas quaſdam, & *Motiva*, ut ajunt, *credibilitatis* enumerat, quæ uni Chriſtianæ Religioni, Catholicæque Eccleſiæ, conveniunt, cæteris non conveniunt, & ab ab ipſis quoque imperitis dignoſci facilè poſſunt. Quibus ità propoſitis, vela contrahit, hominémque nondum ab Hæreſi ad Catholicam Fidem converſum alloquitur ſuprà laudatis verbis, ubi nonnullas repetit ex iis prærogativis ac Notis, quæ Catholicam Fidem Eccleſiámque ſuprà Hæreticas evidenter commendant, quales ſunt, *Confeſſio generis humani, Epiſcoporum Succeſſio in Cathedra Petri*, *Miracula &* hujuſmodi alia, quæ faciunt, ut credendum ſit Catholicorum Eccleſiæ, non autem Hæreticorum. *Apoſtolica Fides*, quam hìc Phereponus excogitat, nihil ad rem feciſſet. Nam quotus quiſque Hæreticus eſt, qui *Fidem Apoſtolicam* ſibi non arroget ac tribuat? Se nempe cum Apoſtolis ſentire omnes cùm recentiores, tum veteres Hæretici, & vel ipſi peſtilentiores dictitant & perſuaſum habent. Qua in re etſi omnes toto cœlo fallantur, ab ea tamen opinione vix removeri poſſunt. ità ut hæc ſit omnium maxima inter nos atque Heterodoxos controverſia, potiùs quàm aliqua veræ Eccleſiæ prærogativa in omnium oculos incurrens.

Quam-

Quamobrem inepta eſt, & ab Auguſtini mente aliena, Phereponi correctio.

Verum, inquit Cenſor, *ſi Auguſtinus de Eccleſia per omnes terras ſparſa hæc intellexit, falſum eſt eam ab Apoſtolica Sede culmen Auctoritatis obtinuiſſe; omnes enim norunt, Orientales Eccleſias priores tempore fuiſſe, nec ullam auctoritatem ab ulla Occidentali trahere voluiſſe. Si quid Apoſtolica Sedes habuit Auctoritatis, id promanavit ex communione, quæ ei fuit cum cæteris Eccleſiis Chriſtianis, quæ omnes ſimul omnem ſuam poteſtatem Chriſto capiti debent.* Tum addit, ne Africanas quidem Eccleſias, tempore Cypriani & ipſius Auguſtini, Auctoritatem ſuam Romanæ debere voluiſſe, quamvìs eam fortè matrem agnoſcerent, ut ſat liquet ex contentione cum Stephano, & ex altera de transmarinis Appellationibus. Porrò vel hinc intelligere licet, quid livor & odium poſſint in Criticorum animis. Utique de Eccleſia Catholica hæc ſcribit Auguſtinus. In Eccleſia autem Dei per omnes terras diffuſa conſiderari poteſt duplex *Auctoritas*; altera *veritatis*, & *ſanctitatis*; altera *Juriſdictionis*, & *Regiminis*. Per priorem comparatur Eccleſia Catholica cum tot Hæreticorum & Gentilium gregibus. Veritas enim, & ſanctitas ità ſunt in Religione & Eccleſia Catholica, ſive univerſali, ut ipſa non ſolùm *culmen Auctoritatis* meritò ſibi vendicet ſupra cæteras Religiones, atque Eccleſias non Catholicas, ſed etiam una ipſa vera ſit & ſancta, reliquæ falſitatis & impietatis officinæ. Per alteram *Auctoritatem* comparari poteſt una ſingularis Eccleſia Catholicorum cum altera Eccleſia itidem ſingulari Catholicorum. *Juriſdictionis* nomine atque *Regiminis* intelligimus poteſtatem & jus explicandi ſacras Literas, dirimendi controverſias ſive Fidei, ſive Morum, conficiendi & miniſtrandi Sacramenta, conſtituendæ Diſciplinæ, docendæ, & regendæ plebis. Exploratum habemus, poſtremam iſtam *Auctoritatem* ab Eccleſiæ capite Chriſto, tanquam à fonte, per omnes Catholicæ communionis Eccleſias fluere. Quod eſſe verum non ceſſat, quamvìs illam, non immediatè, ſed mediatè, hoc eſt per Apoſtolos, per Succeſſores Petri, per alios Epiſcopos, atque Eccleſias, emanare in poſteros; & in alias Eccleſias dicamus. Et ejus quidem portionem maximam immediatè à Deo in Epiſcopos deſcendere, Catholici ferè omnes fatentur. Cæterùm partim ex inſtitutione divina, & ex vi Ordinis Hierarchici, partim ex diſciplinæ legibus, majorem habent *Auctoritatis* portionem Epiſcopi, quàm Presbyteri; & majorem unus Epiſcopus, aut una Eccleſia,

quàm

quis Catholicorum ſibi tantum non tribuiſſet ac tribueret *Auctoritatis*, quantum Apoſtolicæ Sedi, Romaniſque Pontificibus ſemper fuiſſe, eſſe, ac fore apud nos conſtat? Ubinam verò tum foret Hierarchicus ordo, & *Auctoritatis* diverſitas, ſive à Chriſto, ſive ab Apoſtolis, ſive ab Eccleſia ipſa, inter Epiſcopos, & Eccleſias conſtituta? *Communio cum cæteris Eccleſiis* Catholicis nihil aliud præſtat, quàm ut Catholicus homo, & Eccleſia ſingularis, Catholica intra veram Eccleſiam ſit, & vinculo fidei & caritatis cum reliquis membris uniatur. At illa nihil *Auctoritatis* confert. Aliunde maneat Epiſcoporum & Eccleſiarum *Auctoritas*, nempe ab inſtitutione Chriſti, ac Apoſtolorum, à ſacris Ordinibus, à Diſciplina. Quidquid autem *Auctoritatis* Apoſtolica Sedes habet (ampliſſimam autem habet,) ab eo potiſſimùm deſcendit, qui ſuprà Petrum fundavit Eccleſiam, & ipſi Petro ejúſque ſucceſſoribus paſcendum gregem ſuum dedit, ipſiſque primatum in Eccleſia univerſa conceſſit.

Sed Phereponus cum ventis pugnat, & nos cogit ſecum longè ab Auguſtini mente vagari. Nihil de hujuſmodi quæſtionibus eo in loco Auguſtinus habet; idq; vel leviter attento Lectori patere continuò poterat. Nam cur Auguſtinus de *Auctoritate* ſecundi generis eâ occaſione loquatur, & jura Eccleſiarum ſingularium cum Apoſtolicæ Sedis juribus conferat? Quid hoc ad rem, qua de agebatur? Contra Hæreticos erat prælium, atque oſtendendum fuit, ſupra quamlibet aliam Religionem & ſocietatem prævalere, culménq; *Auctoritatis* obtinuiſſe Catholicam Religionem atq: Eccleſiam, ità ut dubitare nemo ampliùs deberet, ſe iſtius Religionis & Eccleſiæ gremio condere, cæteriſque renuntiare falſis & impiis religionibus. Nihil hìc feciſſet illa quæſtio, an Apoſtolicæ Sedi ſuam *Auctoritatem*, atq; juriſdictionem cæteræ ſingulares Catholicorum Eccleſiæ deberent. Non Eccleſiæ Catholicorum inter ſe conferendæ erant, ſed univerſalis Catholicorum Eccleſia conferenda erat cum omnium Hæreticorum Eccleſiis. Quamobrem conſtare facilè poteſt, Auguſtinum dicentem, Eccleſiam Catholicam *culmen Auctoritatis obtinuiſſe*, nihil aliud intellexiſſe, quàm *Auctoritatem* primi generis, h. e. *Auctoritatem veritatis*, per quam procul dubio Religio Catholica atq; Eccleſia quoſlibet Hæreticos poſt ſe relinquit, & falſi arguit. Talem *Auctoritatem* ex aſſe poſſidet quæcumque Catholica Eccleſia, neque ejus partem potiorem una ſibi tribuit, quàm altera. Non enim magìs Orthodoxus eſt Roman. Pontifex, quàm quilibet alius Epiſcopus, aut etiam quilibet alius homunculus,

culus, dum tamen & iſti cum Eccleſia Catholica ſentiant, & cum ipſa communionem ſervent. Neque propriè *Auctoritatem* iſtam ab *Apoſtolica Sede* trahunt reliquæ Catholicorum Eccleſiæ, multóque minus ipſamet Eccleſia univerſalis, in qua eſt ipſe Rom. Pontifex; ſed à Chriſto, ſed à Revelatione divina, quæ certos nos facit, ab una Religione & Eccleſia Catholica veritatem ſtare, errorem verò à cæteris ſocietatibus, quæ ſibi nomen Religionis uſurpant.

Quid ergo Auguſtinus innuere voluit, cùm dixit, Eccleſiam ab Apoſtolica Sede *culmen Auctoritatis* obtinuiſſe? Ad cognoſcendam veram Chriſti Eccleſiam, de qua ſæpè diſputatum eſt, & adhuc diſputatur adversùs Hæreticos, ea ſemper Nota præter alias præſto fuit, ac erit, legitima videlicet in Eccleſiis Catholicis *Epiſcoporum ſucceſſio* ab Apoſtolis ad ea uſque tempora, quibus diſputatur. At quandoquidem Romana Sedes cæteris antiſtat, ſuámq; originem ſinè dubitatione ducit ab Apoſtolorum Principibus: hinc Epiſcoporum in Romana Sede *ſucceſſio* potiſſimùm conſideratur, & pro veræ Eccleſiæ Nota accipi conſuevit. Quî enim vera ſit Chriſti Eccleſia, quæ nullos, aut nos veros habet Paſtores, & Epiſcopos? Illi autem certè alſi & illegitimi Paſtores ſunt, qui à nemine idoneo Paſtore aut ordinationem, aut miſſionem, aut ſucceſſionem trahunt, qui non intrârunt per oſtium, neque ad Apoſtolos per legitimam genealogiam referre poſſunt poteſtatem, quam uſurpârunt. Contrà nihil vel apud veteres evidentiùs erat, quàm Apoſtolicæ Sedis Antiſtites ab Apoſtolis per legitimam ſucceſſionem atq; ordinationem deſcendere; quare in Romana Eccleſia manifeſtè aderat ea veræ Eccleſiæ Nota, quæ olim deſiderabatur in omnibus Hæreticorum conventiculis & adhuc deſideratur in Hæreticis noſtrorum temporum. Cum Apoſtolica Sede reliquæ Eccleſiæ Catholicæ tum doctrinæ tum Sacramentorum communionem ſervabant. Omnes autem ſimul conficiebant Eccleſiam Catholicam, ſive univerſalem, veram Chriſti ſponſam, cujus veras & evidentes notas ne Hæretici quidem poterant negare.

En igitur quod Auguſtinus ait: Dubitabimus ne ejus Eccleſiæ atq; ejus Religionis nos condere gremio, in qua tantum auxilium Dei, tantum profectum fructúmq; videmus? quam totus terrarum orbis ſecundùm Chriſti promiſſa confitetur? quæ cum Apoſtolica Sede ſemper conſenſit, atque conſentit, legitimámq; Epiſcoporum ſucceſſionem in Cathedra Petri manifeſtiſſime oſtendit? & quæ Hæreticis, partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate,

tate, partim etiam miraculorum majeſtate, damnatis, *culmen Auctoritatis*, hoc eſt *Auctoritatem veritatis*, ſuprà cæteras hominum ſocietates obtinuit? Quod hìc Auguſtinus habet, aliis in locis habet, ut mirum ſit Phereponum tam ſupinè hìc egiſſe. In Lib. contra Epiſtolam fundamenti Cap. 4. ità ille ſcribit: *In Eccleſiæ Catholicæ gremio me juſtiſſimè tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* In Ep. 165. nunc 53. contra Donatiſtas: *Si*, inquit, *ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam? Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens*, &c. Et in Pſalmo contra partem Donati: *Numerate*, ait, *Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Auguſtino præiverant in hocce argumenti genere non ſolùm Optatus Milevitanus, & Epiphanius Auguſtini æqualis, ſed vetuſtiſſimus etiam Irenæus, qui Hæreticis fruſtra ſolicitatis, ut originem Eccleſiarum ſuarum, ſucceſſionémq. Epiſcoporum ab Apoſtolis oſtenderent, Romanæ poſtea Eccleſiæ Antiſtites numerant ab Apoſtolo Petro ad ſua uſque tempora legitimè alterum alteri ſuccedentes.

Sed quando placuit Pherepono Tertullianum huc advocare, hic ipſe antiquiſſimus Scriptor Auguſtinum explicet. Inquit ille in Lib. de Præſcript. c. 32. *Edant ergo Hæretici origenes Eccleſiarum ſuarum. Evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ità per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne conlocatum referet: ſicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum itidem &c. Confingant tale aliquid Hæretici.* Videat igitur Lector, quàm nullâ neceſſitate, nulláque ratione Pherepomus illum Auguſtini locum per ſe clariſſimum, & cum tota antiquitate, imò cum aliis Auguſtini locis conſentientem, ſibi corrigendum ſumpſerit. Animadvertat etiam velim, Romanam Eccleſiam alibi, h. e. in Epiſt. 104 nunc 191 & 105 nunc 194. antonamaſticè appellari *Apoſtolicam Sedem*. Cæterùm modeſtus hic Cenſor non ità ſibi fidit, ut hujuſmodi telum ſibi à nullo eripiendum eſſe arbitretur. Quare pugnam & arma mutat adversùs ipſam Apoſtolicam Sedem. *Quod ſi* (demum addit)

Hh 2 *Augu-*

Auguſtinus omnino ſcripſerit Apoſtolicam Sedem: *Quod ſi* (demum addit) *voluit Manichæos Afros adducere ad Eccleſiam Catholicam Africanam, quæ conſentiebat cum Sede Romana. Sed id argumentum levius; nam quis promiſerat Eccleſiis Apoſtolicis, nunquam eas à Chriſti doctrina aberraturas? Nemo.* Si petatur, an omnibus Eccleſiis Apoſtolicis quiſquam ſingillatim promiſerit immunitatem ab erroribus in doctrina Chriſti, nos quoque reſpondebimus: Nemo. Et hanc veritatem non arbitror Auguſtinum exſpectâſſe, ut noſtris temporibus à Phereponо edoceretur. Sin autem quæratur, an eamdem immunitatem pollicitus quiſquam fuerit Apoſtolicæ Sedi Romanæ; non eſt hujus loci illa quæſtio. Adhuc enim extra chorum ſaltat Phereponus, & controverſiæ ſtatum ignorat. Non, inquam, ab Auguſtino tum quærebatur, an ex præcipuo Chriſti munere Apoſtolica Romana Sedes à doctrina veræ fidei nunquam aberratura fuiſſet ac eſſet. Oſtendebat ille, Catholicam Eccleſiam eſſe verum Chriſti ovile, quòd omnes in eam Notæ concurrerent, per quas vel ab imperita plebe dignoſci poteſt vera Chriſti Eccleſia. Ex his Notis ea conſpicua fuit, quod Hæreticis legitima Epiſcoporum ſucceſſio ab Apoſtolis uſque non eſſet; contrà eſſet Eccleſiæ Catholicæ, utì conſtabat exemplo Apoſtolicæ Sedis, quacum reliquæ omnes Eccleſiæ Catholicæ ſentiebant atque communicabant, tanquam cum unitatis centro, & Eccleſiarum omnium Principe Eccleſia. Eccleſiæ itaque Catholicæ omnes (inter quas Apoſtolica Sedes præcipuis prærogativis eminebat,) non hac ſolùm Notâ, ſed aliis etiam veræ Eccleſiæ Notis inſtructæ, eam Catholicam Eccleſiam conflabant, & apertè indicabant, in qua una eſt veritas atque hæreditas Chriſti, & contra quam Inferorum portæ nunquam prævalebunt. His Notis deſtitutæ Hæreticorum Eccleſiæ, nonniſi officinæ mendacii appellandæ fuerunt.

Porrò Phereponus, cujus plurimum intereſt ſuum Hæreticis impertiri patrocinium, tanquam levia argumenta contemnit judicium plebis, Conciliorum gravitatem, & miraculorum majeſtatem, quibus Auguſtinus ait damnatos fuiſſe Hæreticos. Concilia enim (ut ipſe nos monet) & plebis conſenſus, *tam falſis favere poſſunt, quàm veris.* Quod eſt ad conſenſum judiciúmque Chriſtiani populi, ſi cum gravibus quibuſdam circumſtantiis & qualitatibus conjungatur, firmiſſimum etiam poteſt eſſe veræ doctrinæ, germanæque Traditionis, indicium. Cùm nempe quiſpiam in Eccleſia Dei nova & inaudita dogmata venditare inci-

incipit, quæ ipſemet populus contraria deprehendit ſententiis à Majoribus acceptis, & omnium conſenſione dudum ſacratis. Tunc à doctrina Chriſti & Apoſtolorum abhorrere nupera illa inventa, plurimum perſuadet populorum ipſorum conſenſus eadem execrantium, eorúmque propolas unâ voce damnantium. Niſi enim populus Chriſtianus aliquâ novâ ſuperſtitione imbutus demonſtretur (quod vix generaliter accidere poteſt:) illũ per ſe antiquitatis, veteriſque Traditionis tenaciſſimum, & novitati infenſum eſſe, quotidiana experientia docet. Vix Paulus Samoſatenus peſtilentiſſimam ſuam Hæreſim exeruit, cùm Antiochenus populus in ipſum ejúſque inſaniam exarſit; neque enim ſentire non poterat, quantùm ab antiqua & communi Chriſti doctrina, ſibi à primis annis tradita, abeſſet Samoſateni fermentum. Quid autem eſt, quòd in Arii quoque & Neſtorii ſententiam conſentire nolebat Chriſtianum vulgus, imò eandem averſabatur atque damnabat, quanquã multos è ſuis Paſtoribus in adverſis caſtris militare videret, niſi quia menti omnium inſidebat aliud ab Ariano ac Neſtoriano dogma, & alia omnino contraria Traditio? Cur concoquere initio Chriſtiana plebs minimè potuiſſet hominum illorum doctrinam, ſi eam à Paſtoribus dudum antea accepiſſet atque imbibiſſet, tanquam Orthodoxæ Fidei & veritati conformem? Certè Arianâ labe infecti Epiſcopi errorem diſſimulare & fraudibus obtegere cogebantur, ne fidelium animos à ſe abalienarent, unde celebre illud Hilarii dictum, *ſanctiores fuiſſe aures plebis, quàm corda Sacerdotum*: quæ verba etiam à Hieronymo repetuntur contra Joannem Hieroſolymitanum. In his igitur caſibus à judicio & conſenſu Chriſtiani populi maximum pondus accedit Hæreticorum damnationi. Ad Concilia Catholicorum, quod attinet, jam vidimus, quanta ſit, ſi ritè habeantur, eorum auctoritas adversùs Hæreticos, cùm potiſſimùm generalia ſunt, & univerſam Eccleſiam repræſentant, quam ſtabilem æternùm futuram, & nunquam in vera doctrina erraturam apertiſſimè pollicitus eſt Chriſtus. Hæc Auguſtino memorantur; hæc veris favere poſſunt, non falſis. Sed Phereponus & Hæretici nullos in rebus Fidei Judices amant, nam cùm eruditionem tantùm ſuam, & ſacras Literas in his rebus judices volunt, ſuum ſimul arbitrium fallacémque intellectum judices volunt. Eruditio eſt ipſis ferè Hæreticis, adeò inter ſe diſcordibus; eſt & Catholicis. Sacras Literas in ſuam ſententiam quiſque interpretatur, hominúmque infirmitate, atque malitiâ, poſſunt hi ſoli judices tam veris

Digitized by Google

favere, quàm falſis. Proinde judices alii neceſſarii ſunt Eccleſiæ Dei ad puritatem, veritatem, atque unionem doctrinæ tuendam. Niſi alios Judices Chriſtus dediſſet, minus quàm ipſi homines, hominum & rerum publicarum Legiſlatores, ſuæ Eccleſiæ caviſſet; minus proſpexiſſet novi fœderis, quàm veteris regimini. Quòd ſi temerarius & demens foret, qui ideo in humanis rebus civilibúſque controverſiis Judicem quemvis detrectaret, quòd omnis humanus Judex tam veris favere poſſit, quàm falſis: quantò graviùs delinquet ille, qui acquieſcere ſuo potiùs judicio velit in æternæ ſalutis negotio, quàm Catholicorum Conciliis ritè habitis, aliíſque legitimis Eccleſiæ Judicibus à Chriſto conſtitutis, quibus adfuturum eſſe Spiritum veritatis ad finem uſque mundi novimus?

CAPUT XI.

Miracula in Eccleſia Dei patrata, à Novatoribus, & à Phereponio in dubium revocantur. Exceſſus prudenti Catholico fugiendi in iis credendis. Miracula quædam certiſſima fuêre. Stratagemata & fucus iniquè appellantur à Pherepono, cujus Sophiſmata in hanc rem exploduntur. Auguſtinus mendacio infenſiſſimus; & Phereponi calumnia contrarium inſinuantis. Nulla impoſtura nota, & omnia veritatis ſigna confluunt in miracula ab Ambroſio & Auguſtino narrata. Cœci Mediolanenſis ſanati ad Reliquias Sanctorum Gervaſii & Protaſii Hiſtoria expeditur ab aëreis Phereponi objectionibus. Ambroſius in ea narratione fide digniſſimus. Dæmones ab obſeſſis corporibus reverà depulſi. Phereponus ſacras Literas per latus oppugnat.

MIraculorum quoque majeſtate damnatos Hæreticos Auguſtinus ait. At iſta pariter pro nihilo Phereponus ducit. En potentiſſimam rationem, cur ea Criticus noſter exſibilet. *Hæc*, inquit, *illo ævo ſtratagemata erant Eccleſiaſtica, quibus plebeculæ fucus fiebat.* Ingenioſam profectò methodum, quâ ſe ab adverſariis citò litigator expediat. Quando rationes urgent, nullúſque alius exitus datur, facta ipſa, quanquam luce clariora, negantur. Inficiari non

non audebat Phereponus, quin ſolidiſſimum veritatis rectæque fidei argumentum ſint miracula; non enim Deus pro errore mirabilia operatur, utpote qui decipere nos neque poſſit, neque velit. Catholica Eccleſia miraculis etiam (quod Hæreticis non contingebat) ſuam fidem tuebatur. Ergo ab Hæreticorum patronis res ipſa neganda fuit. Et quidem nihil diſſimulem, non unus eſt Phereponus, qui Eccleſiæ Catholicæ miraculis fidem detrahere conetur. Socios in eo ſtudio habet, quotquot à Catholicorum communione diſceſſerunt. Neque hunc unum locum elegit ille, quo miraculis, & Auguſtino miracula proferenti ac memoranti, litem intenderet. Aliis in locis idem præſtitit Phereponus, neque ullam abire paſſus eſt factam ab Auguſtino miraculorum mentionem, quam non irrideat aut carpat. Immo vir, cætera imitari ſolitus Eraſmum ſuum, præterquam in ſarcaſmis, Comicóque genio, frenos tamen ſeveritatis tum excutit, cùm ventum eſt ad Sermonem Auguſtini 322. quo Pauli cujuſdam ejúſque ſororis curatio narratur ad Sancti Stephani Reliquias Ex hujuſmodi narratione Comœdiam Eccleſiaſticam conflavit lepidus Cenſor, eámque in ſuos Actus partitus eſt, tantumque ſibi poſtea propter ejus fabulæ inventionem placuit, ut ſuas in Auguſtinum Animadverſiones in Bibliotheca ſelecta ipſe recenſens, vix à ſibi plaudendo temperare potuerit.

Quæ ſit prudentum Catholicorum ſententia de miraculis, primò videamus. Fuerunt, ac æternùm erunt in vera Eccleſia Dei miracula vera, quæ Deus operatur per Sanctos ſuos. Si iſta cum aliis veræ Religionis atque Eccleſiæ Notis conjungantur, Orthodoxæ Fidei ſunt fidiſſimi teſtes. At neque fidelibus exigenda ſunt, ſive quærenda; non enim ampliùs iis indiget vera Fides & Eccleſia, ut ſuam veritatem oſtendat. Neque ſupranaturali fide ullum credere cogimur ex iis miraculis, quæ extra Canonicas Scripturas ab Hiſtoricis, ſanctiſſimíſque etiam Viris referuntur. In hoc autem negotio duplex animadverti poteſt exceſſus: alter eorum, qui nimis multa, alter eorum, qui nimis pauca credunt. Judicio illi, temeritate iſti peccant. Nam exploratum eſt, fuiſſe olim, & adhuc eſſe, imò eorum ſobolem diu duraturam, qui miracula confinxêre, ſive pravum, ſive bonum in finem; alióſque plures fuiſſe, qui ſinè ullo criterio atque indiſcriminatim tam veris quàm fictis mirabilibus adjunxêre fidem, eâq; ad poſteros bonâ fide tranſmiſerunt. Tum crimini, tum nimiæ cre-

dulitati iſti, ſe perpetuò oppoſuêre ſancti Patres, Romani Pontifices, Concilia ſacra, & Eccleſia univerſa Danielis exemplo. Veritas enim falſitate ad ſui tutelam non eget; & falſa facere poſſunt, ut apud ſuſpicioſos homines auctoritatem vera quoque deperdant. *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* ajebat ſanctus Vir Job, XIII. 7. ſed & alter exceſſus eſt, ideo veris negare fidem, quia falſis deprehenduntur immixta; & æquè ſtultum eſt nimis pauca, imò nulla credere certa. Si in alterutram partem peccandum eſt, pietas & prudentia poſcit, ut ut potiùs periculo nos exponamus facta credendi; quàm vera negandi. Interim judicio Critico hic opus eſt; & expendenda ſunt omnia, ut quantùm fieri poteſt, miracula germana à ſpuriis, certa ab incertis, vera à falſis diſtinguantur. Proinde hìc quoque præceptum Apoſtoli valet 1. ad Theſſ. V. 21. *Omnia probate: quòd bonum eſt, tenete. Ab omni ſpecie malâ abſtinete vos.*

Accedat nunc Pherepontus, & dicat, ſuſpecta ſibi & conficta videri, quæcumque miracula à Catholicorum parte narrantur. In alterum ſanè exceſſum ſe ille præcipitem dabit, priore pejorem, qui & facilè irreligionem auditores agat, & ab ipſis ſeverioris Criticæ legibus improbetur. In primis enim quis adeò deſipit, ut omnem Religionem ſuſpectam habeat, & ab hominibus excogitatam putet, quòd inter tot Religiones pleræque ſint hominum commenta, immo propter unam omnes adulterinæ ſint atque corruptæ, & non facilè ſit multis veram à falſis diſcerneré? Quis omnia antiquitatis monumenta, quis omnia facta, quæ in Hiſtoriis cùm profanis tum Eccleſiaſticis narrantur, pro mendaciis habeat, quòd multa iis immixta ſint dubia, conficta, & falſa? Recta itaque ratio nos docet, non ideo omnes miraculorum narrationes explodendas eſſe, quòd quædam, immo complures inter ipſas ſuſpicionem falſitatis ingerant. Deinde veræ Eccleſiæ cultoribus ſpem & facultatem etiam miracula patrandi, cùm Dei gloria poſceret, à Chriſto ipſo relictam fuiſſe, teſtis eſt Sanctus Marcus XVI. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent,* &c ut alia Evangeliorum loca prætaream. Hæc & alia mirabilia per ſervos ſuos, & per omne ſubinde ævum, reipſa operatum fuiſſe Deum, docti, pii, oculati viri teſtantur. Quid igitur cauſæ eſſe poteſt, quare in dubium revocemus, immo irrideamus, ſine ullo diſcrimine, quæcumque mira-

cula

cula à Catholicis facta narrantur? *Stratagemata*, inquit Phereponus; *hæc erant Eccleſiaſtica, quibus plebeculæ fucus fiebat.* In Notis verò ad Lib. 9. Cap 7. Conf. Aug. ubi refertur Inventio corporum Sanctorum Protaſii & Gervaſiii ità is loquitur: *Si hæc, aliæque hujuſmodi inventiones Sanctorum cadaverum, non fuiſſent conjunctæ cum ingenti lucro, ac emolumento eorum, qui ea effoderunt; multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in officio continendam, fidem eis non facilè detraherent.* Tum animadvertit, ex hac inventione auctam exiſtimationem auctoritatémque Ambroſii, & Arianos eorúmque patronam Juſtinam Auguſtam his miraculis fuiſſe repreſſos. In Notis etiam ad Epiſtolam 78. Sancti Auguſtini pag 492. eadem recinit, ac ait: *Ne quid mentiar, quanta mihi facta eſt fides de miraculis Chriſti & Apoſtolorum, quæ omnia veritatis indicia comitantur; tanta eſt de recentioribus diffidentia, cùm præſertim ſuperſtitioni, & lucro, multò magis quàm veræ virtuti propagandæ, ea ſerviiſſe videam.* Paria habet pag. 594. Animadv. ad Lib. 22. Cap. 8. de Civ. Dei.

Potiſſima itaque ratio, cur miracula iſta Pherepono, ejúſque gregariis, ſuſpecta ſint, & impoſturis accenſeantur, ea eſt, quòd non ſine ingenti lucro atque emolumento Auctorum fierent. Verùm, ſi tanta vis huic argumento ineſt, quantam opinatur Phereponus, videat ille, quî à ſuſpicione falſi vindicare jam poſſit tot miracula, quæ in Libris Canonicis, & veteris potiſſimum Teſtamenti, habentur. Vix ullum ex iis dabit ille, quod in aliquam utilitatem cedere non potuerit ſivè Auctorum, ſivè Hiſtoricorum: cùm ſi non aliud, exiſtimatio atque auctoritas creſceret aut ea patrantibus, aut ea pro ſua Religione narrantibus. Et quis infidelis, Phereponiano ingenio, ejúſqne Criticâ armatus, bellum iis quoque miraculis intendere, & aut impoſturæ ac impiorum ſtratagematum arguere non poſſit eorum Auctores, aut mendacii nimiæve crudelitatis eorum Scriptores? Quantùm vult ille clamet, ſe in *Chriſti & Apoſtolorum miraculis omnia veritatis indicia* reperire: impedire non poterit, quin & in iis, & præcipuè in narrationibus mirabilium antiquæ Legis, fraudem Ethnicus ſuſpicetur, ubi legitimum ſuſpicandæ fraudis argumentum præbeant emolumenti quæſiti, exiſtimationis, & gloriæ aucupandæ indicia, ſivè ſuſpiciones. Equidem nolo vel uno exemplo iniquam incredulorum & perditorum hominum cauſam juvare; ſed quî Phereponus non juvet ſuis incautis nimiúmque audacibus argumenta-

 tatio-

Digitized by Google

tationibus, non video. Si ergo Phereponus Chriſtianus eſt, à Chriſtianorum miraculis improbandis abſtineat eâ ſolâ temeritatis plenâ ratione, quòd iſta in lucrum, aliáque emolumenta Sacerdotum vergerent. Non patitur honeſtas & ratio, ut ſine magna cauſa alienam famam atque conſcientiam, tanti criminis, tantæque ignominiæ nota aut ſuperſtitione aſpergamus. Quantò autem minus in Ambroſium & Auguſtinum (quos ſolos nominatim Phereponus hîc inſectatur, & nos tueri ſolos volumus) temeraria iſta ſuſpicio cadere poteſt? Graviſſimi ac ſapientiſſimi viri erant. Certabat in iis cum pietate eruditio. Ignorare non poterant, quantum flagitium in oculis foret, quantum Religioni periculum adduceret, impoſturis operam dare. & mentiri, & fallere populos, quanquam pro vera doctrina confirmanda id fieret. Quæ veriſimilitudo, ipſos adhuc navâſſe fraudibus, & dedita opera gregem ſibi à Deo creditum fictis alerent prodigiis in tanta luce veritatis?

Hîc tamen nos interpellat Phereponus, & pag. 559. Animadv. ſignificat nobis, *mendacii tam inimicum non fuiſſe Auguſtinum, quàm volebat videri* Quam theſim ſtatuit ille, poſtquam magnâ confidentiâ in deteriorem partem accepit quædam Auguſtini verba, laudantis in Enchiridio Cap. XXI. *benevolentiam*, non autem damnantis *fallaciam eorum, qui pro ſalute hominis mentiuntur*. Ad quæ Cenſor ità ſcribit: *Videtur Auguſtinus loqui de ſalute æterna, ad quam nonnullis conciliandam multi tunc temporis mentiebantur, innumeris miraculis confictis, eum, ut dicebant, dumtaxat in finem, ut infideles ad fidem adducerentur. Eos non laudat Auguſtinus, ſed facilè iis ignoſcit: quòd frequens, ut quidem videtur, malum eſſet inter Eccleſiaſticos homines illius ævi.* At patiatur Phereponus, nos hæc appellare, modeſto planè vocabulo, interpretationes hominis parum attentè legentis, atque ſcribentis. Temporariam hominis *ſalutem*, non autem *æternam* hîc intelligit Auguſtinus. Si hanc, ut Phereponus ſuſpicatur, deſignare ille voluiſſet, non *pro ſalute hominis, ſed pro ſalute Hæretici, aut Hæreticorum*, aut *Infidelium* dixiſſet, aut ſaltem non omiſiſſet *ſalutem* appellare *æternam*. Apertè verò de mortali vita aliorum ſervanda ſe hîc agere Auguſtinus innuit, cùm utatur exemplo adulterii, quod peccatum eſſe non deſinit, *quanquam aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura*, ut oſtendat, ne mendacium quidem licere, *quanquam pro ſalute quorundam mentiamur*. Hæc autem convincunt cum iis quæ de ſervanda hominis vita per mendacium, habet vir

ſan-

ſanctus in Lib. de Mendacio Cap XIII. Deinde quis ex iſtis aliiſve Auguſtini verbis, niſi reclamante ratione, argumentari poſſit, Auguſtinum tam inimicum non fuiſſe *mendacii*, quàm volebat videri? Nemo ſe *mendaciis* Auguſtino magis infenſum prodidit nemo doctiùs ipſo, nemo acriùs, nemo religioſius *mendacia* inſectatus fuit, & peccata eſſe demonſtravit, uti ejus Libri omnino teſtantur. Et quod ſpectat ad *Mendacia*, quæ ut Infideles ad Fidem adducerentur, tolerabilia viſa fuiſſe Auguſtino Phereponus ſibi perſuadet: eadem ipſa Auguſtinus apertè execratus eſt & fugienda ſuaſit. In Lib. contra Mendacium Cap. I *Quid eſt aliud*, inquit, *mentiamur, ut Hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, niſi faciamus mala, ut veniant bona?* Tum toto Libro id unum ſatagat, ut oſtendat, nefas eſſe mentiri, quò conſulatur æternæ hominum ſaluti Imo omnium mendaciorum ea ſtatuit eſſe graviſſima, quæ pro Religione, & in Religione fiunt *Viderint*, inquit Cap. 18. *aſſertores defenſoréſque Mendacii* (res illi cum Priſcillianiſtis erat) *quale genus vel qualia genera mentiendi eos juſtificare delectet. Saltem in Dei cultu concedant non eſſe mentiendum; ſaltem ubi Dei nomen, ubi Deus teſtis, ubi Dei ſacramentum interponitur, ubi de divina Religione ſermo promittitur, ſivè conſeritur: nemo mentiamur nemo laudet, nemo doceat, & præcipiat, nemo juſtum dicat eſſe mendacium.* Eamdem doctrinam in altero Opere de Mendacio non minùs dilucidè ac nervosè tradit Cap. 10. oſtendens, in rebus fidei locum eſſe non debere mendacio; & præter cætera hæc habet: *A doctrina Religionis atque ab eis omninò enuntiationibus, quæ propter doctrinam Religionis enuntiantur, cùm illa docetur, & diſcitur, omnia penitùs mendacia removenda ſunt. Nec ulla omninò cauſa inveniri poſſe credatur, cur in rebus talibus mentiendum ſit, quando nec ideò in ea doctrina mentiendum eſt, ut ad eam ipſam quiſque faciliùs perducatur. Fractâ enim vel leviter diminutâ auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.*

Quàm vellem, hæc potiùs tam clara tam aperta conſideràſſet Phereponus, ut quæ vera fuerit Auguſtini ſententia, ſibi conſtaret, quam in dubiis illius verbis alieniſſimam ab Auguſtino doctrinam exquiſiiſſet. Infrà verò Cap XIV. recenſet S. Doctor varia *mendaciorum* genera, omniúmque graviſſimum vocat, quod Religioni obeſt. *Primum eſt ad evitandum capitale mendacium* (ſunt ejus verba) *longéque fugiendum, quod fit in Doctrina Religionis, ad quod mendacium nullâ conditione quiſquam debet adduci.* Et Cap. XXI. idem repetit inquiens: *Ad ſempiternam ſalutem nullus ducendus eſt opitulante mendacio. Non enim malis convertentium moribus ad bonos*

mores

mores convertendus eſt. En pura, en germana Auguſtini dogmata. Ità diſcipulus ſentiebat, quin idem ſenſerit & Ambroſius illius magiſter, non eſt dubitandum. Quare ſi velimus, tantos viros miracula confinxiſſe, & quidem in lucrum ac utilitatem propriam, quo nihil turpius excogitari poteſt: neceſſe & ipſos mortalium & Chriſtianorum perditiſſimos, & hypocritas, & Religionis in ſpeciem tantummodo cultores prius credere. Hæc enim univerſa nomina in eos conveniunt, qui tantum pro Religione ſtudium præ ſe ferentes, nihil poſteà penſi habebant, mendaciis & impoſturis operam dare, idque in ſui commodum ac utilitatem facere, & Religionem præſentiſſimo periculo exponere, & fallere populos, ac ad ſuperſtitionem adducere, & nulla deinde ad errores populi à ſe corrupti auferendos, fraudis ac pœnitentiæ ſuæ veſtigia relinquere, & quidem pro crimine, quod ipſi certè non ignorabant capitale, plebíque perniocioſiſſimum, ſibíque à Deo ſine publica pœnitentia minimè condonandum. Verùm quis ex meris tantùm ſuſpicionibus fallacibúſque conjecturis tam abominanda ac inuſitata opinetur de viris, quos nulla non admirata eſt ætas, doctrinâ pariter ac ſolidiſſimis virtutibus, & ſanctiſſimo potiſſimum Religionis zelo, conſpicuos atque ſpectatiſſimos? Quænam Criticæ Leges iniquiſſimis hujuſmodi opinionibus faveant, equidem non video Imò totus Criticorum chorus clamet, incredibile planè eſſe, hoc hominum graviſſimorum genus in ea vitia deflexiſſe, atque ad eas artes ſe contuliſſe, quibus hominum deterrimi impiè ſibi lucrum comparant, & Religionem produnt. Numquid verò hiſce dolis indigebat Ambroſ. ad *plebeculam in officio continẽdam*, uti Pherepon. ait? Ab ore Ambroſii totus populus Mediolan. pendebat, ſéque paratiſſimum ad dandum pro Fide Majorum ſervanda jugulum non ſemel oſtenderat. Multóque minùs ad auctoritatem, atq; exiſtimationem ſuam, Fidémq; Catholicam protegendam, atq; augendam hæc figmenta ſibi concinnanda cenſuit Ambroſ. cùm tanta exiſtimatio atque auctoritas illi eſſet, ut ei propterea apud Imperatorem invidiam quotidiè facere non ceſſarent Ariani. Deinde vir intrepidus, & invictâ conſtantiâ celebris, & mori, quàm fœdari, toties paratus, ut ſeſe atque Eccleſiam florentiſſimam minis Hæreticorum eriperet, ad execrandum illud ſtratagema nunquam confugere ſuſtinuiſſet.

Accedit, quod miracula ab Ambroſio atque Auguſtino memorata nullas impoſturæ notas ſecum adferunt; imò tot habent veritatis indicia, ut quando ea falſi poſtulare

aut

aut ſuſpicari liceat, nihil certi jam ſuperſit in humana divináque Hiſtoria, nihil quod fraudem & mendacium redolere non poſſit. Divino monitu revelata ſunt Ambroſio ſacra corpora Gervaſii ac Protaſii. Juſſit ille in media Baſilica ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris eruderari terram, formidantibus Clericis, ne ſpes Ambroſii fruſtraretur. Signa Martyribus conventia apparuerunt; deinde ipſa Martyrum oſſa, & ſanguinis plurimum in ipſo tumulo. Cùm ſacra pignora transferrentur cœcus *civitati Mediolanenſi* notiſſimus viſum, debiles non pauci ſalutem, ad contactum ſanctarum veſtium recuperarunt, pulſiq; dæmones de multorum corporibus. Tota legatur Epiſt Ambroſii 22. ad Marcellinam ſororem Claſſe I. & ubi affectus abſint, nihil à ſtratagemate ac fraude remotius apparebit contra quam Cenſori videatur. Cæterùm non diſſimulabo, Arianos tum temporis adeò evidenti luce perculſos, eò ſtatim confugiſſe, ut & Martyres & miracula negarent. Facilè valuit apud noſtrorum temporum Novatores eorum calumnia, cùm nempè ſtatutum fuit Sanctorum reliquiis denuntiare bellum. Multò plus etiam valuit apud Pherepon. qui Arianos ipſos eorúmque dogmata ſibi cordi plurimùm eſſe non ſemel prodidit. Sed juvat hîc tantiſper immorari, dum aliqua ſaltem ex parte palam fiat, quàm ſine ratione ac pudore nunc inſtauretur vetuſta ejuſmodi cantio.

Protaſii & Gervaſii Martyrum ut nomina, ità etiam ſepulchra incognita erant, in tantùm ut ſuprà ipſorum ſepulchra ambularent omnes, qui vellent ad Cancellos Sanctorum Naboris & Felicis pervenire. Utor verbis Paulini illius, qui Ambroſii vitam memoriæ prodidit, & oculatus omnium teſtis fuit. Illic ergo reperta ſunt ſacra corpora ubi fraus præcedere niſi difficillimè non potuit. Nam quis loci ſuperficiem non noverat, ac ſæpè veſtigiis terebat? quis dum eruderari terram cerneret, ſigna aliqua impoſturæ non collegiſſet? Clero ac populo præſente peracta ſunt omnia. Subſecuta deinde miracula Ambroſius his refert verbis, concionem ad populum habens: *Cognoviſtis, imò vidiſtis ipſi multos à dæmoniis purgatos; plurimos etiam, ubi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus abſolutos: reparata vetuſti temporis miracula, quo ſe per adventum Domini Jeſu gratia terris major infuderat; umbrâ quadam ſanctorum corporum pleroſq; ſanatos cernitis.* Si quid ſinceritatis ac bonæ fidei eſt, videat Phereponus, quî negare iſta poſſit. Oculis ſuis Mediolanenſis populus viderat tot ægros ac debiles priſtinæ ſaluti divinitùs reſtitutos. Fidentiſſimè id palam Ambroſius repetit. Quis credat,

Digitized by Google

dat, hæc omnia commenta, fraudes, ac illuſiones fuiſſe? Num adeò ſtupidi ac bardi tum fuêre populi, ut ſibi hæc obtrudi paterentur, & ſuoſmet oculos miraculorum & curationum teſtes appellari audirent, quæ tamen ipſi nequaquam aſpexiſſent? Num impudens adeò Epiſcopus, ut tantâ ſecuritate coram tot teſtibus appellatis rem inviſam viſam pronuntiaret? Cæteris autem curationibus præſtitit, ac illuſtrior fuit, uti dicebam, ab homine urbi ampliſſimæ notiſſimo depulſa cœcitas. Cùm ſacra Martyrum corpora (utar Auguſtini teſtis oculati verbis. Lib. 9. Cap. 7. Conf.) *propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus confeſſis eiſdem dæmonibus ſanabantur, verùm etiam quidam plures annos cœcus civis civitatique notiſſimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet, atque audiſſet, exilivit, eóque ſe ut duceret, ſuum ducem rogavit. Quò perductus, impetravit admitti, ut ſudario tangeret pheretrum, Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt.* Eadem repetit Aug. Lib. 22. C. 8. de Civ. Dei, illúdque miraculum ait *ad multorum notitiam potuiſſe pervenire, quia & grandis eſt Civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora Martyrum Protaſii & Gervaſii.* Vide & Lib. de Unit Eccl Cap. 17. At Ariani cœcum illuminatum negabant. Nempè homines in Catholicam Eccleſiam odio internecino excœcati, homines pauci numero præ immani Catholicorum teſtium multitudine, homines plerique in urbe Midiolanenſi hoſpites, illuc ab Ariana Auguſtą perducti, qui cœcum hominem nequaquam, aut non non ſatis perſpectum habebant. Contrà Catholici innumeri, Civéſque Mediolanenſes, tot annos anteà hominem probè agnoverant, viderant, aluerant cœcum &, luce ad Martyrum corporta repentè donatum cognoſcebant, videbant, affirmabant. Utri quæſo parti fides adjungenda? Unquamne credibile ſit, tantum populum, per tot annos, eâque potiſſimum occaſione fuiſſe deceptum, ac tamdiu credidiſſe aut cœcum, qui non erat, aut ei reſtituta lumina, quæ clauſa tenebríſque obſita adhuc erant? Si hæc devorare queunt Hæretici, neſcio quid in poſterum credibile non ſit, imò neſcio quid ampliùs credendum ſit.

Porrò audiamus quàm nervosè ac ſapienter invidentiam Arianorum, & renovatam nunc calumniam Ambroſius ipſe jam tum repulerit in laudata Epiſt. 22. Claſſe I. olim 54. *Negant*, inquit, *cœcum illuminatum: ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cœcus eſſe deſivi; & pro-*

probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt, publicis cùm valeret mancipatus obſequiis, Severus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium, poſtquam inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum antè ſuſtentabatur obſequiis: eos indices ſuæ viſitationis arceſſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Sub hæc opportunè Arianos Judæis comparat, pari impudentiâ calumniantibus atque negantibus evidentia Chriſti ac Apoſtolorum prodigia. Et profectò, poſtquam Phereponus ejúſque ſodales Ambroſiani cœci *miraculum ſtratagema* nuncupare fas putant, quomodo & increduli non idem quoque dicere ſibi licitum arbitrentur de cœco Evangelico? *Interrogabant*, inquit Ambroſius, *Judæi parentes, quomodo videt filius veſter? Cùm ille diceret: Cœcus cùm eſſem, modò video. Interrogate alios, ſi mihi non creditis. Interrogate extraneos, ne adſtipulari mihi parentes putetis. Deteſtabilior iſtorum, quàm Judæorum pertinacia. Illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant. Iſti occultè interrogant, palam negant, jam non operi increduli, ſed auctori.* Verùm excuſatione etiam minus digni ſunt nuperi Hagiomachi, quàm veteres Arii & Eunomii ſectatores. Iſti enim recentiores poſt jam repreſſas evidentiâ rei illorum calumnias, ex putidis adhuc ſuſpicionibus teſtatiſſima ea prodigia ludibriis & dolis accenſere pergunt. Si locum fraus habuit in illa Inventione, in iis Martyribus, atque miraculis: quî tam felix fraus eſſe potuit, ut detegi nunquam potuerit, eámque deprehendere nunquam licuerit Arianis præſentibus? Sinè multorum ope neque Inventio, neque miracula confingi potuêre. Sinè totius populi conſpiratione cœcus ſimulari non poterat ſubitâ oculorum luce donatus. Ariani tum rerum potiebantur; præſentes erant; Imperatoris auctoritate in ſuæ hæreſis patrocinium abutebatur præſens & ipſa Juſtina Auguſta. Qui commodior locus, quódnam opportunius tempus, quò impoſturam ac figmenta Ambroſii detegerent Ariani: atq; æternâ ignominiâ Epiſcopum ejúſque Eccleſiam operirent, ſuam verò fidem ab eo periculo vindicatam glorioſiùs extollerent? Poterant minis, tormentis, ac præmiis extorquere veritatis confeſſionem à Severo, tótq; aliis, quos ab Ambroſio pecuniâ corruptos dictitabant. Neceſſe eſt veritas & evidentia miraculorum longè fortiores fuerint, quàm Arianorum maligni conatus, atque calumniæ. Neque porrò ſegnes in inquiſitione rei ac teſtium fuerunt Hæretici. *Iſti occultè interrogant, palam negant*, inquit Ambroſius. Immo tanta fuit vis & lux veritatis, ut factum ipſum negare ne

dat, hæc omnia commenta, fraudes, ac illuſiones fuiſſe? Num adeò ſtupidi ac bardi tum fuêre populi, ut ſibi hæc obtrudi paterentur, & ſuoſmet oculos miraculorum & curationum teſtes appellari audirent, quæ tamen ipſi nequaquam aſpexiſſent? Num impudens adeò Epiſcopus, ut tantâ ſecuritate coram tot teſtibus appellatis rem inviſam viſam pronuntiaret? Cæteris autem curationibus præſtitit, ac illuſtrior fuit, uti dicebam, ab homine urbi ampliſſimæ notiſſimo depulſa cœcitas. Cùm ſacra Martyrum corpora (utar Auguſtini teſtis oculati verbis. Lib. 9. Cap 7. Conf.) *propalata & effoſſa digno cum honore transferrentur ad Ambroſianam Baſilicam, non ſolùm quos immundi vexabant ſpiritus confeſſis eiſdem dæmonibus ſanabantur, verùm etiam quidam plures annos cœcus civis civitatique notiſſimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ cauſam quæſiſſet, atque audiſſet, exilivit, eóque ſe ut duceret, ſuum ducem rogavit. Quò perductus, impetravit admitti, ut ſudario tangeret pheretrum, Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confeſtim aperti ſunt.* Eadem repetit Aug. Lib. 22. C. 8. de Civ. Dei, illúdque miraculum ait *ad multorum notitiam potuiſſe pervenire, quia & grandis eſt Civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora Martyrum Protaſii & Gervaſii.* Vide & Lib. de Unit Eccl Cap. 17. At Ariani cœcum illuminatum negabant. Nempè homines in Catholicam Eccleſiam odio internecino excœcati, homines pauci numero præ immani Catholicorum teſtium multitudine, homines plerique in urbe Midiolanenſi hoſpites, illuc ab Ariana Auguſta perducti, qui cœcum hominem nequaquam, aut non non ſatis perſpectum habebant. Contrà Catholici innumeri, Civéſque Mediolanenſes, tot annos anteà hominem probè agnoverant, viderant, aluerant cœcum &, luce ad Martyrum corporta repentè donatum cognoſcebant, videbant, affirmabant. Utri quæſo parti fides adjungenda? Unquamne credibile ſit, tantum populum, per tot annos, eâque potiſſimum occaſione fuiſſe deceptum, ac tamdiu credidiſſe aut cœcum, qui non erat, aut ei reſtituta lumina, quæ clauſa tenebríſque obſita adhuc erant? Si hæc devorare queunt Hæretici, neſcio quid in poſterum credibile non ſit, imò neſcio quid ampliùs credendum ſit.

Porrò audiamus, quàm nervosè ac ſapienter invidentiam Arianorum, & renovatam nunc calumniam Ambroſius ipſe jam tum repulerit in laudata Epiſt. 22. Claſſe I. olim 54. *Negant,* inquit, *cœcum illuminatum: ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cœcus eſſe deſivi; & pro-*

probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt, publicis cùm valeret mancipatus obſequiis, Severus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium, poſtquam inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum antè ſuſtentabatur obſequiis: eos indices ſuæ viſitationis arceſſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Sub hæc opportunè Arianos Judæis comparat, pari impudentiâ calumniantibus atque negantibus evidentia Chriſti ac Apoſtolorum prodigia. Et profectò, poſtquam Phereponus ejúſque ſodales Ambroſiani cœci *miraculum ſtratagema* nuncupare fas putant, quomodo & increduli non idem quoque dicere ſibi licitum arbitrentur de cœco Evangelico? *Interrogabant*, inquit Ambroſius, *Judæi parentes, quomodo videt filius veſter? Cùm ille diceret: Cæcus cùm eſſem, modò video. Interrogate alios, ſi mihi non creditis. Interrogate extraneos, ne adſtipulari mihi parentes putetis. Deteſtabilior iſtorum, quàm Judæorum pertinacia. Illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant. Iſti occultè interrogant, palam negant, jam non operi increduli, ſed auctori.* Verùm excuſatione etiam minus digni ſunt nuperi Hagiomachi, quàm veteres Arii & Eunomii ſectatores. Iſti enim recentiores poſt jam repreſſas evidentiâ rei illorum calumnias, ex putidis adhuc ſuſpicionibus teſtatiſſima ea prodigia ludibriis & dolis accenſere pergunt. Si locum fraus habuit in illa Inventione, in iis Martyribus, atque miraculis: quî tam felix fraus eſſe potuit, ut detegi nunquam potuerit, eámque deprehendere nunquam licuerit Arianis præſentibus? Sinè multorum ope neque Inventio, neque miracula confingi potuêre. Sinè totius populi conſpiratione cœcus ſimulari non poterat ſubitâ oculorum luce donatus. Ariani tum rerum potiebantur; præſentes erant; Imperatoris auctoritate in ſuæ hæreſis patrocinium abutebatur præſens & ipſa Juſtina Auguſta. Qui commodior locus, quodnam opportunius tempus, quò impoſturam ac figmenta Ambroſii detegerent Ariani: atq; æternâ ignominiâ Epiſcopum ejúſque Eccleſiam operirent, ſuam verò fidem ab eo periculo vindicatam glorioſiùs extollerent? Poterant minis, tormentis, ac præmiis extorquere veritatis confeſſionem à Severo, tótq; aliis, quos ab Ambroſio pecuniâ corruptos dictitabant. Neceſſe eſt veritas & evidentia miraculorum longè fortiores fuerint, quàm Arianorum maligni conatus, atque calumniæ. Neque porrò ſegnes in inquiſitione rei ac teſtium fuerunt Hæretici. *Iſti occultè interrogant, palam negant*, inquit Ambroſius. Immo tanta fuit vis & lux veritatis, ut factum ipſum nega-

re ne

re ne ipſos quidem Arianos potuiſſe, ſanctus vir innuere videatur.

Quæ verò hactenus dicta, valere quoque debent pro tuenda veritate complurium aliorum prodigiorum, quæ ſanctorum Martyrum & Confeſſorum ope variis temporibus peracta narrantur à graviſſimis Epiſcopis, & oculatis atque incorruptis viris, & à prudentibus Hiſtoricis, quos neque ab ignorantia, neque à nimia credulitate, neque à pravis affectibus ad ea confingenda, temeréque credenda fuiſſe pertractos appareat. Non enim hîc agitur de univerſis miraculis à cenſura vindicandis, quæ neque Eccleſia probavit, & quæ credere vel non credere nihil refert, & quorum non modicam partem ab hominibus nullius judicii ac nominis, dubiæque ac ſubleſtæ fidei, litteris proditam Catholici ipſi aut abjiciunt, aut ſibi tam facilè credendam non putant. Miracula tantùm defendimus teſtatæ fidei, & ad ſanioris Criticæ leges exactaItà nemo niſi petulans fidem illis prodigiis negabit, quæ Sanctus Auguſtinus in Lib. 22. de Civ. Dei refert, cùm ex iis pleraque ab omni fraudis ac fabulæ ſuſpicione longè abſint. Alia contigiſſe miracula ad ſanctorum tumulos atque reliquias, teſtantur Baſilius, Gregorii duo, Nazianzenus & Nyſſenus, Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Iſidorus Peluſiota, Baſilius Seluciensis, Theodoretus, Maximus Taurinenſis, Aſterius Amaſenus, Ænæas Gazæus, ut innumeros alios Epiſcopos & Patres prætercam. Rei ſeriem non ab incertis rumoribus, ſed aut oculis ſuis ipſimet, aut ab aliis fide digniſſimis teſtibus acceperunt. Tales Eccleſiæ proceres mentitos hîc omnes fuiſſe, & in impoſturas conſenſiſſe, fidem omnem ſuperat. Falſa ac temerè credita poſteris narrâſſe, incredibile pariter eſt. Certè ab his erroribus atque criminibus ſuâ ſe auctoritate, doctrinâ, integritate vitæ, prudentiâ, ac zelo Religionis, facilè ipſi defendunt, & iniquiſſimas Hæreticorum ſuſpiciones avertunt.

Sed mihi temperare non poſſum, quin inſigne illud argumentum commemorem, quo ſibi viſus eſt Phereponus Hiſtoriam ſanctorum Martyrum Protaſii ac Gervaſii enervare poſſe. Ait enim, ità Ambroſium rem deſcribere, ut narrationem ſuſpectam reddat. *Invenimus*, inquit Ambroſius, *miræ magnitudinis viros duos, ut priſca ætas ferebat. Quæ verò ætas? Heroicane, poſtquam homines decreſcere cœperunt?*

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.

An etiam tribus ſæculis, quæ à Chriſto nato ad Conſtantini tempora fluxerunt, grandioris erant ſtaturæ homines, quàm quarto aut quin-

quinto ſeculo? An auguſtior erat ſtatura Martyrum, quàm aliorum, aut major fiebat poſt mortem? Nemo, ut opinor, credet. At nemo etiam, ut opinor, non miretur, Phereponum Critices peritum, & non vulgaris ingenii hominem, tam levia nobis propinâſſe. Sed quid non facit litigandi prurigo? Quando ſolida argumenta deſunt, verba ſaltem ac ſophiſmata dentur. *Ante annos propè mille, vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium, quàm priſca, conqueri:* ſunt Plinii verba Lib. 7 Cap. 16. Nat. Hiſt. Id quoque Juvenalis à Pherepono citatus, Solinus, Phlegon, Sanctus Auguſtinus, aliique Scriptores memoriæ tradidêre. Virgilius etiam Lib. 12. Æneid. de ingenti ſaxo, quod Turnus in Æneam intorſit, hæc habet:

Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Ea itaque opinio invaluerat, procerioris ſtaturæ omnes ferè homines fuiſſe Heroicis, quàm ſubſecutis temporibus. Et fidem opinioni conciliabant corpora miræ magnitudinis ſubinde humi reperta, de quibus legendi Plinius ipſe, Virgilius in Georg. Pauſanias, Plutarchus, Gellius, & alii, imò recentiores etiam Scriptores, nam & proximè præteritis ſeculis eorum quædam deprehenſa fuerunt. Aliqui, ſed admodum rari, ſubinde viſi; qui ad giganteam molem excreſcerent, iique idcircò priſcæ ætatis hominibus dicebantur ſimiles. Ad eum ergo morem reſpexit Ambroſ. Cùm ſacra Martyrum corpora recens effoſſa comunem hominū ſtaturam multùm excedere vidiſſet, talia & ipſe appellavit, qualia Priſcæ ætatis corpora fuiſſe ferebantur? Quid ergo hîc ſibi velit Pherepónus, nemo facilè intelligat. An Homericæ opinioni ſeſe opponere? Id per nos ipſi liceat. Non idcircò minùs verum erit, inuſitatæ magnitudinis fuiſſe corpora Gervaſii ac Protaſii? Iſtámne ſacrorum Martyrum proceritatem in dubium revocare? At innumeri Mediolanenſes præter Ambroſium ejus rei teſtes fuerant, quibus per duos dies Martyrum oſſa expoſita ſcimus. Num dubitat, an primis tribus à Chriſto nato ſeculis ejus proceritatis homines exiſtere potuerint? Certè Phereponum hac de re dubitare quamplurimi Hiſtorici non ſinunt, atque experientia ipſa; nam raros quidem, ſed tamen aliquos, ſeculo quovis, hujus ſtaturæ homines vixiſſe conſtat. Auguſtinus ipſe Ambroſii æqualis Lib. 15. Cap. 9. de Civ. Dei affirmat, ſe incredibilis magnitudinis oſſa vidiſſe. Tum hæc addit:

 No-

meritò ſe inde argumentari ità poſſe ſibi perſuaſit: ergo miracula ad ſanctorum Reliquias confici nequeunt; ergo divinitùs extorqueri à Dæmonibus confeſſio non potuit adverſus Arianos; ergo nonniſi fraudulentis àrtibus Ambroſii tota illa ſcena peracta eſt. Quid, ſi fallaciſſimæ forent, ut eas eſſe nos reapsè dicimus, præceptæ animo Phereponi opiniones? Nonne tota illius machina è veſtigio ruit? & potiſſimum cùm nulla veriſimilitudo ſit, ea miracula conficta fuiſſe, aut potuiſſe confingi? Nam, quod eſt *ad plebem ſibi devinciendam*, Arianíſque timorem incutiendum, jam vidimus Ambroſii auctoritatem, ſapientiam, pietatem, atque conſtantiam tam periculoſis ac impiis non indiguiſſe præſidiis; ipſúmque etiamſi indiguiſſet, non fuiſſe uſurum ad fidem tuendam, quam ſanguine & veritate, non pravis artibus atque impoſturis propugnandam eſſe ſciebat.

Ergo nudam, ac inanem, nullíſque ſolidis rationibus ſtipatam, imò temerariam quoque & impiam eſſe, ſuſpicionem ſuam, Phereponus ipſe, ſi Criticus bonus, ſi Chriſtianus eſt, deprehendet Quæ enim narrationes, quæ facta vultum veritatis amittere jam non poſſunt, ſi tantam vim habere debet hæc argumentandi ratio? Videlicet Auctori aut Hiſtorico id utilitati, atque exiſtimationi eſt: ergo confictum id, falſúmque eſt, aut certè in Auctore, ſivè in narrante fraudem ſuſpicari licet. Si valere debent hujuſmodi ſuſpiciones, Ethnicorum nomine impoſturæ notam pariter objicere poſſit Phereponus Tertulliano, Origeni, Cypriano, Lactantio, & cæteris Chriſtianæ Fidei defenſoribus, qui confeſſione dæmonum in Ethnicos ipſos tam ſæpè utuntur. Quid autem Scriptores illos ab hujuſmodi accuſatione defendit, quod ſimiliter in Ambroſii defenſionem non congruat? Deinde nonne Chriſti ac Apoſtolorum prodigia ad ſanctiſſimæ doctrinæ veritatem confirmandam, & Chriſti miſſionem probandam adhibita fuêre, ut habetur Jo. V, 36. X. 38 & XIV. 12. Mirabiliter igitur Chriſto, ejúſque cauſæ prodigia per ipſum patrata inſerviebant. Quid, ſi incredulus quiſpiam ſtratagemata & illa ſuſpicetur, quibus Judaicam plebem ſibi Chriſtus devinciret ac Phariſæos, ſibi infenſiſſimos de auctoritatis ſolio dejiceret; Id quidem jam faciet incredulus auctore ac præceptore Pherepono; ſed iniquiſſimè faciet. Multò etiam magis inſtabit iſte; nam & in Evangeliis Marci & Lucæ dæmones mali ſe ab Jeſu tortos conqueruntur, ejúſque cœleſtem potentiam fatentur, Filiúmque Dei altiſſimi appellant. Nolebant his habere fidem perviceciſſimi Judæi, quorum patrocinium quis

non videat à Pherepono incautiſſimè tandem ſuſceptum, & perfidiam excuſatam? Poterant enim & illi objicere adverſum Chriſti prodigia, quæ Pherepònus contra Ambroſii Hiſtoriam objecit. Sed tam illi temerè ac perperam egiſſent, quàm iſte. Hujuſmodi quippe ſuſpiciones cùm gravioribus aliis malæ fidei indiciis deſtituuntur, & præcipuè cùm ab aliis refelluntur graviſſimis bonæ fidei indiciis, id unum præſtare poſſunt, ut in ſuſpicioſis hominibus malignitatem, livorem, & obfirmatum contra veritatem animum prodant.

Pherepono itaque nos non injuriâ crimini vertimus quòd arma Ethnicis atque incredulis miniſtret. Quòd Religioni & Eccleſiæ Chriſtianæ eripiat potentiſſimum illud argumentum veritatis è Chriſti, Apoſtolorum, aliorumque ſanctorum hominum prodigioſis operibus petitum. Quòd ſuſpecta faciat tum ad mortui Eliſæi cadaver in veteri Fœdere peractum inſigne miraculum, de quo in Lib. IV Regum mentio habetur, tum curationum prodigia in novo Fœdere facta per Pauli ſudaria ac ſemicinctia ægris admota, dum eadem mirabilia ad ſacra quoque Martyrum oſſa, teſtibus viris incorruptis facta, fieri ipſe poſſe negat, virtutémque ejiciendi Dæmones, à Chriſto Sanctis ſuis in Evangelio promiſſam, ſuſpectam ipſe faciat. Crimini etiam vertimus, quòd ex meris tantùm ac fallaciſſimis ſuſpicionibus denigrare ac lacerare famam non erubeſcat virorum graviſſimorum, & omnium ferè Sanctorum Patrum, quos cùm ille Impoſtores velit, neſcio cui amplius in poſterum credendum ſit, & neſcient increduli, quid amplius putandum ſit de Religione & Eccleſia Chriſti. Propterea prudentiæ, famæ, ac Religioni ſuæ melius conſuluiſſet Pherepònus, ſi ab hiſce abſtinuiſſet, quæ quid ab ejus Critica aliis in locis ſperandum ſit, ſatis oſtendunt. Sed nos jam alia exſpectant & vocant.

CAPUT

CAPUT XII.

Cultus Religioſus, Angelis ac beatis hominibus adhibitus, contra Phereponum defenditur. Superſtitionis ſuſpicio fruſtra hic à Pherepono injecta. Preces pro piis defunctis auctoritate Scripturæ Sanctæ, Traditioniſque nituntur. Non aliter ſentit S. Cyprianus cui Tertullianus præivit. Votum Sacræ Virginitatis præſtantiùs, quàm Nuptiæ. Pherepani objectiones repelluntur. Apoſtoli apertum ſuffragium pro Dogmate iſto.

NOn ſolis Sanctorum miraculis, ſed eorum etiam cultui religioſo bellum indicit Batavus, ſivè Tigurinus Cenſor: quodque mirandum magis eſt, id facit auctore ipſomet Auguſtino. Dixerat hic in Lib. de vera Relig. Cap. 55. de Angelis loquens: *Honoramus eos caritate non ſervitute; nec eis Templa conſtruimus, nolunt enim ſic ſe honorari à nobis*, &c. Phereponus iſta expendenda relinquit iis, qui volunt Angelos cultu δουλείας, hoc eſt *ſervitutis*, *coli. Videant*(inquit pag. 485.) *quomodo ſe ſentire & loqui cum Auguſtino, dicere poſſint.* At quantopere cum Auguſtino conſentiant Catholici in colendis cùm beatis Angelis, tum reliquis Sanctis, ipſe Phereponus nullo negotio didiciſſet, niſi ea tantùm corrogaret, quæ ſuo ſunt conſentanea ingenio Agit hîc Auguſtinus de illa *ſervitute*, quæ ſupremum Numinis cultum ſignificat, atque à Græcis appellatur λατρεία Non autem negat, alterum illud *ſervitutis* genus, cui δȣλεία nomen eſt, à mortalibus exhiberi debere cœli proceribus, & certiſſimis Dei amicis. Audi Auguſtinum Lib. 10. Cap. 1. de Civ. Dei: λατρεία, inquit, *noſtri, ubicumque ſanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundùm quam præcipit Apoſtolus, ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere: alio nomine Græcè nuncupari ſolet*, λατρεία *verò, &c. aut ſemper, aut tam frequenter, ut penè ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum, &c.* Idem aliis verbis alibi ſcribit, ſed potiſſimum Lib. 20. contra Fauſtum Cap. 21. ubi ſimul docet, colendos eſſe religioſo cultu beatos Dei famulos. *Illo cultu*, inquit, *qui Græcè* λατρεία *dicitur, Latinè uno verbi dici non poteſt, cùm ſit quædam*

propriè Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus niſi unum Deum De Sanctis verò Martyribus ità loquitur: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, &c* Erigere Templa, offerre ſacrificium, aliáque hujuſmodi, uni reſervata Deo, nefas eſt impendere in Angelorum, Martyrumque cultum; ſed aliam *ſervitutis* honorariæ ſpeciem, quam *Duliam* appellamus, non prohibemur, ſed jubemur præſtare Sanctis, quos tamen conſervos Dei ſimul agnoſcimus. Cui hoc nomen non arrideat, alio utatur, dummodo rem teneat.

Quod verò Phereponus ſubdit, nimirum jam Auguſtini ævo quædam cœpta eſſe fieri, quæ quanquam à prudentioribus damnata, paulatim intromiſſa fuêre; inquit enim idem Auguſtinus in Lib. 1. de Morib. Eccl. Cathol. Cap. 34. *Novi multos eſſe ſepulchrorum, & picturarum adoratores:* hæc, inquam, Pherepoṅi monita, neſcio quid prodeſſe poſſint Novatorum ſcholæ. Nam quis certò affirmare poſſit, Auguſtinum ibi de ſepulchris & picturis Chriſtianorum loqui, & non potiùs de Paganorum? Quod ſi de Chriſtianis talia inter ſuos agentibus ſcribit Auguſtinus: quid mirum? Superſtitio locum habere potuit ac poteſt in Eccleſiæ Catholicæ ritibus, ac præcipuè in Sanctorum, atque Imaginum cultu, dum fideles ſint quidem, ut ipſius Auguſtini verbis utar, *profeſſores nominis Chriſtiani, ſed profeſſionis ſuæ vim neſcientes, neque exhibentes.* Ab his arceſſendam non eſſe doctrinam Orthodoxæ Religionis, neque ex iſtorum exemplo expendendam eſſe præſtantiam Catholicæ Eccleſiæ, rectiſſimè ajebat Auguſtinus in eo Libro. Id & nos nunc repetimus. Quod faciendum & credendum præſcribit Eccleſia noſtra, hoc intuere, non verò quod in iſta Eccleſia ſit, aut creditur ab imperitis & impiis. In eo veritas & ſanctitas; in hoc ſuperſtitio & falſitas. Et reverà ipſemet Auguſtinus tum alibi, tum Lib 8. Cap. ult. de Civ. Dei, Memorias, ſivè Sepulchra Martyrum, & eorum Reliquias honorandas eſſe docet, ſignificátque apertiſſimè, qualis opinio induenda ſit Catholicis, cùm quædam in honorem cultúmque Martyrum fiunt. Ea autem Auguſtini verba cùm in oculos & ipſius Phereponi incurrerint, non ſine aliqua animadverſione dimittenda eſſe ipſe judicavit. Inquit igitur pag. 581. *A pompa, qua ferebantur Reliquiæ, honor, qui iis genuum flexione deferebatur, invocationes Sanctorum, &c. perſuadebant Ethnicis Martyres coli, quaſi quoddam genus inferiorum Deorum.* Tum addit neque

Eth-

Ethnicos multum à vero aberrâſſe, nam & Chriſtianos nonnullos offendebat hic idem cultus. Quamobrem cenſet, Auguſtinum hîc Rhetorum more diſſimulatis his quæ ab Ethnicis objiciebantur, reſpondiſſe. Noñullorum Chriſtianorum nomine, quos malè habebat Martyrum cultus, unum Vigilantium, & alterum Eunomium indicare voluiſſe, ac potuiſſe, Phereponus mihi videtur. At quota, quæ, Chriſtianorum pars duo homines ſunt, & quales amabo, ut eorum ſuffragium univerſæ Chriſtianorum Eccleſiæ opponi poſſit? Nil faciliùs, quàm in quacumque Republica duos, imò etiam plures invenire, quibus faſtidio ſint patrii mores, ſuæque Religionis ritus. Atqui hujuſmodi faſtidioſos, & audaciſſimos homines ſtatim compreſsêre viri ſanctitate atque eruditione clariſſimi, quibus certè ignotum non erat, quid eſſet Deo, quid beatis ejus famulis debitum, & quid foret Idolorum, Deorúmque cultus.

Subit autem Cenſoris noſtri confidentem eloquentiam demirari, quandò is diſſimulatam ait ab Auguſtino Ethnicorum hac in re accuſationem, idque Rhetorum more. Nam quid aliud in eo Cap. ultimo Lib. 8. de Civ. Dei præſtat Auguſtinus, quàm oſtendere, quantum interſit inter cultum divinum hominibus mortuis ab Ethnica ſuperſtitione delatum, & religioſum honorem delatum Martyribus à Religione Chriſtiana? Primò differre ait honorum & rituum genus; nam & Sacrificia & Delubra mortuis offerebant Ethnici, à quo tanquam à peculiari Divinitatis ſigno abhorrebat Chriſtiana Reſpublica. Deinde oſtendit, ab animo illorum differre omninò in iis ritibus atque honoribus animum iſtorum. Ethnici tanquam Deos veros, & adoratione uni Deo debitâ, ſuos mortuos proſequebantur; Chriſtiani cōtrà nunquam ſuos mortuos apotheoſi dorârunt, nunquam Deos cenſuêre; & quos honores habuêre ſuis Martyribus, fuêre quidem ſigna religioſæ venerationis, non autem divini cultûs, & mentis ad Latriam propenſæ. Animus autem, atque intima perſuaſio ea eſt, quæ ritus, & ſermones honoris causâ conceptos ad bonum aut malum trahit. Decernere verò, qui ritus ſuperſtitioni, aut veræ pietati conveniant, quive tolerandi ſint, & probandi, aut improbandi, ſivè non ferendi, ad Eccleſiam, & ad Apoſtolicam Sedem pertinet. Et hanc in rem volo Phereponus noſter audiat, quid fortè Theophilus quidam Alethinus (hominem puto perquam carum Pherepono ipſi) ſcripſerit in notulis ad Tom. 5.

Theolog. Dogm. Dionyſii Petavii, Lib. 15. Cap. 2 de Incarn. *Ut verba*, inquit, *valent uſu, ità & geſtus, qui modò ſunt civiles, modò religioſi, pro temporibus & locis; poſſuntque Deo colendo & hominibus æquè pro conſuetudine adhiberi. At interna illa adoratio, quâ id quod colimus conſideramus ut unicum ac ſummum Numen, propteráque reveremur ac precamur, ad unum illud Numen pertinet. Sed poſſunt eſſe, & ſunt alii inferiores cultus; dignitati rei, quæ colitur, attemperati, abſque idololatria ullâ. Quod ſemper probè obſervandum.* Vide & ibi Petavium.

Auguſtinus ergo in eo loco poſtquam dixit, honorari quidem Martyres, eorúmque Memorias, à Chriſti fidelibus: Ethnicorum accuſationem atque ſuſpicionem omnem evertit, monens, neque Sacerdotibus, neque Templis, neque Sacrificiis (quæ uni Deo tantummodo ſint debita) honorari ſanctos Martyres; reliqua verò venerationis ſigna eiſdem exhibita, ex obſequio religioſo, non autem ex opinione Divinitatis deſcendere; imò in ipſius Dei gloriam concedere, quicumque honor Sanctis defertur. Quod cùm dicit, occupat unâ reſponſione, quidquid unquam aut objecerant, aut objicere poterant Ethnici adverſus Martyrum cultum. *Quæcumque*, ait, *adhibentur religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum.* Dixerat ſuprà: *Honoramus memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei, &c. ut eâ celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum adhortemur, &c.* Quapropter quid objicere Ethnici potuerant, aut poterant, ut apud Chriſtianos Polytheiſmum oſtenderent, quod ſuo ſermone & explicata mente Chriſtianorum Auguſtinus jam non contriverit? Et ne quis Martyres ſaltem *quaſi quoddam genus inferiorum Deorum* coli putaret, addidit ille: *Non ipſi; ſed Deus eorum nobis eſt Deus.* Et infrà: *Nos itaque Martyres noſtros nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, ſicut colunt illi Deos ſuos, &c.* Quod Auguſtinus olim pronuntiabat, nunc etiam Eccleſia Catholica profitetur; Idololatriæ à noſtrorum temporum Hæreticis inſimulata, ſed ab hujuſmodi calumnia vel à ſinceriſſimis inter ipſos Hæreticos jamdudum liberata.

Ab Angelis aliiſque beatis cœli civibus ad reliquos Chriſtianos, qui deceſſerunt in ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis, tranſit Phereponus noſter; atque ut illis religioſum honorem habendum negat, ità iſtis nihil pro-

delle

deſſe Fidelium preces aſſirmat. In Lib. de Cura pro mortuis habenda auctor eſt Sanctus Auguſtinus conſueviſſe Chriſtianos offerre Deo preces pro mortuis fidelibus, quod officium ipſis profuturum ſperabant apud Deum. Phereponus hic inſurgit, inquiens: *Sed locum aliquem Scripturæ, aut revelationem certam hanc in rem proferri oportuit; qui enim norat Auguſtinus hoc velle Deum, ut preces Eccleſiæ proſint poſt mortem nonnullis, cùm altum ſit ea de re filentium,* &c. *Non enim ſatis eſt, ut poſſit hoc fieri; quàm multa enim Deus non vult, quæ potuiſſet velle?* Sed Auguſtinus laudaverat locum 2 Machab. XII. 43. ubi *legimus oblatum pro mortuis ſacrificium.* Nihil refert: pergit enim Phereponus interrogare: *Sed ubi Lex talia ſacrificia juſſit, aut ubi Deus ſe adinventis ab hominibus Sacris propitium fore promiſit?* Peto ergo à Pherepono, utrùm ſibi computentur inter Canonicas Scripturas priores duo Machabæorum Libri, an non. Si poſtremum, videat ille, quî tot alios divinarum Scripturarum Libros demonſtrare contra gentem incredulam poſſit cœlo probatos. Tolle Eccleſiæ Auctoritatem atque Traditionem, ruat neceſſe eſt potiſſimum argumentum, quo nititur divina origo Literarum ſacrarum. Sin, uti videtur, Canonicus eſt Pherepono is Machabæorum Liber, quem univerſa olim Eccleſia Canonicum habuit, & Catholica nunc habet: quid eſt, quòd illic non legit Phereponus hæc verba: *Sancta ergo* (ſicuti Vulgata legit) *& ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur?* Hinc novit Auguſtinus, & noſcere Phereponus potuit, velle Deum, ut preces Eccleſiæ proſint poſt mortem nonnullis; divino quippe oraculo probatur illa Judæ Machabæi actio, atque opinio.

Præter Scripturæ ſacræ documentum illud, cui quædam alia, etſi non adeò perſpicua, accenſeri poſſunt, adhibet Auguſtinus auctoritatem Eccleſiæ univerſæ, quæ uſum precum pro mortuis habet, & habendo utilem piúmque, & ab Apoſtolis deſcendentem oſtendit. Rurſus ergo Phereponus in iſta erumpit: *At quis docuerat Auguſtinum, à temporibus Apoſtolorum nullas pravas opiniones, ac conſuetudines ſenſim irrepere potuiſſe? Nullum Dei legitur, hanc in rem, promiſſum: eademque eſt ratio hominum in Rempublicam Eccleſiaſticam, ac in Civilem coeuntium, nec in hanc magis quàm in alteram, malæ conſuetudines ſenſim irrepere poſſunt.* At quis docuit Phereponum, eamdem eſſe ac fuiſſe rationem Civilis atque Eccleſiaſticæ Reipublicæ in perverſis conſuetudinibus admittendis? Deinde hanc conſuetudinem, qua de

agimus, eſſe perverſam, nullúmque hanc in rem legi promiſſum Dei? Nos jam vidimus, in Machabæorum Libris probari Deo preces & ſacrificia pro mortuis. Quòd ſi ne ullis quidem in Libris Canonicis expreſſa legeretur divina revelatio iſtius doctrinæ: attamen ſatìs eſſet, Traditionem certam haberi de iſta revelatione in Eccleſia Dei. At iſtud procul dubio revelatum fuiſſe, atque probatum ab Apoſtolis, hinc diſcimus, quod Auguſtini ævo *univerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſuevit*, ut ait idem in eodem Libro. Hîc autem locum habet regula celebris ejuſdem Sancti Auguſtini Lib. 4. Cap. 24. de Baptiſmo contra Donatiſtas: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* Ab Eccleſiaſtica verò nimium quantum differt Civilis Reſpublica. Nihil ibi impenſiùs commendatur, ac ingeritur auribus tum Epiſcoporum, & Cleri totius, cùm reliquæ etiam plebis, quàm nihil eſſe innovandum, & pravas opiniones, perverſáſque conſuetudines impediendas, atque averruncandas, & imminere certum ſalutis periculum diſſimulanti, ſilenti, & ſinenti aliquid novi aut ſentiri aut fieri, quod apertè aut tacitè doctrinam Chriſti atque Apoſtolorum aliqua ex parte lædat. Tam religiosè, tam ſolicitè huic ſuo muneri hucuſque Eccleſia Catholica reſpondit, ut vix nova quæpiam falſa opinio, nova aliqua mala conſuetudo emerſerit, quam aut Concilia, aut Romani Pontifices, aut alii Epiſcopi. Patres, Scriptoréſque pii atque eruditi non repreſſerint, non damnârint. Aliter ſe gerit Civilis Reſpublica.

Et oſtendat, ſi potis eſt, Phereponus ipſe originem conſuetudinis iſtius; quamvìs enim quod ait: *de origine precum pro mortuis vide Joann. Fellum ad Ep. 1. Cypriani*, Lectoribus ſpem, aut metum ingerat hujuſce originis inveniendæ; Lectores tamen ſe deceptos ſentient, ubi ejuſdem Felli notas atque argumenta penſabunt, & cum ipſis ſancti Cypriani verbis conferent. De Victore quodam ait ſanctus Epiſcopus: *Non eſt, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur.* Quid refert, quod Fellus oſtendere contendat, pro Martyribus non oratum fuiſſe olim? Id certiſſimum eſt; at illic res minimè erat de Martyre quopiam. Nullis verò tabulis Fellus prodit, pro cæteris fidelibus cum ſigno fidei vitâ defunctis preces ad Deum non fuiſſe præſtitas, neque ſperatum inde ipſorum refrigerium. Immo idem ille Cypriani locus

locus evidenter oſtendit, preces pro fidelibus mortuis tunc in more Eccleſiæ fuiſſe, quando intercedit, ne pro homine illo fiant. Deinde cedo Magiſtrum Cypriani, Tertullianum videlicet, qui Eccleſiæ ſuorùmque temporum hac in re conſuetudinem nobis ediſſerat. Inquit is in Lib. de Monogamia Cap. 10. de vidua: *Enim verò & pro anima ejus* (mariti) *orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* In Cap. ſequ. *Orabit,* inquit, *pro maritis tuis novo & vetere.* Quibus ex verbis intelligis, quid etiam ſenſerit Sanctus Cyprianus, quantúmque ab ejus mente abhorreat Felli ſententia, & rurſus quàm antiqua ſit formula illa, quâ etiamnum in ſacro faciendo *locum refrigerii, lucis ac pacis* Fidelibus Catholicis vitâ functis à Deo precamur. Et cùm Tertulliani ævo, hoc eſt, uno aut altero ſæculo poſt mortem Apoſtolorum, iſta paſſim in Eccleſia peragerentur, utì ex aliis etiam ejuſdem Tertulliani locis confirmari poteſt, cúmque in eam rem conſentiant tum Concilia, tum Græci Latiníque Patres: tandem intelligere cogimur, non aliunde quàm ex Apoſtolica Traditione veniſſe hujuſmodi conſuetudinem. Quod ſi *magnum & certum lucrum Eccleſiaſticorum* Phereponus (pro more ſuæ gentis) hîc objicit nobis: rogandus ille primò eſt, ut oſtendat, hujus opinionis ope jam tum ab Auguſtini, Cypriani, ac Tertulliani ætate Clerum ſibi quæſiviſſe divitias. Tum animadvertendum, aliud eſſe perverſitatem, aut bonitatem opinionis alicujus, aliud verò lucrum, quod ex eadem opinione educi poteſt; nam homines improbi tam bonâ quàm malâ doctrinâ abuti poſſunt in ſui commodum atque utilitatem. Neceſſe eſt igitur, ut ipſam opinionem Phereponus rectâ aggrediatur, Chriſtianóq; Dogmati contrariam oſtendat: quod tamen denuntiamus, ipſi nunquam poſſibile futurum, quando tam antiquis legitimiſque fundamentis noſtra ſententia nititur, & ad alia conſiderationis genus ſpectant, quæcumque aut laudandæ, aut vituperandæ conſuetudines in uſum iſtius opinionis invectæ hucuſque fuerunt.

Ad hæc litem non Auguſtino tantùm, ſed univerſæ Catholicæ Eccleſiæ indicit Phereponus, quod apud nos majori ſit in pretio ac laude ſtudium ſanctæ Virginitatis, quàm honeſtæ nuptiæ. Catholicam ſententiam expreſſerat atque illuſtrârat Sanctus Auguſtinus in Lib. de ſancta Virginitate. Phereponus verò in Animadverſionibus ad eundem Librum pag. 563. monet, conjugium opus eſſe, quod

quod ſinè magna virtute peragi ac ſuſtineri non poſſit. *Pericula enim multa imminent conjugatis, multæ tentationes incumbunt, ex quibus ſeſe, ut Chriſtianos decet, expedire ſemper non eſt facile.* Tum enumeratis hiſce periculis atque laboribus, ſubdit: *At qui cœlibem vitam agunt, nullius curam gerunt niſi ſui, nec indigent tantâ virtute ad ſe ſolos ſuſtentandos, & viam virtutis calcandam, quæ multò minoribus periculis cincta eſt.* Quibus ex verbis concludit, cœlibatum non ſolum non eſſe rem, quæ per ſe magìs Deo placeat, quàm matrimonium, ſed etiam eſſe rem minoris quàm matrimonium virtutis. Auguſtino autem id ſemper infortunii accidit, ut quæ ipſe profert, Rhetoricæ tantùm argutiæ ſint; quæ verò Phereponus, ſolidiſſimæ omnino rationes. Quare Cenſor monendos Lectores tandem arbitratur his verbis: *Qui hæc probè expenderit, non multum movebitur Rhetoricis argumentis, quæ in hoc Libro deinceps ſequuntur.* Felicem hominem, cui exiguo verborum apparatu ſemper datur immenſam disjicere aliorum loquacitatem.

Cùm inter Virginitatem Deo dicatam, & Chriſtianas Nuptias comparatio inſtituitur, quæri poteſt, utrum faciliùs per illam, quàm per iſtas, æterna ſalus obtineatur: deinde utrùm Virginitas ipſa per ſe præſtantior, & gratior Deo ſit, quàm Conjugium. Vide nunc amabo, quò vergant Cenſoris noſtri verba: ad oſtendendum nempe, majora eſſe pericula atque incommoda conjugii quàm cœlibis vitæ, majorémque idcirco eſſe in illo ſtatu, quàm in iſto, neceſſitatem virtutis. Quod cùm facit, utique ſtrictim dicit, quod Hieronymus, Tertullianus, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, aliíque fuſiſſimè ſcripſerunt, & paſſim experientia teſtatur, ſed ſimul contra ſuam mentem extollit præſtantiam Virginitatis, quæ eligatur intuitu Dei. Hinc enim conſtat, difficilius eſſe conjugatis, quam Virginibus ſacris, iter ad cœlum, proptereáque præferendum eſſe conjugali cœlibem ſtatum, utì faciliorem tutioremque viam ad ſalutem. Quod autem inquit Phereponus, majori virtute ad Conjugium opus eſſe, quàm ad Virginitatem: (quando hoc etiam illi daremus) nihil minuit, immo valde auget ſacræ Virginitatis ſplendorem. Neceſſitas majoris virtutis in conjugatis, ut ſæculi tentationes ſuperent, cœlumque obtineant, infirmitatem prodit medii, videlicet conjugii, quo utuntur ad tam eximium finem conſequendum. Ex multis enim itineribus, per quæ ab infelici hoc exilio ad beatiſſimam patriam conſequendi poteſt, illa minus laudanda, minúſque eligenda ſunt, quæ magis dubi-

dubiam faciunt conſecutionem finis, faciléque longiùs à patria deviare valent. Secùs inter hominum ſtatus præferendus ille foret, per quem difficiliùs ad regnum Cœlorum devenitur, qualis eſt militia, mercatura, aliáve inſtituta, negotii ſæcularis plena, & mille periculis ac tentationibus obnoxia, majoríque idcirco virtute indiga, ne ſalus æterna perdatur.

Audi nunc Phereponum in hæc verba loquentem: *Cœlibatum non eſſe rem, quæ per ſe magis placeat Deo, quàm Matrimonium, ſed eum eſſe demum illi gratiorem, in alterutro ſit ſtatu, qui præceptorum ejus eſt obſervantior.* Nempe non conſiderat homo, alioqui non hebes, eo ipſo gratiorem Deo futurum, qui Virginitatem illi dicavit, non ſolùm quòd hunc uti aptiorem divinæ legi obſervandæ elegerit ſtatum, ſed etiam quòd bonum animi potiùs quàm corporis quærat, & quòd ea, quæ ſunt ſæculi, repudiet, carníſque voluptatem ideo contemnat ut ſpiritu promptiore ea, quæ ſunt Dei meditetur ac faciat. Deinde præter illam difficilem atque laudabilem in Virginitate abſtinentiam à voluptatibus venereis, conſiderandum eſt votum, animúſque hominis ipſam Deo Virginitatem voventis. Hìc ſita virtus præſtantior, hìc major laus virginis. Excelſo animo vilia, & periculoſa, & belluina oblectamenta mundi rejicit: magnum hoc eſt. Majus eſt rejicere, ut Deo expeditius vacare poſſit. Confer igitur Nuptias, & ſacram Virginitatem. Sunt illæ humanæ fragilitatis, atque infirmitatis ſubſidium, laudabile & ſanctum profectò, & Chriſti gratiâ in Matrimonii Sacramento conſecratum. Votum autem Virginitatis non ſine magna virtute eſt, immo eſt magna virtus: Illic delicias, ſive oblectamenta quærimus, illic deſideria Concupiſcentiæ implentur; hìc verò fortiter ſuperantur ipſæ carnis illecebræ, hìc Pietatis ſimul ac Temperantiæ heroïcæ vires exercentur, & caſtitas, ménſque cum corpore Deo dicantur, ut eo pacto liberioribus pennis evolare homo poſſit ad Deum, vitámque imitari Angelorum.

Atque hæc ſunt, quæ Apoſtolo non experientiâ ſolùm, ſed cœleſti etiam prudentiâ edocto in 1. Cor. VII. perſuasêre, ut *Virginitatis* ſtudium Nuptiis apertiſſimè, neque uno in loco, præferret. *Qui ſine uxore eſt* (inter cætera ait) *ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*, &c. Infrà addit: *Igitur & qui*

qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit. Quæ verba non ignoravit ipſe Phereponus, ſed eludere ſe poſſe ſperavit, inquiens, Apoſtolum profeſſum ſe ità loqui *propter inſtantem neceſſitatem*, h. e. propter tempora illa; quibus graves perſecutiones fervebant. Neſcio quas ego temopre perſecutiones Phereponus oſtendere poſſet inter Corinthios, cum certè rem præſentem, non futuram indicare videatur Apoſtolus per vocabulum ἐνεςῶταν Deinde verba illa plerique tum Græci tum Latini Interpretes aliter exponenda cenſent, ut nempe loquatur illic Apoſtolus ſive de ſæculi moleſtiis & incomodis, quæ conjugalem ſtatum conſequuntur, & *carnis tribulationes* infrà appellantur, ſive de anguſtia mortalis hujus vitæ, ſive de aliis hujuſmodi neceſſitatibus. Sed quid plura? Virginitatis præferendæ rationem non ad ullas perſecutiones tunc ferventes, ſed planè ad generaliorem cauſam, quæ cuique tempori conveniat, Paulus apertè refert: nempe quia neceſſitates conjugalis vitæ impedimenta ſunt, quominus expeditè liberéque Deo ſerviatur, ac placeatur. Id conſtat è verbis nuper laudatis. Ipſe itidem Apoſtolus agnoſcit in Virginibus ſacris excellentem quandam ſanctitatis ſpeciem, quæ earum ſtatui, non autem conjugali, convenit. Inquit enim: *& virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Quibus verbis laudat, propriámque Virginum dicit non ſolùm imaculatam puritatem carnis, ſed etiam abſtinentiam ab opere & voluptate carnali Cæterùm negare nemo poteſt, quin homo conjugali vitæ addictus Deo magis interdum placeat, majorique virtute abundet, quàm alius quiſquam ſacræ Virginitatis cultor; uti neque negare quiſquam audebit, quin temerè nonnunquam, ſuiſque viribus parum perpenſis, homines Cœlibatum Deo voveant At quorſum hæc? Non eſt in culpa theſaurus, ſi ille expiletur, qui ſe ad cuſtodiendum obtulerat. Quòd ſi conjugato cuipiam major interdum probitas ſit, quàm virgini alicui: tribuenda eſt hujuſmodi præſtantia aliis virtutibus in illo homine conjunctis, quæ faciunt ut in conjugio ſanctè inito ſanctè vivatur, & ſalutare homini fiat ipſum conjugium. Rurſus aut vitia, aut ipſarum defectus virtutum, in cauſa eſſe poſſunt, ne Virginitas Deo dicata meliores majoréſq; in homine fructus probitatis ferat. Verùm paribus circumſtantiis poſitis, procul dubio Virginitas ſacra, quàm conjugium, aptior atq; efficacior erit, ut quis Deo placeat, ipſáque proinde Virginitas ex ipſius Dei amore electa Deo placere plus debet, quàm Nuptiæ.

CA-

CAPUT XIII.

Mendacium ſemper malum Ejus patrocinium a Pherepono ſuſceptum poſitis quibuſdam circumſtantiis ſed ſine ulla valida ratione. Joci nonnulli è mendaciorum familia excludendi Pheréponi calumnia dictitantis Patres tam rigidè fuiſſe infenſos mendacio, ut ipſi poſtea tutiùs mentirentur.

IN Libris de mendacio, & contra mendacium, atque alibi etiam, pluribus oſtendit Sanctus Auguſtinus, peccatum eſſe quodlibet mendacium, cui reverà mendacii nomen conveniat, cùm nempè causâ atque intentione alterius fallendi enuntiatur falſum. Phereponus autem aliqua mendacia agnoſcit, quæ culpâ careant. In Animadverſ. ad Cap. 5. Lib de Mendacio, *Ponenda ſunt*, inquit, *tantùm tria, quæ diximus. Primum eſt, nullum eſſe oportere animum nocendi mendacio; alterum ejuſmodi debere eſſe mendacium, quod nocere reverà non poſſit; tertium denique, non eſſe aliam viam, quâ imminens malum vitetur.* Eadem repetit Phereponus in Animadverſ. ad Cap. 18 Lib. contra mendacium. Et in iſta quidem ſententia præivere Cenſori noſtro cùm ex Ethnicis Philoſophis atque Scriptoribus nonnulli, tum nonnulli etiam è Chriſtianis ex iis præcipuè, qui ſcientiæ politicæ præcepta litteris conſignârunt. Inter hoſce potiſſimum recenſere juvat duo cariſſima Pherepono capita, Eraſmum videlicet, & Grotium, & noſtris etiam temporibus Samuelem Pufendorſium in Libris *de Jure Naturæ & Gentium*: Quicumque autem ii ſunt mendaciorum patroni, ità ſæcularem quandam reſpexiſſe utilitatem mihi videntur, ut naturam dignitatémque veritatis tunc obliti fuerint. Illa ſcilicet ſublimis, ac innata Deo virtus, imò Deo ipſimet adeò congenita, ut Deus ſit ipſa veritas, delicatâ pulchritudine conſtat, omnémque abhorret atque exhorreſcit oppoſitæ falſitatis ſpeciem. Etenim cùm ſimul verum & falſum conſiſtere non poſſint, neceſſe eſt, ut qui falſum velit, quacumque tandem è cauſa id velit, veritatem eodem tempore, quantum in ſe eſt, perdat, atque peſſumdet. Nihil medium occurrit, Atque hinc fit, ut velle falſum in alterius hominis mente (quod

(quod profectò vult quicumque mentitur,) idem ſit ac velle veritatis necem , proptereáque velle malum eligere

Mendacium ergo intrinſecè malum eſt , ſicuti & omne *falſum eſt ſecundùm ſe malum, & fugiendum*, ut Ariſtoteles ait. Ejuſmodi autem cùm ſit mendacium , nullo colore dealbari , meliorémque naturam induere nunquam poteſt. Porrò duplici juri mendax homo injurium ſe præbet ; Divino, ac Naturali. Divino ; Deum quippe ipſum offendit, dum veritatem ipſam , ſeu veracitatem mendaci linguâ lædit Naturali ; jus quippe Naturæ exigit, ut nemo ſponte alterum fallat, ſive in errorem inducat , nemo falſum decipiendi alterius cauſâ tradat, nemo ſermonis humani mirabili inſtrumento ac præſtantiſſimâ inſtitutione abutatur ad labefactandam fidem in hominum commercio. Ac propterea Philoſophorum nobiliſſimi, & plerique ſanctorum Patrum, quorum dux Auguſtinus, omnéſque Catholicæ Scholæ Theologi, nullum eſſe caſum ſtatuerunt, in quo mendacium , dum reverà ſit Mendacium, non ſit etiam malum , & culpæ inſimulandus mendax non ſit, quanquam ea in mentiendo eſſe culpæ levitas interdum poſſit, ut ei veniam facillimè ſperare liceat. Huc faciunt divinarum Scripturarum documenta , nempe Proverb. XIII 5. *Verbum mendax juſtus deteſtabitur.* Et Proverb. XXX. 8. *Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.* Et Coloſſ. III. 9. *Nolite mentiri invicem.* Et Pſal. V. 7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Eccleſiaſtici VII. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium* quod idem eſt ac edicere , ut nullum proferamus mendacium. Mitto alia Scripturarum loca.

Videamus nunc, quibus rationibus ducatur Phereponus in contrariam ſententiam. Sed ille nullas affert. Hæc tantùm addit ad ea, quæ ſuprà retulimus : *In hiſce ſane circumſtantiis licitum eſſe debet mentiri , ſi non illicitum ſit joco mentiri, quod per Auguſtinum licet. Vide Cap. 2,* Utique auctor eſt Auguſtinus Cap. 2. Lib. de mendacio, joca nunquam putata fuiſſe mendacia ; *habent enim*, inquit is, *evidentiſſimam ex pronuntiatione, atque ipſo jocantis affectu, ſignificationem animi nequaquam fallentis , etſi non vera enuntiantis.* Sed neſcio, quî hinc inferre potuerit Phereponus , licitum quoque eſſe mentiri, poſitis circumſtantiis à ſe enumeratis. Malitia mendacio inſita eam habet originem & cauſam , quòd animus mentientis vult verum corrumpere , dicere falſum , & alterum hominem fallere. In jocis hìc animus perverſus, atque inordinatus abeſſe poteſt, & plerumque

reverà

reverà abeſt; nam qui jocatur, ſæpè ac ſæpius alterius decipiendi voluntate caret, idque pronuntiat falſum, quod probè ſcit ab audientibus ſive legentibus eſſe detegendum, & accipiendum tanquam falſum, non tanquam verum. Quare neque veritatem jocator hujuſmodi lædit, neque proximum fallit; ideóque è mendaciorum numero, joca ità compoſita excluduntur, & culpæ notam effugiunt. Verùm in caſibus à Pherepono propoſitis manifeſtiſſimum eſt, & decipi alterum, & veritatem lædi, & falſum ità enuntiari, ut mentiens directè, aut indirectè velit alterum fallere. *Ex hoc ipſo, quod aliquis ſcienter falſum loquitur, falſitatem intendit ſignificare: ideo completivum in definitione mendacii ponitur intentio fallendi; ſed quaſi materiale falſa vocis ſignificatio.* Ita Sanctus Thomas in 3. d. 38. 9. 1. Art. 1. in corp. Mendacium igitur in iis caſibus locum habet, atque adeò turpitudo illa, quæ mendacium conſequitur, inde excludi non poteſt. Sed, inquies, mendaci tunc nullus eſt nocendi animus, & mendacium ipſum obeſſe per ſe ipſum nequit, nulláque alia homini via reſtat evadendi periculi. Quis de ità mentiente queratur? Cui injuria tunc infertur? At non ſolùm animadvertendum eſt, per illum ſemper noceri, qui mentiatur; mendax enim, quantùm fert ejus actio, errorem ſemper & falſum in alterius ingerit aut vult ingerere mentem: ſed etiam ſtatuendum eſt, internam è mendacio turpitudinem ex eo non tolli, quòd ſit in mentiente nocendi voluntas, neque vis nocendi in ipſo mendacio, dum falſum enuntietur animo alterius fallendi. Nam ut ut concedamus, mentientem in eo caſu, alterius vitæ, honori, ac rebus nihil officere, attamen juri ipſius veritatis adverſatur, quam ille, quantùm in ſe eſt, offendit, atque conculcat, & facit, ut in proximo pereat. Eodem pacto inviſum Deo pergit eſſe adulterium cum fœmina, quamvìs ipſius vir in eam actionem conſentiat, & quamvìs non aliter vel ipſius vitæ periculo te eidem actioni ſubducere nequeas. Idem dicas de aliis operibus, aut dictis, ex ſua natura atque intrinſecè malis, quæ illâ ratione minimè excuſantur, quòd neque alteri noceant, neque alia ſit imminentis periculi effugiendi via. Rectè propterea Aug. Quæſt. 68. in Levitic. *Mendacium,* inquit, *non poſſumus dicere tunc tantummodo eſſe, quando proximus læditur; cùm enim falſum ab ſciente dicitur, procul dubio mendacium eſt, ſive illo quiſquam, ſive nemo lædatur.*

Quod ſi reponas, jocos etiam dari, quibus falſiloquium

(quod profectò vult quicumque mentitur,) idem ſit ac velle veritatis necem, proptereáque velle malum eligere

Mendacium ergo intrinſecè malum eſt; ſicuti & *omne falſum eſt ſecundùm ſe malum, & fugiendum*, ut Ariſtoteles ait. Ejuſmodi autem cùm ſit mendacium, nullo colore dealbari, meliorémque naturam induere nunquam poteſt. Porrò duplici juri mendax homo injurium ſe præbet, Divino, ac Naturali. Divino; Deum quippe ipſum offendit, dum veritatem ipſam, ſeu veracitatem mendaci linguâ lædit Naturali; jus quippe Naturæ exigit, ut nemo ſponte alterum fallat, ſive in errorem inducat, nemo falſum decipiendi alterius causâ tradat, nemo ſermonis humani mirabili inſtrumento ac præſtantiſſimâ inſtitutione abutatur ad labefactandam fidem in hominum commercio. Ac propterea Philoſophorum nobiliſſimi, & plerique ſanctorum Patrum, quorum dux Auguſtinus, omnéſque Catholicæ Scholæ Theologi, nullum eſſe caſum ſtatuerunt, in quo mendacium, dum reverà ſit Mendacium, non ſit etiam malum, & culpæ inſimulandus mendax non ſit, quanquam ea in mentiendo eſſe culpæ levitas interdum poſſit, ut ei veniam faciſlimè ſperare liceat. Huc faciunt divinarum Scripturarum documenta, nempe Proverb. XIII 5. *Verbum mendax juſtus deteſtabitur.* Et Proverb. XXX. 8. *Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.* Et Coloſſ. III. 9. *Nolite mentiri invicem.* Et Pſal. V. 7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et Eccleſiaſtici VII. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium* quod idem eſt ac edicere, ut nullum proferamus mendacium. Mitto alia Scripturarum loca.

Videamus nunc, quibus rationibus ducatur Phereponus in contrariam ſententiam. Sed ille nullas affert. Hæc tantùm addit ad ea, quæ ſuprà retulimus: *In hiſce ſanè circumſtantiis licitum eſſe debet mentiri, ſi non illicitum ſit joco mentiri, quod per Auguſtinum licet. Vide Cap. 2,* Utique auctor eſt Auguſtinus Cap. 2. Lib. de mendacio, joca nunquam putata fuiſſe mendacia; *habent enim*, inquit is, *evidentiſſimam ex pronuntiatione, atque ipſo jocantis affectu, ſignificationem animi nequaquam fallentis, etſi non vera enuntiantis.* Sed neſcio, quî hinc inferre potuerit Phereponus, licitum quoque eſſe mentiri, poſitis circumſtantiis à ſe enumeratis. Malitia mendacio inſita eam habet originem & cauſam, quòd animus mentientis vult verum corrumpere, dicere falſum, & alterum hominem fallere. In jocis hìc animus perverſus, atque inordinatus abeſſe poteſt, & plerumque

reverà

reverà abeſt; nam qui jocatur, ſæpè ac ſæpius alterius decipiendi voluntate caret, idque pronuntiat falſum, quod probè ſcit ab audientibus ſive legentibus eſſe detegendum, & accipiendum tanquam falſum, non tanquam verum. Quare neque veritatem jocator hujuſmodi lædit, neque proximum fallit; ideóque è mendaciorum numero, joca ità compoſita excluduntur, & culpæ notam effugiunt. Verùm in caſibus à Pherepono propoſitis manifeſtiſſimum eſt, & decipi alterum, & veritatem lædi, & falſum ità enuntiari, ut mentiens directè, aut indirectè velit alterum fallere. *Ex hoc ipſo, quod aliquis ſcienter falſum loquitur, falſitatem intendit ſignificare: ideo completivum in definitione mendacii ponitur intentio fallendi; ſed quaſi materiale falſa vocis ſignificatio.* Ita Sanctus Thomas in 3. d. 38. 9. 1. Art. 1. in corp Mendacium igitur in iis caſibus locum habet, atque adeò turpitudo illa, quæ mendacium conſequitur, inde excludi non poteſt. Sed, inquies, mendaci tunc nullus eſt nocendi animus, & mendacium ipſum obeſſe per ſe ipſum nequit, nulláque alia homini via reſtat evadendi periculi. Quis de ità mentiente queratur? Cui injuria tunc infertur? At non ſolùm animadvertendum eſt, per illum ſemper noceri, qui mentiatur; mendax enim, quantùm fert ejus actio, errorem ſemper & falſum in alterius ingerit aut vult ingerere mentem: ſed etiam ſtatuendum eſt, internam è mendacio turpitudinem ex eo non tolli, quòd ſit in mentiente nocendi voluntas, neque vis nocendi in ipſo mendacio, dum falſum enuntietur animo alterius fallendi. Nam ut ut concedamus, mentientem in eo caſu, alterius vitæ, honori, ac rebus nihil officere, attamen juri ipſius veritatis adverſatur, quam ille, quantùm in ſe eſt, offendit, atque conculcat, & facit, ut in proximo pereat. Eodem pacto inviſum Deo pergit eſſe adulterium cum fœmina, quamvìs ipſius vir in eam actionem conſentiat, & quamvìs non aliter vel ipſius vitæ periculo te eidem actioni ſubducere nequeas. Idem dicas de aliis operibus, aut dictis, ex ſua natura atque intrinſecè malis, quæ illâ ratione minimè excuſantur, quòd neque alteri noceant, neque alia ſit imminentis periculi effugiendi via. Rectè propterea Aug. Quæſt. 68. in Levitic. *Mendacium*, inquit, *non poſſumus dicere tunc tantummodo eſſe, quando proximus læditur; cùm enim falſum ab ſciente dicitur, procul dubio mendacium eſt, ſive illo quiſquam, ſive nemo lædatur.*

Quod ſi reponas, jocos etiam dari, quibus falſiloquium

ſubeſt, atque intentio alterius fallendi: ego iſthæc peccati nomine accuſabo, quia tum reapſe mendacia erunt, & veritati inimica. Ubi tum quæſo eſt *evidentiſſima* illa ex *pronuntiatione, atque ipſo jocantis affectu ſignificatio animi nequaquam fallentis, etſi non vera enuntiantis*, quam Auguſtinus deprehendit in reliquis jocis, à ſe excuſatis? Et reverà ſentiunt complures, iique præſtantes Theologi, inter quos ſanctus Thomas, joca etiam, quibus mendacii nomen convenire poſſit, referenda eſſe in catalogum culparum; non quidem gravium, ſed ferè ſemper levium. Ipſemet Auguſtinus poſt verba à nobis nuper recitata hæc addit: *quo genere* (jocorum) *utrùm ſit utendum perfectis animis, alia quæſtio eſt, quam in præſentiâ enodandam non ſuſcepimus*. Quibus ex verbis intelligis, vel ipſa illa joca, quæ ſancto Auguſtino mendacia non putantur, ejus tamen eſſe naturæ, ut jure dubitetur, num homini ad perfectam vitam anhelanti convenire poſſint. Quantò magis idem dicas de jocis intentione fallendi, & veritatis adulterandæ causâ prolatis, quæ reverà mendaciis accenſenda veniunt?

Sed novam ſcenam, novam peripetiam repentè huc inducit Phereponus noſter. Qui nobis nuper Auguſtinum exhibuerat nimis rigidiuſculum in execrando quocunque mendacio, en eundem rurſus deprehendit mendacem, & quidem baſilicè. *Nec putes*, inquit Cenſor, *qui uſque adeò ab utili & neceſſario mendacio abhorrere ſe dictitabant, tam rigidos fuiſſe veri ſatellites, ut nunquam emolumenti cauſa mentirentur. Contrarium perſuadent tot ficta miracula ad venerationem plebis quibuſdam Eccleſiis & Baſilicis conciliandam, atque Rhetoricæ fictiones*, &c. Neque hìc ſiſtit acutiſſima Pherepontiacies. Cauſam quoque perſpexit, quare tantum odium adversùs mendacium Catholici Epiſcopi præſeferrent. *Si liceat*, addit, *id quod ſuſpicamur proloqui, non alia de cauſa multi in licita mendacia, qualia deſcripſimus, tam acriter invehebantur, quàm ut poſtea in rem ſuam fructuoſius mentirentur. Simpliciores enim homines non ſuſpicabantur ab iis ſibi fucum fieri, qui tam infenſos profitebantur ſe mendacio* Si & nobis licet hic, non quod ſuſpicamur, ſed quod nobis certum videtur, proloqui dum hæc Phereponus ait, non bonum, ſed perverſum ſe prodit Criticum, ut gravioribus parcam nominibus in ipſum jure convenientibus. Age enim edicat nobis ſuſpicioſus iſte vir, num inter Proteſtantes quoque adulterium, & reliqua libidinis experimenta, avaritia, fraus, aliáque ejuſmodi ſcelera locum habeant, aut unquam habuerint.

buerint. Non negabit, puto; immo inter aliquot ex ipſis eorum Sacerdotibus atque Theologis, ſi verax eſſe amet, fatebitur iſtam peſtem & olim, & nunc vigere. Atqui non dubito, quin ii quoque Theologi tum voce tum ſcriptis in ipſiſſima illa ſcelera invehantur. Quæ ſi ità ſunt, quid quæſo reponeret Phereponus homini Religionis nullius vinculis obligato (quales fortaſſe multos ipſe novit ſibi vicinos) dicenti, non alia de cauſa Proteſtantium Paſtores, atque Theologos ea flagitia deteſtari, quàm ut alienis fœminis tutiùs abutantur, & fraudibus rem ſuam utiliùs promoveant? Rideret, iraſceretúrve Phereponus. Nihil enim magìs in comperto eſt, quàm hujuſmodi vitia & ſimul ab iis cognoſci ac prædicari Deo rectæque rationi inviſa, & nihilominus vel ab ipſis noſcentibus, atque prædicantibus, vitio humanæ naturæ interdum eligi atque amari.

Eadem & Phereponus, & quiſquis alius, de Auguſtino reliquiſque Catholicis neceſſe eſt dicat. Objiciat ille nobis, quæcumque vult, miracula ficta, aliáque religioſorum hominum mendacia. In criminum iſtorum Auctoribus damnandis, ſi qui ſunt, nos quoque concordes habebit. At quo argumento perſuadere ſibi aliiſque poterit, eum in finem mendacia quælibet, tum ab Auguſtino, tum ab aliis Catholicis affecto odio fuiſſe proſcripta, ut ipſi liberiùs deinde atque utilius mentiri poſſent? Homines fuêre. Quam aliam quæris cauſam, cur mentiti nonnunquam ex iis quidam fuerint? Scilicet meliora videmus, melioráque aliis ſuademus, ac deteriora ſæpè nos ſequimur. Cùm verò mitiora ſemper ſentire de omnibus hominibus nos jubeat recta ratio, & prohibeamur ſuſpicionibus nullâ ratione innixis alienam gravare famam: quantò minus id nobis liceat, cùm de Auguſtino, Epiſcopis, Theologis, aliíſque tum ſanctitate morum, tum doctrinæ ſoliditate eminentibus viris, ſermo occurrit? Neque tanta ſimplicitas ac inopia mentis in Auguſtino ejúſque ſimilibus erat, ut mendacia deteſtari, ſimúlque in Religione mentiri tutum putarent, cùm unus quiſpiam emunctæ naris homo poſſet ſacrilegam fraudem deprehendere, ejúſque auctores exſibilandos detegere. Prætereà neque tanta in iis malitiæ atque iniquitatis copia excogitari poteſt, ut qui publicè prædicarent, utì *magnum ſcelus* (ſunt hæc Auguſtini verba) *& primum genus deteſtabilis mendacii*, mentiri in Religione, & pro Religione, hac arte eadem ſibi tutiorem utiliorémque ad mentiendum viam aperirent.

rent. Demum quænam ab Auguſtino, illiúſque ſimilibus confiċta miracula Phereponus ritè demonſtret. Immo nemo acriùs, quàm ſanċtus Auguſtinus (quod & fecêre cæteri ſanċti Patres, atque Concilia) execratus eſt pias hujuſmodi & ſacrilegas fraudes. Videat igitur Phereponus, dum talia de tantis viris ſuſpicatur, dúmque adeò temerè tam horrenda illis crimina affingit, cur perverſi accuſatoris notâ inurendus non ſit. Certè maligni declamatoris nomen non effugiet.

CAPUT XIV.

Criticæ Artis abuſus non unus, & Pherepono potiſſimùm familiaris. Quæ de converſione ſua ad Deum Auguſtinus narrat, ſuperſtitionis ac fraudis iniquè inſimulantur ab eodem Cenſore. Depulſa ab Auguſtino inanis gloriæ quæſitæ accuſatio, à Pherepono in ipſum concinnata propter Libros Confeſſionum. Ejuſdem Auguſtini virtutes & ſanċtitas variis Pherepóni calumniis & ſophiſmatibus erepta. In Mallio Theodoro laudando an excesſerit Auguſtinus. Sinceritas ejuſdem vindicata ab objeċtionibus Pherepoṅi. Non in controverſia cum ſanċto Hieronymo, non in cooptatione ſua ad Epiſcopatum, non in declarando Heraclio Succeſſore ſuo Auguſtinus peccavit.

SEd quando in hanc arenam ingreſſi ſumus, dimittendus tam facilè non eſt Phereponus, majoríque cura exigendus eſt ad normam Criticæ Artis homo ille, qui inter Criticos & Criticæ Magiſtros non bonam quidem, ſed magnam ſibi jamdudum comparavit famam. Criticam hic latiori ſignificatione capio, quàm ab eruditis nonnullis capiatur; hoc eſt, eriſticam artem illam, ſtudiúmque intelligo, quo alienos in literis, ſive in doċtrina, errores acutè inveſtigamus, & deprehenſos cenſoriâ virgâ percutimus. Id licitum, id honeſtum, id Reipublicæ perquam utile, ſimúlque neceſſarium eſt. Nam unde tot errores, ac fabulæ, & dogmata ſtolida, niſi è Criticæ inopia? Unde recti judicii, melioríſque eruditionis reſtitutio, niſi è Critica reſtituta? Sed quaſdam hujuſce Artis leges ac præcepta percurramus oportet. Ejus finis eſt, veritatem ſive Theo-

Theologicam, ſive Phyſicam, Hiſtoricam, &c. invenire, & falſum perſequi, aliiſque vitandum oſtendere. Sed tam ſolicitè cautéque veritas inveſtiganda atque prodenda eſt, ut Chriſtianæ ſimul caritatis, ut modeſtiæ, ut juſtitiæ maxima ratio habeatur. Quamobrem à maledictis & conviciis perpetuò abſtinendum; calumniæ non ſegniùs quàm peſtis fugiendæ; hominem gravem ars mimica, virulentæ irriſiones, declamationéſque minimè decent; in errores verò potiùs, quàm in errantes dimicandum; tibique, vel cùm triumphas de errore deprehenſo, exuenda omnis ambitio. Non ità aliorum vituperationi inſiſtere, ut quæ in adverſario laudem promerentur obliviſcaris, multóque minus in illius probrum retorqueas. Tum duntaxat acri ac ſubirato ſtylo aut veniâ, aut licentiâ erit, cùm in perditos, impios, & effrontes, ſive iniquitatis, ſive impietatis ſibi notæ amatores, & in apertos calumniatores, hoc eſt, in conclamatos aut Religionis veræ, aut veritatis, aut virtutis hoſtes, pugnandum erit. Cæterùm placidè agere decet adversùs illos, quos non perverſus animus, ſed humani intellectus, atque naturæ infirmitas, à bono & vero deviavit. Quo modulo ſi quando utendum, tum potiſſimùm uti opus eſt, cùm accuſandos & corrigendos ſuſcipis magnos, celebréſque viros; & tum quoque lenitati adjungenda reverentia erit, cùm Chriſtianæ Religionis Patribus, & Epiſcopis, non doctrinæ minus quàm ſanctitatis famâ per omnium ora commendatis, dicenda dies erit, veritatis causâ id exigente nonnunquam. Ità veritati laboranti ſimul ſuccurras, ut neque tuæ, neque aliorum dignitati quidquam detrahatur. Si ſecùs fiat, non perverſæ tantummodo indolis, & ambitûs, & malevolentiæ, aliorúmque vitiorum ſpecimen dabis, ſed ipſam plerumque veritatem, ut ut ſolertiſſimè quæras, in itinere perdes.

Atque hæ quidem præcipuæ forſitan leges morum in Arte Critica, quas nunc, ut puto, nihil intereſt rationibus, aliiſve documentis confirmare atque tueri. Juvat potiùs experiri novis exemplis, num Phereponus ſe talem hìc prodiderit Criticum, qualem poſtulat recta ratio. Narrat Auguſtinus Lib. 8. Cap. 12. Confeſſ improvisâ vocis *Tolle, lege, tolle, lege*, admonitione totum ſe fuiſſe converſum ad Deum. Primò *ſuperſtitionem Ethnicam, ex fortuitis vocibus omnia captantem*, reperit hic Phereponus. Deinde ſubdit, ſi cui ſingulari providentiâ divinâ id factum videatur, oportere ut oſtendat, *opus fuiſſe ejuſmodi miraculo, quo*

Auguſtinus intelligere poſſet ſibi legendam Scripturam ſacram, ut ex ea reſciret quid ſibi agendum eſſet. Quod cum quotidie audiret à Catholicis, non videt Cenſor, cur confugiendum ſit ad miraculum, Tandem ait, *Rhetorem noſtrum omnia exaggerare, quibus perſuadere poterat, non agi hîc de homine vulgari, ſed ſingulari vocatione divinitùs ad Eccleſiam allecto: quæ tamen ex alius calamo rectius fluxiſſent* En ergo Auguſtinum ſuperſtitioſum, dum omnia captat; en ridendum, quod fortuitam vocem audiens, miraculum putet: atque id aggrediatur, quòd tam crebræ Catholicorum adhortationes obtinere ab ipſo nondum quiverant; en denique Rhetorem, & callidum quidem, qui omnia exaggerat, ut ſe tanquam cœleſtem hominem venditet.

Gratiæ Pherepono, qui non & impoſtorem, fictæque narrationis propolam nobis hic Auguſtinum exhibuerit. Sed poſtquam ne ipſe quidem Cenſor eo uſque progredi eſt auſus: oculos mentemque omnium appello, ut perſpiciant, quibus oculis hunc Auguſtini locum Pherepónus legerit. Improviſam illam vocem audit Auguſtinus, ignorat auctorem; & dum concupiſcentiæ, divinæque gratiæ pugna in ejus corde acriùs æſtuaret, vocem ipſam interpretatur tanquam divinum oraculum, quo ad repetendam ſacrarum Scripturarum lectionem incitetur. Paret inſpirationi, perculſuſque Apoſtoli verbis, ſibi primùm fortè objectis, totum ſe Deo exinde dicat. Hæc narratio Auguſtini. Quid hìc quæſo Rhetorici artificii? quænam exaggeratio? quænam calliditas? Lege verba Auguſtini. Hiſtoricam narrationem puram putam illic deprehendes; quam ſi veram putas, mirum eſt quî accuſare poſſis Rhetorico aliquo colore ſive figmento corruptam. Sed vitio vertendum eſt Auguſtino, quòd talia narret, cum hæc *rectius ex aliorum calamo fluxiſſent*. Ipſum Auguſtinum nequaquam dedecuiſſe hujuſmodi narrationem, ille idem fatetur, qui adverbio *rectiùs* eſt uſus. Multòque magìs id perſpiciet Lector, nihil in ea narratione inveniens, quod laudem Auguſtini vel leviter inſinuet. Non ſuas illic virtutes, non ſanctitatem, non miracula evidentia commemorat ille, ſed fortuitam tantùm vocem, unde conſummata eſt converſio ſua, dicit, & acceptam retuliſſe ſingulari divinæ gratiæ auxilio. Quis hominem arguat, quod miſericordias Domini in æternum cantet? *Ignorare tua bona*, utar Eraſmi verbis in Præf. ad ipſas Confeſſiones ſancti Auguſtini; *ſtupiditatis eſt, non prædicare Domini benignitatem, ingratitudinis eſt; non expendere in utilitatem proximi, quod acceperis*

ceperis, impietas eſt. Viſiones, ac revelationes propheticas, cœlo auctore, experti ſunt clariſſimi & ſanctiſſimi Viri, iidémque etiam evulgârunt. Vide Ignatii Martyris Epiſt. ad Philadelph. & Dionyſii Alexandrini Epiſtolas apud Euſeb. & Cypriani loca multa à Doduvello collecta, & Ambroſii Epiſtolas, ut alios omittam teſtes, quos benè multos in hæc & ſimilia haberem

Inquit autem Phereponus, non videre ſe, cur confugiendum hìc ſit ad miraculum, cùm prodigio nihil opus eſſet, ut intelligeret Auguſtinus ſibi legendam eſſe ſacram Scripturam, quando toties id à Catholicis audiverat. Neque videt acutiſſimus iſte Cenſor, quàm inter ſe differant, nôſſe utilitatem ac neceſſitatem cœleſtis illius lectionis, & ad ipſam lectionem ſeſe reipſa convertere. Nemo noſtrûm ignorat, quàm periculoſa ſit ac miſera peccatoris ſervitus; & non exinde tamen ad ſortem honeſtatémque juſtorum conſurgimus. Illud facere ad intellectum, hoc ad voluntatem ſpectat. Tum veró ipſa quoque voluntas vincula diſrumpit ac abjicit, cùm interna Dei gratia nos adjuvans concupiſcentiam vincit, torpentémque animum fortiter ad ſe rapit. Innumeris autem modis averſos à ſe homines Deus ad virtutem vocat, atque perducit. Non fuerit miraculum id, quod Auguſtino contigit: num propterea non licuit Auguſtino inſuetam illam ac repentinam vocem ſingulari providentiæ Dei tribuere, quæ illum juberet conſulere Codices ſacros? nunquam nefas fuit interpretari tanquam peculiare Dei munus, in ea Apoſtoli verba ſtatim incidiſſe, quæ morbum Auguſtini protinus ac tandem confecêre? Imó & Chriſtianæ pietatis eſt, & humilitatis, hæc ità interpretari, totúmque hoc tribuere immenſæ Numinis clementiæ. Atque ità faceret quicumque alius ſanâ doctrinâ ac Religione verâ imbutus, & à Pherepoui ſchola alienus, eodem loco fuiſſet, quo Auguſtinus, dum ſibi non abſimilia contigiſſent.

At quod magìs prodit, Phereponum unicè illuc inhiare, ut quantùm fieri poteſt, in Auguſtinum congerat probra, illud eſt, quod primo loco objecit, nempe opus hoc Auguſtini *redolere ſuperſtitionem Ethnicam, ex fortuitis vocibus omina captantem.* Utique in nullius animum unquam tam delicata religio intravit, ut ſuperſtitionem atque ethniciſmum objiciendos hìc putaret Auguſtino. Ideo ethnicam aruſpicinam, & omnia Gentilibus dudum uſitata, neque ſatis adhuc è medio ſublata, nos execramur, quia è cauſis omnino incongruis ediſcere ſe poſſe homo putat

futuros rerum eventus Deo ſoli perſpectos, & curioſitate perversâ ac temerariâ ad ominandum, auguriiſque fidem habendam, ſe abripi ſinit, & Superos ipſos hujus delirii ſui auctores ſibi aliiſve fingit. Quid ſimile in Auguſtini facto? Hinc tumultus concupiſcentiæ, illinc dulciſſima Gratiæ vox incertum & anxium faciunt. Ad inopinatam illam vocem ſuas aures percutientem aſſurgit Auguſtinus; eamdem pro cœli cauſa interpretatur, ad legendas Pauli Epiſtolas accurrens locum ſibi opportuniſſimum oſſendit, & fructus interpretationi reſpondet. Curioſitatem nocentem hic mihi, ſi potes, inveni; aut cauſam prorſus ab effectu abſonam, aut in interpretante ſtoliditatem, immo propriam aliquam ominis faciem. Compertum habemus, Deum velle nos omnes ſalvos facere, ipſumque adeò quorumdam ſalutem converſionémve curare, ut eos non internis tantùm externiſque ſtimulis, ſed patentibus prodigiis ad ſe rapiat. Vim quoque adhibuit Saulo ſpiranti minas & cædem in Diſcipulos Domini. Alios etiam ad Epiſcopatum, ad Eremum, ad Monaſteria, ad bonam denique frugem hujuſmodi arte ſolicitavit, quorum exempla ſi congerere huc velimus, facilè abuteremur Lectorum patientiâ. Ipſe Auguſtinus memorat hoc loco Sancto Antonio Anachoretæ ſimilia contigiſſe. Quapropter etſi ne tam aperta quidem ſit plerumque vox cæli in hiſce circumſtantiis, attamen piè ſapienterque ii perpetuò faciunt, qui ità omnes eventus interpretantur, ut ſibi perſuadeant, ſe per illos divinitùs à peccato revocari, & ad juſtitiæ amorem impelli. Tantùm proinde abeſt, ut ſuperſtitione laborârit, quod Auguſtinus egit, ut contrà commendandus ſit, quòd è voce, ſi ità etiam vis, omnino fortuitâ, occaſionem arripuerit inſtituendæ vitæ Chriſtianæ. Atque utinam Auguſtinum in pari caſu imitarentur cœlo obſequentem, quicumque eum imitantur contra cælum peccantem.

Quid mihi eſt ergo cum hominibus, ut audiant Confeſſiones meas, &c. Sunt verba Auguſtini Lib. 10. Cap. 3. Confeſſ. Anſam hinc ſumit Phereponus carpendi Auguſtini, quod Confeſſionum Libros ſcripſerit: *Sunt, qui ſuſpicentur* (Cenſoris verba ſunt) *cùm multa Auguſtino, ob priorem vitam ab adverſariis, quos non paucos habuit, objicerentur, eum Confeſſiones haſce ſcripſiſſe, quaſi Apologiam quandam obliquerem, in qua fateretur, veluti apud Deum, quod negare non poterat; cætera verò prætermitteret, aut emolliret, & quæcumque ad honorem ſuum facerent, quaſi aliud agens exaggeraret. Quæ ſuſpiciones,*

ciones, quamvis fortè iniquiores ſunt, ex inuſitata tamen naſcuntur ratione, quâ Auguſtinus cum Deo garrit, atque argutatur, Rhetoricoque fuco, quo picta ſunt hæ Confeſſiones. Mirabar, ſi non & hìc Rhetoricum fucum Auguſtino Phereponus objiceret; intercalaris quippe hæc apud illum accuſatio neceſſe eſt, ſive opportuna, ſive inopportuna, ſæpè recurrat. Sed quinam ſunt iſti, quos talia de Auguſtino ſuſpicari Phereponus ait? Ego neminem alium novi præter Eraſmum, qui in Præfat. ad Libros Retractat. & Confeſſ. aliqua hujuſmodi ſuſpicionum ſemina injecit, inquiens, Auguſtinum tam diligenter in Confeſſionum Libris vitam omnem ſuam depinxiſſe, *ut iniquior aliquis ſuſpicari poſſit, non prorſus abfuiſſe humanum affectum,* κενοδοξίᾳ ſeu φιλαυτίᾳ *cuipiam affinem.* At Eraſmus ipſe, quanquam homo prurientis linguæ, mulctus eſt in purgando Auguſtino ab iſta accuſatione, idque tam ſolidè atque ex animo facit, ut laudatorem eximium, non vituperatorem Auguſtini ſeſe hìc præſtet. Quinam ergo ſunt ii, quos non ſolùm ſuſpicari poſſe, utì Eraſmus ajebat, ſed reverà nunc ſuſpicari, Phereponus fatetur, latere ſimul atque apparere ambitionem Auguſtini in Confeſſionibus iſtis? Verùm patiatur Phereponus, hìc non aliorum, ſed meas me quoque prodere ſuſpiciones. Si Phereponum excipias, nemo talia de Auguſtino eſt ſuſpicatus, ſive ſuſpicatur. Rhetoricus iſte color eſt, quo invidiam Auguſtino conflare ſe poſſe putavit Phereponus, ſimúlque à ſe amoliri injuſtæ criminationis, malignique judicii invidiam. Nempe qui toties, atque iniquiſſimè, Rhetoricam Auguſtini culpat, ſubinde religioni ſibi non ducit, ejus Artis coloribus abuti, ut ſanctiſſimum & clariſſimum Virum infamiâ oneret.

Habemus ipſos Confeſſionum Libros. Huc volo ſinceros judices. Ego verò nihil dubito, quin cordatus quiſque ſentiat ac fateatur, longè nimium abeſſe Auguſtinum eo in Opere ab inanis gloriæ ſiti, atque ab amore ſui Imò paucos mihi oſtendas Libros, quibus in amorem Dei vehementiùs excitentur legentium animi atque effectus. Ad hæc paſſim, & minimè conquiſita modeſtia, & germana humilitas, & fervens pietas Scriptoris elucent, ut pium quemque ſimul ædificare ſoleant, & impios convertere ad Deum poſſint. Nulla autem minus æqua, immo magìs perfidioſa ſuſpicio eſt, quàm quæ ſibi fingit, Auguſtinum conſcribere iſta voluiſſe, partim ut nonnullis, quæ ſibi objiciebantur, enarratis, cætera aut prætermit-

 teret,

mitteret aut emolliret, & partim ut quæcumque ad honorem ſuum facerent, quaſi aliud agens exaggeraret. Neceſſe eſt enim, qui ità ſuſpicatur, judicium totius antiquitatis de Auguſtini pietati damnet, & oculos omnium rideat, qui in ejus Libris Scriptorem ſanctiſſimum, & pietate nulli ſecundum, adhuc inveniunt. Deo, non hominibus, loquitur pius ille vir in Confeſſionibus, Deo, inquam, ut Eraſmi verba deſcribam, *confitetur, cui mentiri nec pium eſt, nec tutum.* Ergo Auguſtinus, ſi ſuſpicionem Phereponianam auſcultamus, credidit, ſe Deum atque homines decipere poſſe Confeſſionibus illis. Horret animus talia cogitare de tanto viro, & de Libris iis, qui contrarium omninò ſonant. Sed ipſe quoque Phereponus iniquitatem ſuſpicionis iſtius tandem agnovit & confeſſus eſt; nam poſtquam temperare ſibi non potuit, quin adderet *eſſe multos* (quinam quæſo?) *qui φιλαυτίαν ingentem, religionis ſpecie tectam, hic videre ſe putant*; ſubdit tamen, hoſce homines ex eorum numero eſſe, qui ſunt *proniores ad malè judicandum*, & nimiam indulgentiam potiùs, quàm nimiam ſeveritatem, hîc eſſe adhibendam. Quo verborum lenocinio, fucóque Rhetorico quid aliud vult Phereponus, quàm uno eodémque tempore calumniari, & calumniatorem parum intentis oculis ſubducere?

Nunc autem repetendum eſt, ingeniis malevolis, & affectu occœcatis nihil æquè facilè occurrere, quàm omnia adverſariorum dicta & facta in deteriorem partem accipere, & denigrare, & ridenda exhibere. Quantum id abſit à *Chriſtiana charitate*, *à juſtitia*, atque à legibus germanæ Criticæ, nemo probus atque eruditus eſt, qui non è veſtigio intelligat. An id Phereponus ignoret, non quæram; certè ſe hîc ignarum hujus doctrinæ apertiſſimè prodit. Et quod magis mirere, in hoc eodem loro Phereponus, Magiſtrum Evangelii agens, meminiſſe nos jubet, *in Evangelio, ejuſque auctore Chriſto, quærendam eſſe vivendi normam, non in hominibus.* Utique optimis ſuis præceptis peſſimè homo iſte utitur, qui tot calumnioſis ſuſpicionibus, tantóque livore famam Auguſtini aggreditur, judiciumque cæterorum hominum deſpiciens, in eodem facinora & vitia aut prætermiſſa, aut emollita fingit, & hanc ipſam, aliáſque accuſationes ſub alieno nomine perquam ſubdolè proponit. Neque accuſationibus contentus, ſannas, deriſionémque adjungit, inquiens, Auguſtinum *inuſitato modo garrire cum Deo, atque argutari.* Sed ab hujuſmodi ingeniis caveant ſibi Job, David,

cæte-

cæterique Prophetæ; non enim video quid impedire id genus homines amplius poſſit, quominus & iis divinis Scriptoribus cum Deo diſſerentibus inſultent, aut exemplo ſint aliis, ut inſultent, quando ſibi jam licitum cenſent irridere Auguſtinum tam piis affectibus cum Deo colloquentem. Ego multa huc pro Auguſtino afferre poſſem; ſed tantummodo rogabo Phereponum ipſum, ut Chriſtiano pacatóque animo legat, quidquid idem Auguſtinus ad alios calumniatores obtrectatoréſque ſuos reſpondit variis in locis, ſed potiſſimum Enarr. 3. in Pſ. 36. & Lib. 3. contra Epiſtolas Petiliani. Niſi enim tum incipiat & minùs amare ſemetipſum, & magis revereri pietatem ac modeſtiam Auguſtini, aut unus ipſe ſapere dicendus erit, aut de illius ingenio erit prorſus deſperandum.

Leviſſima tamen videantur hactenus memorata, ſi cum iis conferantur, quæ Criticus iſte habet ad Cap. 38 Lib. 10 Confeſſ. Miratur (pag. 476. Animadverſ.) Auguſtino *in mentem non veniſſe, fore ut Donatiſtæ, Manichæi aliique ejus adverſarii dicerent eum non diſplicere ſibi, qui tamdiu non tam apud Deum, quàm apud homines, de ſe & ſuis loquatur; & dum gravia peccata, quæ negari non poterant, aut minutiora ambitiosè proſequitur, laudes ſuas intereà minimè omittit.* Miratur etiam, *eum veritum non eſſe ne iidem adverſarii hîc deſiderarent confeſſiones eorum, quæ baptiſmum ejus ſecuta ſunt, & quæ in ejus vita habentur.* Tum laxatis habenis acriùs urget Auguſtini famam, inquiens, malignos homines facilè dicere potuiſſe, non eſſe mirum, ſi arti Rethoricæ inter pueros venditandæ valedixerit, ut majorem utilitatem, amplioréſque honores in Eccleſiaſticis muneribus ſibi quæreret, & ambitioni ſuæ, atque impotenti cupiditati inſerviret. Fuiſſe etiam, cur à Deo veniam peteret, quòd ſacras Scripturas interpretari ſit aggreſſus, & tot volumina de iis ſcribere, cùm neceſſariis ſubſidiis careret. Quod ſi paupertatem, àliáſque virtutes Auguſtini quiſquam memorâſſet, iidem dixiſſent, partim ſimulatas fuiſſe, partim falſas; ipſumque Auguſtinum iis artibus ad ſummam irrepſiſſe potentiam, quibus alii illuſtres utuntur. Et hæc maligni illi homines dixiſſent, aut dicere potuiſſent; nam quod eſt ad Phereponum, quanquam is accuſationes haſce proponat, teterrimiſque coloribus pingat, atque ampliſſimo ſermone proſequatur, non iis tamen fidem habet. *Ad me quidem quod attinet* (poſtrema ſunt Phereponi verba), *ut non ſum credulus ejuſmodi criminatio-*

nationibus: ſic non diffiteor me defenſiones Auguſtini hiſce de rebus, libenter lecturum fuiſſe.

Modeſtiam hominis hujus erunt fortè qui mirentur; ego Rhetoricam potiùs, illiuſque artificia. Sed libentiùs quoque, quàm Phereponus legerem fateor, quî hæc adeò ingenioſa oratio à maledicentiæ, & quidem impudentis, culpâ excuſari, atque defendi poſſit. Niſi nos cucurbitas ille velit, ſciat nos probè intelligere, Phereponum eum eſſe, qui hîc alienis verbis Auguſtinum acerbiſſimè criminatur, atque etiam tacitè ſignificat, nihil magis ſibi cordi eſſe, quàm jure vel injuriâ, opportunis atque inopportunis locis, & cum propriæ etiam famæ periculo, divexare nomen ac libros ſanctiſſimi hujus & incomparabilis viri. Verum quis hominem ferat tam iniquis armis inſidiantem Auguſtino? Si ex ejus ſententia maligni tantum homines hæc dicere potuiſſent, quo nomine ipſum compellabimus, qui has accuſationes & reverà ſtruxit, & callidè proponit, atque inculcat?

Rem tamen ipſam levi brachio attingamus. Quæ hîc Auguſtino opponuntur, objicere potuiſſent Manichæi, Donatiſtæ aliíque ejus adverſarii, ſi Pherepono credimus Potuiſſent, puto; nam quid odium & ira comminiſci, & eructare non poſſunt? Non tamen objecerunt, quanquam irati, quanquam in Auguſtini vitam, nedum famam furioſè animati, quanquam aliis in ipſum accuſationibus uſi. Cur tanta in iis temperantia, atque modeſtia? Non aliâ ſanè de cauſa, quàm quod Hæreticis iis in mentem venire non potuit, criminationibus ejuſmodi ſpeciem aliquam veri ſubeſſe. Et cur *deſiderarent ab Auguſtino confeſſionem eorum, quæ poſt ejus baptiſmum ſecuta ſunt,* quando nihil audire poterant, quod in confitentis gloriam non conceſſiſſet? Novus campus carpendi Auguſtini Pherepono ſeſe apperuiſſet, ſi ea quoque facta, quæ certè laude non caruiſſent, proſecutus fuiſſet Auguſtinus. Sed ab aliis ſeſe diſcat jam Phereponus. Multis criminibus objectis Auguſtinum Petilianus Donatiſta etiam invaſerat. Ad eum palam hæc inter cætera vir piiſſimis reſpondebat Lib. 3. Cap. 2. contra Lit. Petil. *Jam quod ſequitur, ceſſi mihi non audeo ccaptare ut dicam, nihil enim mihi conſcius ſum: fidenter tamen in conſpectu Dei dico, nihil eorum, quibus Petilianus tempus vitæ meæ, poſteaquam in Chriſto baptizatus ſum, criminatus eſt, mihi conſcius ſum, &c.* Infrà idem repetit Cap. 10. & in ſuæ innocentiæ teſtimonium fidenter appellat quoſcunque ſuæ vitæ conſcios habere poterat. *De tempore*, ait, *vitæ meæ, quod*

eſt

eſt poſt Baptiſmum, vobis quicumque me noſtis, ſuperfluo loquor ex eis, quæ nota eſſe hominibus poſſunt. Hi verò, qui me non noverunt, non ità iniqui eſſe debent in me, ut magis de me credant Petiliano, quàm vobis.

Quod eſt ad accuſationem Auguſtini Scripturas ſacras interpretantis, reſpondebimus infrà, uno quippe ictu totum ſanctorum Patrum chorum, & univerſa antiquitatis ingenia, Phereponus noſter hîc ferit. Cùm verò ille, ſivè maligni neſcio qui homines Phereponi ore loquentes, nil mirum eſſe dicunt, Auguſtinum valedixiſſe exiguis Rhetoricæ Scholæ emolumentis, ut in Eccleſia, hoc eſt in ampliori theatro, uberioríque cum fructu artem ipſam exerceret, ſuæque ambitioni lora feliciùs laxaret: ſuperfluum puto calumniæ & maledicentiæ notas in iſta accuſatione conquirere, quippe id omnium oculos incurrere mihi videtur. Diceres, mirabili ingenio Auguſtinæ expellendæ famis defuturam fuiſſe rationem, niſi ad Eccleſiaſtica munia ſibi aditum aperuiſſet. Nemo eſt tam parum in Auguſtini vita verſatus, qui neſciat, quàm longè vir ille piiſſimis abierit à pravis hiſce affectibus, & cur magiſterii Mediolanenſis onus abjecerit. Repetita autem Africa nihil ille antiquius habuit, quàm ſeculares curas, atque omne honorum genus effugere. Suis facultatibus in pauperes diſtributis Monaſticam vitam amplexus eſt, jejuniis, orationibus, boníſque operibus vacans, donec poſt exactum triennium in eo ſanctiſſimo vitæ inſtituto, invitus, & nihil tale cogitans ad gradum Presbyteri ab univerſo populo raptus fuit. Epiſcopatus ſarcinam reluctans deinde ſuſcepit; quo in munere quandiu vixit, eam ſanctitatem morum, fugam divitiarum, continentiam, humilitatem, zelum, aliáſque virtutes in ſe conjunxit, ut facilè mirari debeas, difficillimè verò poſſis imitari.

Sed vide, quî ſe ab adeò evidenti luce Phereponus expediat. *Ea*, inquit, *maligni homines dixiſſent, partim ſimulationem eſſe, partim ſatis eſſe divitem, qui haberet, quod aliis largiretur, &c.* Malignos utique ac effrontes eſſe neceſſe eſt, qui talia blaterant, & quicumque alius non ſolùm iſta in Auguſtinum confingere non erubeſcit, ſed etiam placido animo tantam veritatis injuriam proferre ſuſtinet. Cedo tabulas, teſtes, argumenta quibus accuſationem hanc fulcias. Ciceronis verba ſunt in Orat. pro M. Cœlio: *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet.* Hîc certè nihil habent, quo maligni criminationem confirment, imò

imò innumera ſunt nobis, quæ accuſatoribus os obſtruant. Et illud in primis certum eſt, ſimulatorem virtutis, non eo pietatis, humilitatis, ac veritatis affectu ſcripturum fuiſſe, quæ ubique legimus in Auguſtini Libris, neque facturum quæ ab Auguſtino facta fuiſſe dubitat nemo. Sed, ut vetus verbum habet: *Nil probat calumniator, criminatur omnia.* Intereſt autem hominum omnium non ferre ludibrium tale veritatis, & alienæ famæ; quotus enim quiſque in poſterum erit bonus, pius, ac honeſtus, quem dejicere de loco, & execrationi quorumcumque exponere non valeas, ſi hypocriſim ac ſimulationem virtutis, quando aliud non occurrit, objicere & promptum ſit, & non illaudabile? Attamen habet hîc Auguſtinus, quo ſe conſoletur, exemplum videlicet divini Servatoris noſtri, quem paribus calumniis excipiebant olim Phariſæi. Quale verò exemplum habituri ſint hujuſmodi Cenſores, quo ſe defendant à crimine Sycophantiæ, videant ipſi. Ego non video.

Neque parum lepida eſt Phereponi exceptio contra Auguſtini paupertatem. *Satis divitem fuiſſe*, inquit, *qui haberet, quod aliis largiretur, & inde tantum ſibi ſumeret, quantum vellet*, Honeſtisſimæ & chriſtianæ paupertatis ideâ caret, qui hæc ſcribit. Dives ille profectò dicendus eſt, Chriſti ſectator, qui, ut Minutii verbis utar, *non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives eſt*. Hic, inquam, dives germanam in ſe paupertatem fovet; nam non opum defectus, ſed animus pauperem facit. Homo videlicet nihil cupiens, neceſſariis tantum contentus, & parcus ſibi, & in egenos effuſus, & pro Chriſto nihil proprium posſidens: ille verè eſt pauper. Et mirum eſt, qui Phereponus, ab aliis Novatoribus diſcedens, non ſolùm non damnat mendicitatem Monaſticam, ſed eamdem quoque talem exigit, ut nihil habeat pauper Evangelicus, quod aliis pauperibus diſtribuat. Quaſi non habuerit Chriſtus, non habuerint Apoſtoli, quæ ſibi ad victum atq; veſtitum neceſſaria forent, & quæ egenis identidem diſpenſarent. Epiſcopum verò in primis hoſpitalem Paulus deſiderat: quod fieri nequit, ſi nihil ei ſuperſit in alios diſtribuendum. Illud etiam conſtat, Epiſcopos non Dominos, non poſſeſſores eſſe bonorum Eccleſiaſticorum, ſed miniſtros, atque œconomos, eorúmque caritati potisſimum commendatam eſſe pauperum curam. *Gloria Epiſcopi eſt, pauperum inopiæ providere*, inquit Sanctus Hieronymus ad Nepotian. de Vita Cler. Qua ergo ratione Phereponus & paupertatis gloriâ Auguſtinum ſpoliat, eumque non patitur aliquid habere, quo hoſpitalem ſe præbeat, & aliorum indi-

indigentiæ ſuccurrat? Minùs autem excuſandus ille mihi videtur, dum & legere potuerit, & falſi arguere non potuerit, quæ de Monaſtico Auguſtini inſtituto, vel poſt Epiſcopatum ſervato, ſcribit eruditisſimus ille Monachus Benedictinus è Congregatione S. Mauri, cui debemus noviſſimam vitam Auguſtini. Liceat mihi pauca quædam deſcribere, quæ ille ex variis documentis collecta habet. Li. 3. Cap. 2. §. 8. *Cùm Auguſtinus in Epiſcopii domo ſecum Clericos ſuos haberet, cum iiſdem formam primorum Chriſtianorum Hieroſolymis degentium, quibus erant omnia communia, nihil proprium, quantum poterat, ſectabatur. In illius ſocietate nulli licebat ſuum aliquid dicere, ſed omnia omnibus erant communia; & quotquot in eam admittebantur, hanc ſibi legem ſciebant impoſitam, &c. Sic omnes Clerici cum eo pauperes erant, ſimul præſtolantes miſericordiam Dei ex reditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel ex oblationibus fidelium, quæ ſingulis pro cujuſque indigentia diſtribuebantur.* Lege reliqua, uti & Cap. ſequ 3. & 4. ubique palam fiet, quantum alienus ab omni cupiditate Auguſtinus foret, & quam præter jus, quamque inopportunè Phereponus virtutes illius ſuſpectas hîc facere velit.

Pergit Cenſor gnaviter quærere, ubicumque poteſt, Auguſtini crimina; & ubi non invenit, liberaliter ipſe ſomniat, ac facit. In Animadverſ. ad Lib. 1. Cap. 11. de Ordine pag. 478. vellet ille nunc exſtaret Opuſculum *Theodori de origine & natura mundi.* Cur natum ſit Pherepono tale deſiderium, divinent quæſo eruditi. Omnia puto excogitabunt; ſed germanam fortaſſe cauſam non attingent, quam tamen ſinceriſſimè nobis Cenſor exponit. *Ex eo enim*, inquit, *intelligere liceret, an hîc ei aduletur (quod ſanè ſuſpicor) Auguſtinus pro more ſaculi ſui, quo, ſi unquam aliàs, immodicæ laudes in uſu vulgari fuêre.* Votum profectò dignum tali Critico, ut ſi non aliunde certi, nimiùmque certi eſſemus de illius odio atque livore contra Auguſtinum, facilè vel ex hoc veſtigio intelligere poſſemus. Et quænam tandem ſunt, quæ hîc Pherepono ſuſpicionem adulationis ingeſsêre? De Theodoro hæc ſcribit Auguſtin. *Vir & ingenio, & eloquentiâ & ipſis inſignibus, muneribuſque fortunæ, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, id agit, ut & nunc, & apud poſteros, nullum genus hominum de litteris noſtrorum temporum jure conqueratur.* Dic, obſecro, quid hîc feriat Lectorem vel delicatisſimum? Etiamſi incomparabili ingenio, ſtudióq; litterarum non excelluiſſet Theodorus ille, nihilominus ea eſt ipſi ab Auguſtino tributa laus, ut neq; laudatorem pœnitere, neq; laudato pudorẽ incutere deberet. Ad hæc non alius eſt hic

Theo-

Theodorus,quàm Fl.Manlius Theodorus qui à Claudiano & Symmacho ſummis extollitur laudibus, & eloquentiæ potiſſimum ac eruditionis gloriâ commendatur. Memorat ipſe Pherepon Diſſertationem Rubenii de vita iſtius Theodori,quo ex libello elucet, quantus vir, quantuſque Philoſophus ille fuerit. Sed præcipuè legendus eſt ejuſdem inſignis Panegyricus inter Claudiani Carmina. Attamen ne quid hîc diſſimulem,illuſtrem egomet auctorem Pherepono indicare volo,hujuſmodi ſuſpicioni faventem. Is Auguſtinus appellatur,Epiſcopus Hipponenſis,cujus verba ſunt L.1.C.2.Retract. *Diſciplicet autem illic* (id eſt in Lib. *de vita beata,*) *quod Manlio Theodoro,ad quem Librum ipſum ſcripſi,quamvis docto & chriſtiano viro, plus tribui, quàm deberem.* Sed hinc volo Phereponus ipſe diſcat,num pronus ad aſſentandum foret Auguſtin. & an parum rigidus ſui ipſius cenſor eſſet, quando ne hîc quidem ſibi ignoſcit. Æqui autem ac honeſti Critici erat, ex hac potius retractatione capere conſilium laudandi Auguſtini , quàm ex elogio illo occaſionem arripere vituperandi. Quanquam quid dico? Ità me Deus amet,elogium illud retractandum Auguſtino non erat,cùm tale ſit , ut lividis tantùmmodo hominibus aſſentatorius videri poſſit. Et reapsè ab Auguſt.improbatum minimè fuit. Retractionum verba cadunt ſuper Librum *de vita beata* inſcriptum ipſi Theodoro, non ſuper elogium Theodori in Lib. 2. *de Ordine* inſertum. Deinde nihil aliud emendare in animum induxit Auguſtinus, quàm quædam in Præfatione ad eum Lib. *de Vita beata* non ſatis graviter dicta,quæ cum delicata pietate non benè componi poſſe putabat: cujuſmodi ſunt: *Ad id,quod deſidero* (hoc eſt ad obtinendam vitam beatam) *te unum intueor, téque aptiſſimum ſemper admiror,&c. Accipe,cujuſmodi auxilium abs te certus expectem.* Eadem repetit infrà,inquiens: *Obſecro te per virtutem tuam,per humanitatem,per animarum inter ſe vinculum, atque commercium, ut dexteram porrigas. Hoc autem eſt,ut me ames, & à me viciſſim te amari credas,carumque haberi. Quod ſi impetravero,ad ipſam beatam vitam, cui te jam hærere præſumo, parvo conatu facillimè accedam.* En quæ Auguſtino Librum illum emendaturo non amplius ferenda videbantur. Nam ad ingenium, ac eruditionem Theodori quod attinet, nihil in eo libro Auguſt. habet, quod ſpongiâ indigeat, cùm & in Retractionibus ipſum Theodorum *doctum & chriſtianum virum* appellare pergat. Eâdémque de cauſa in retractandis Libris de *Ordine* obelo nullo confixit Aug.memoratum elogium Theodori confixurus, ſi per illud veritatem læſam animadvertiſſet.

Præ-

Præſtare tamen nolim, placitura hæc eſſe Pherepono, quando ne ipſi quidem *Retractationem Libri* ab eo gratiam iniere. Pag. 484. Animadv. ad Lib. 2. Cap. 29. de Geneſi, *locos*, inquit, *lib. 3. de lib. Arb. indictos prætermiſit Auguſtinus, dum alios, qui multo minus torqueri poterant, explicat. Qua in re an ars aliqua fuerit, judicent alii. Candorem quidem & modeſtiam præ ſe ferunt Retractationes, ſed debent ingenue fieri, retractatis, quæcumque falſa putantur, non paucis quibuſdam exigui momenti, relictis gravioribus, ne forte adverſarii objiciant ſe ſimilia ſentire. Sed Auguſtini animum noverat Deus.* Tria contingere hic potuêre. Primum eſt, falſa in Auguſtini Libris ea non eſſe, quæ nunc falſa Pherepono videntur. Proximum eſt, etiamſi veritati ea adverſentur, Auguſtinum tamen id nequaquam animadvertiſſe. Tertium denique, animadvertiſſe quidem, ſed noluiſſe retractare, atque corrigere. Catholicorum ſententia eſt, Auguſtinum in doctrina *de libero Arbitrio* nequaquam aberraſſe; ſed quando Cenſori noſtro, non ſecus ac Pelagianis tum antiquis, tum recentibus, aliter viſum eſt, nos in iis infelicitatem ac tenebras ingenii miſereamur perverſam voluntatem non facilè accuſemus. Errant nimirum, ſed ſe errore duci non putant. Catholicos contrà in errore verſari ſibi perſuadent Pelagiani; ſed & ipſi nos contra votum noſtrum cœcutire intelligant. Nam & juſtitia & caritas poſcunt, ut in iis ſimilibúſque quæſtionibus contra animi ſententiam à veritate deflexiſſe putetur, quiſquis deflectit, niſi aliter credere nos jubeant contraria argumenta. Atque ita ſane de Auguſtino credendum, ii etiam fateantur, quibus Auguſtini doctrina quælibet nondum probatur. Nam quis in animum inducat, uſque adeo deſipuiſſe, & à rationis, atque conſcientiæ legibus deſciviſſe Auguſtinum, ut ſciens prudens erraverit, erroreſque in Religione tu piſſimos ac pernicioſiſſimos agnoverit quidem, ſed venditare perrexerit? Neceſſe plane foret, virum excogitare baſilice impoſtorem, ac poſtremæ iniquitatis reum.

Et tamen, ſi quid intelligimus, non alio collineant Pherepon tela, quàm ut Auguſtinum nobis exhibeant hominum nequiſſimum. Callidiſſimè nempe dubitare Cenſor nos vult, an ars aliqua in Auguſtinianis Retractationibus fuerit; ingenuitatem ibi deſiderat: & Auguſtini animum ita in medio relinquit, ut ſuſpicari poſſimus, num veritatis amore, an conſilio illudendi orbis, Retractationes ſcripſerit, videlicet ut ſolis exigui momenti erroribus diſpunctis, eam ſinceritatis famam ſibi pararet, quæ fidem poſtea apud præſentes ac poſteros conciliaret graviſſimis erroribus intactis, ſibique probe perſpectis. Equidem non dubito, quin atrocitatem ſuſpicionis ſive calumniæ iſtius, quiſque intelligat, ſimulque miretur, qui Batavo, ſeu Helvetio homini tanta adverſus Auguſti-

guſtinum confidentia eſſe potuerit, ubi non de opinionibus, ſed de interno Auguſtini animo res agitur. Quas enim Criticas leges hic pro ſe Phereponus laudet, contra clamantibus cunctis juſtitiæ, caritatis, & honeſtatis legibus? Quæ argumenta adhibere poteſt, ut crimine temeritatis atque improbitatis ſeſe abſolvat? Neque vero tam ſui, atque Dialecticæ oblitum ipſum reor, ut ideo Auguſtinum fraude hac uſum fuiſſe argumentetur, quia uti is potuit. Nullum crimen eſſet, cujus & ego reum facere Phereponum, & quemcumque alium, deinceps non poſſem, ſi vim ullam habere deberet iniqua adeo argumentandi ratio. Conſcientiæ ergo ſuæ Phereponus conſulat, redeatque illuc, ut tantummodo dicat, erraſſe Auguſtinum. Errabit vel ſic quidem talia affirmans accuſator, meâ & omnium Catholicorum ſententiâ; ſed infamiam ſaltem evadet, quam nunc inurere dum vult Auguſtino, neſcio qui declinare ipſe jam poſſit.

Auctor eſt Auguſtinus in Epiſt. 71. olim 10. quæ eſt ad Hieronymum, Epiſcopum quemdam, quod utens Hieronymiana ſacrorum Codicum interpretatione dictionem unam aliter expoſuiſſet, quàm antiquus mos haberet, ingentes excitaſſe turbas in populo, ita ut *coactus demum fuerit velut mendoſitatem corrigere, volens poſt magnum periculum non remanere ſine plebe.* Inſurgit hic Phereponus, & inquit pag. 491. *Mala ſane fuiſſet Afra plebs, quæ tantilla de cauſa Epiſcopum ſuum deſerere parata fuit, ſed videtur eſſe, ut probe olfecit Hieronymus, fabella Punica, qua hominem terrere voluit Hipponenſis Epiſcopus.* Equidem in iſtam controverſiam ægre me rapi ſentio, quam non ita dirimere pro uno poſſum, ut alterum ſimul non arguam & culpem. Immo liceat mihi dicere, aliquid habeo, quod illic tam in Hieronymo, quàm in Auguſtino deſiderem, ſive ſtatum controverſiæ ſpectem, ſive modum. Attamen quod eſt ad narrationem Auguſtini de Epiſcopo illo in diſcrimen adducto ob interpretationem Hieronymi, nihil me ſolicitat, quod ipſe Hieronymus ad Auguſtinum ea de re ſcribens, inquit: *Hujuſcemodi in Epiſtola tua texis fabulam: Quidam frater noſter Coepiſcopus*, &c. Novimus Hieronymi viri alioquin ſanctiſſimi ſtylum aculeatum, ſtylum iratum plenum, ac potiſſimum dum ſibi pugnat. Quid mirum ſi irato ferventique viro excidit, hujuſmodi, exceptione ſe ſuoſque Libros & utilem certe laborem tueri. Cordatus nemo propterea credat Auguſtinum fabellæ atque impoſturæ tam gravis in Hieronymi caput auctorem. Quod vero tolerandum fuit in Hieronymo ægre ferente, optimum conſilium ſuum peſſime acceptum ab Auguſtino fuiſſe, id neſcio qui nos tolerare nunc debeamus in Pherepono, quem Auguſtinus nuſquam

quam læſit, quique non irritatus, acriùs tamen quàm ipſe Hieronymus Auguſtinum accuſat. Nimia nempe hominis hujus confidentia, dum ex arbitrio atque imperio fabulatorem facit virum æque pium ac doctum, & quantum ejus mores & dogmata docent, à dolis atque imposturis alieniſſimum. Fac etiam fuerit fabella; at æqui honeſtique Cenſoris erat Auguſtinum potius ſuſpicari à ficto rumore deceptum, quàm eundem venditare certiſſimum ipſius commenti artificem, cùm præſertim alio ſub cœlo ea res contigiſſe dicatur. Sed ne fabulam quidem fuiſſe ubi nos contendamus, quis Phereponus contrarium oſtendat? Vix etiam evincere poſſis, Auguſtinum illic agere de *cucurbita* atque *hedera* Enimvero numquid mirum eſt, paratam fuiſſe plebem illam recedere ab Epiſcopo ſuo *tantilla de cauſa* ? Etſi levis error futurus ille fuiſſet, attamen cùm videretur Epiſcopus idem ſine cauſa divinas adulterare Scripturas: nimio zelo adverſus ipſum accendi potuit religioſa populorum cura de veteri Traditione tuenda. Jam patet, quibus diris divini Scriptores abſterruerint homines, ne vel unum verbum adderent, detraherent, aut immutarent in Codicibus ſacris. Patet etiam, quantopere Chriſtianis antiquis cordi fuerit, Scripturæ ſacræ exemplaria à corruptoribus tueri. Ad hæc Paulo Samoſateno Antiochenus populus, Neſtorio, & Iconoclaſtis Conſtantinopolitanus, Arianis populi alii ſummo ſtudio reſtitere, ut ſanctus Hilarius ævo ſuo diceret, *religioſiores fuiſſe aures Populi, quam corda Sacerdotum.* Ipſe verò Hieronymus in Epiſtola 81. olim 18. inter Auguſtinianas acrem hanc accuſationem delinire poſtea viſus eſt, ad Auguſtinum reſcribens, & inquiens: *Si legiſti librum Explanationum in Jonam, puto quod ridiculam cucurbitæ non recipias quæſtionem. Si autem amicus, qui me primus gladio petiit, ſtylo repulſus eſt, ſit humanitatis tuæ atque juſtitiæ accuſantem reprehendere, non reſpondentem.*

Pag. 522. Animadv. in Epiſt. 213 aliàs 110. Phereponus Auguſtinus ſugillat, quod ſe Epiſcopum Hipponenſem ordinari paſſus fuerit, vivente adhuc Valerio Civitatis illius Epiſcopo. Id Nicæno Canone octavo interdictum memorat; tum ſubdit: *Non intelligo, qui uſus ipſe Eccleſiæ, ex quo conſtabat, unum in ſingulis urbibus Epiſcopum eſſe oportere, non monuerit Hipponenſem, hoc illicitum eſſe: Nam ſi collegam unum ſibi adjungere licuit, quidni & plures? Quam magnam hoc aperuit feneſtram adverſariis Auguſtini, dicendi hominem ſæpe in utilitatem ſuam erraſſe?* Abſtinuiſſent ab hujuſmodi calumnia adverſarii Auguſtini, quos inter nunc primas ducit Phereponus, ſi diligentiùs perpendiſſent rem ipſam. Ignorabat Valerius, ignorabat Auguſtinus, Nicænum Canonem obſtare Cujus rei fidem facit in laudata Epiſtola Auguſtinus. Immo nihil contra Canones tunc agi

Digitized by Google

cenſuerunt alii Africæ Epiſcopi, iique omnium præſtantiſſimi. Audi Poſſidium in Auguſtini vita Cap. 8. *Egit Valerius ſecretis literis apud* (Aurelium] *Primatem Epiſcoporum Carthaginenſem, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque gravitatem, & obſecrans, ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, quo ſua Cathedræ non tam ſuccederet, ſed Conſacerdos accederet Auguſtinus. Quæ igitur beatus Valerius optavit, & rogavit ſatagens, reſcriptio impetravit.* Audi & alia Poſſidii verba: *poſt quam petitionem ad viſitandum adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo, Valerius Antiſtes Epiſcopis, qui forte tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponenſibus, & univerſa plebi inopinatam cunctis ſuam inſinuat tunc voluntatem, omnibuſque audientibus, gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere, contra morem Eccleſiæ, ſuo vivente Epiſcopo Presbyter Auguſtinus recuſabat.* Vides Auguſtinum, quanquam ignoraret, Nicæno Canone hujuſmodi ordinationes prohiberi, probe tamen recogitaſſe, ab ea ordinatione abhorrere conſuetudinem Catholicæ Eccleſiæ, ipſumque adeo Auguſtinum obſtitiſſe Epiſcopis, ne ſe Epiſcopum ſacrarent. Sed vicit plurium ſententia. Imò exempla ſimilium ordinationum in medium allata fuêre. *Dumque illi fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur* [inquit idem Poſſidius] *atque id ignaro tranſmarinis, & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam, & majoris loci ordinationem ſuſcepit.* Auguſtinus ipſe ad Paulinum Ep. 31 aliàs 34. de ſarcina Coepiſcopatus ſibi à Valerio impoſita ſcribens, hoc idem confirmat, inquiens: *Quod quidem, quia tanta ejus caritate, tantoque populi ſtudio Dominum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus omnis mihi excuſatio claudebatur, vehementer timui excuſare.*

Quem ergo errorem apertis oculis admiſſum, quam errandi voluntatem ad proprium commodum in Auguſtino demonſtres? Detrectabat ipſe honorificum munus; compulſus à Valerio, ab aliis Epiſcopis, à Clero toto, ab univerſa plebe, ſe paſſus eſt vinci, annuente etiam Aurelio Carthaginenſi, Africæ Primate. Ex iis nemo ſuſpicabatur, violatum iri propterea Canones Nicænos; & quanquam Eccleſiæ conſuetudo ſecus agendum moneret, exemplorum tamen ingeſta copia rationem omnem cunctandi & recuſandi ſuſtulit. Rem ego non probo, neque ſubinde probavit ipſemet Auguſtinus, ubi intellexit, Nicænam Synodum aliter ſanxiſſe. Verùm eæ tunc circumſtantiæ in Auguſtini ordinationem confluxere, ut non ſolùm excuſatione dignum ille ſe præbeat, ſed iniquæ accuſationis accuſari mereatur, qui tacite nobis perſuadere cupit, Auguſtinum ſcienter atque lubenter tunc erraſſe,

quòd

quòd error ipſe cederet in ſuam ipſius utilitatem. Cùm verò inqui Phereponus : *Si collegam unum ſibi adjungere licuit, quidni & plures?* non videt homo acutus, fruſtra id peti, nam qui collegam ſive coadjutorem ſibi adſciſcebat, ea ratione movebatur, quòd ipſ aut ſenio aut morbis ad obeunda Eccleſiaſtica munia ineptus jam eſſet, & Collegam hunc ſibi ſucceſſorem deligebat, conſentient Clero, populo, ipſiſque Provincialibus Epiſcopis. Atqui unu Collega id implere valebat, quod Epiſcopus ſeneſcens implere amplius non poterat, atque unus Epiſcopo morienti ſucceſſor era dandus. Quamobrem & ſuperfluum, & incommodum conſilium fuiſſet plures adligere uno tempore coadjutores, nullaque neceſſitas, nulla potens ratio ſuccurriſſet, quæ aut ſuaderet, aut excuſaret ut unius, ita & plurium cooptationem.

Alia tamen habet Phereponus, quæ in memorata Epiſt. 213. olim 110. ſibi non arrident; quippe illic Auguſtinus Heraclium ſibi Succeſſorem in Epiſcopatu deſignat iis verbis: *Presbyterum Heraclium mihi ſucceſſorem volo.* Canonem LXXVI. Apoſtolorum, & Synodi Antiochenæ ſub Conſtantio habitæ decreta hic violata Phereponus clamat; ſtupetque ignoraſſe Auguſtinum, illicitum hoc fuiſſe, cùm præſertim conſenſum Coepiſcoporum ille non exquiſierit, quem tamen exigebat Synodus Nicæna. Profectò interdixere Canones [& jure maximo interdixere,] ne ſacri Antiſtites ſibi ſucceſſorem deligerent, atque conſtituerent. Sic occurſum ambitioni, & propriæ utilitatis ſtudio, quibus affectibus occœcati interdum Epiſcopi indignos eligere, & Epiſcopis Provincialibus, Clero, ac populo libertatem electionis præripere poterant. Sed hoc ad Diſciplinam ſpectat, eamque eligendi ſucceſſoris libertatem eadem Eccleſia modò permittere, modò prohibere poteſt prout conducibilius videatur. Nam idem quoque periculum quandoque imminet, ſi Epiſcopi, Clerus, & populus eligant, ac ſi unus Epiſcopus, & pius contra Epiſcopus gregi ſuo, dum vivit, melius conſulere interdum poteſt, quàm plures. Illud verò dubium eſſe non debet, quin Auguſtinus optimum Succeſſorem Eccleſiæ ſuæ dederit, omni ambitionis, atque utilitatis propriè affectu ſublato. Immo id unice à ſe præſtari palam teſtatus eſt Auguſtinus, ut ne *per ambitioſos & contentioſos* Eccleſia Hipponenſis perturbaretur poſt mortem ſuam, uti aliis in Eccleſiis acciderat. Cleri etiam, & populi duorumque Epiſcoporum ſuffragio res acta. Sed quod in primis huc facit, illud eſt, iis temporibus nequaquam obtinuiſſe in Africa prohibitionem illam de Succeſſore ſibi inſtituendo. Suppetunt illic exempla, immo & in nonnullis aliis Provinciis, quæ adferre non eſt hujus loci, quippe à Juſtello, Brevereгio, Thomaſſino aliiſque congeſta. Antiochenis autem Canonibus Africa ſe obligari fortaſſe non cenſuit, incertumque eſt, an

imò innumera ſunt nobis, quæ accuſatoribus os obſtruant. Et illud in primis certum eſt, ſimulatorem virtutis, non eo pietatis, humilitatis, ac veritatis affectu ſcripturum fuiſſe, quæ ubique legimus in Auguſtini Libris, neque facturum quæ ab Auguſtino facta fuiſſe dubitat nemo. Sed, ut vetus verbum habet: *Nil probat calumniator, criminatur omnia*. Intereſt autem hominum omnium non ferre ludibrium tale veritatis, & alienæ famæ; quotus enim quiſque in poſterum erit bonus, pius, ac honeſtus, quem dejicere de loco, & execrationi quorumcumque exponere non valeas, ſi hypocriſim ac ſimulationem virtutis, quando aliud non occurrit, objicere & promptum ſit, & non illaudabile? Attamen habet hîc Auguſtinus, quo ſe conſoletur, exemplum videlicet divini Servatoris noſtri, quem paribus calumniis excipiebant olim Phariſæi. Quale verò exemplum habituri ſint hujuſmodi Cenſores, quo ſe defendant à crimine Sycophantiæ, videant ipſi. Ego non video.

Neque parum lepida eſt Phereponi exceptio contra Auguſtini paupertatem. *Satis divitem fuiſſe*, inquit, *qui haberet, quod aliis largiretur, & inde tantum ſibi ſumeret, quantum vellet*, Honeſtiſſimæ & chriſtianæ paupertatis ideâ caret, qui hæc ſcribit. Dives ille profectò dicendus eſt, Chriſti ſectator, qui, ut Minutii verbis utar, *non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives eſt*. Hic, inquam, dives germanam in ſe paupertatem fovet; nam non opum defectus, ſed animus pauperem facit. Homo videlicet nihil cupiens, neceſſariis tantum contentus, & parcus ſibi, & in egenos effuſus, & pro Chriſto nihil proprium poſſidens: ille verè eſt pauper. Et mirum eſt, qui Phereponus, ab aliis Novatoribus diſcedens, non ſolùm non damnat mendicitatem Monaſticam, ſed eamdem quoque talem exigit, ut nihil habeat pauper Evangelicus, quod aliis pauperibus diſtribuat. Quaſi non habuerit Chriſtus, non habuerint Apoſtoli, quæ ſibi ad victum atq; veſtitum neceſſaria forent, & quæ egenis identidem diſpenſarent. Epiſcopum verò in primis hoſpitalem Paulus deſiderat: quod fieri nequit, ſi nihil ei ſuperſit in alios diſtribuendum. Illud etiam conſtat, Epiſcopos non Dominos, non poſſeſſores eſſe bonorum Eccleſiaſticorum, ſed miniſtros, atque œconomos, eorúmque caritati potiſſimum commendatam eſſe pauperum curam. *Gloria Epiſcopi eſt, pauperum inopiæ providere*, inquit Sanctus Hieronymus ad Nepotian. de Vita Cler. Qua ergo ratione Phereponus & paupertatis gloriâ Auguſtinum ſpoliat, eumque non patitur aliquid habere, quo hoſpitalem ſe præbeat, & aliorum indi-

indigentiæ ſuccurrat? Minùs autem excuſandus ille mihi videtur, dum & legere potuerit, & falſi arguere non potuerit, quæ de Monaſtico Auguſtini inſtituto, vel poſt Epiſcopatum ſervato, ſcribit eruditisſimus ille Monachus Benedictinus è Congregatione S. Mauri, cui debemus noviſſimam vitam Auguſtini. Liceat mihi pauca quædam deſcribere, quæ ille ex variis documentis collecta habet. Li. 3. Cap. 2. §. 8. *Cùm Auguſtinus in Epiſcopii domo ſecum Clericos ſuos haberet, cum iiſdem formam primorum Chriſtianorum Hieroſolymis degentium, quibus erant omnia communia, nihil proprium, quantum poterat, ſectabatur. In illius ſocietate nulli licebat ſuum aliquid dicere, ſed omnia omnibus erant communia; & quotquot in eam admittebantur, hanc ſibi legem ſciebant impoſitam, &c. Sic omnes Clerici cum eo pauperes erant, ſimul præſtolantes miſericordiam Dei ex reditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel ex oblationibus fidelium, quæ ſingulis pro cujuſque indigentia diſtribuebantur.* Lege reliqua, uti & Cap. ſequ 3. & 4. ubique palam fiet, quantum alienus ab omni cupiditate Auguſtinus foret, & quam præter jus, quamque inopportunè Phereponus virtutes illius ſuſpectas hîc facere velit.

Pergit Cenſor gnaviter quærere, ubicumque poteſt, Auguſtini crimina; & ubi non invenit, liberaliter ipſe ſomniat, ac facit. In Animadverſ. ad Lib. 1. Cap. 11. de Ordine pag. 478. vellet ille nunc exſtaret Opuſculum *Theodori de origine & natura mundi.* Cur natum ſit Pherepono tale deſiderium, divinent quæſo eruditi. Omnia puto excogitabunt; ſed germanam fortaſſe cauſam non attingent, quam tamen ſinceriſſimè nobis Cenſor exponit. *Ex eo enim*, inquit, *intelligere liceret, an hîc ei aduletur (quod ſanè ſuſpicor) Auguſtinus pro more ſæculi ſui, quo, ſi unquam aliàs, immodicæ laudes in uſu vulgari fuêre.* Votum profectò dignum tali Critico, ut ſi non aliunde certi, nimiùmque certi eſſemus de illius odio atque livore contra Auguſtinum, facilè vel ex hoc veſtigio intelligere poſſemus. Et quænam tandem ſunt, quæ hîc Pherepono ſuſpicionem adulationis ingeſsêre? De Theodoro hæc ſcribit Auguſtin. *Vir & ingenio, & eloquentiâ & ipſis inſignibus, muneribuſque fortunæ, & quod ante omnia eſt, mente præſtantiſſimus Theodorus, id agit, ut & nunc, & apud poſteros, nullum genus hominum de litteris noſtrorum temporum jure conqueratur.* Dic, obſecro, quid hîc feriat Lectorem vel delicatisſimum? Etiamſi incomparabili ingenio, ſtudióq; litterarum non excelluiſſet Theodorus ille, nihilominus ea eſt ipſi ab Auguſtino tributa laus, ut neq; laudatorem pœnitere, neq; laudato pudorē incutere deberet. Ad hæc non alius eſt hic

Theo-

Theodorus,quàm Fl.Manlius Theodorus qui àClaudia
& Symmacho ſummis extollitur laudibus, & eloquen
potiſſimum ac eruditionis gloriâ commendatur.Memo
ipſe Pherepon Diſſertationem Rubenii de vita iſtius Th
odori,quo ex libello elucet, quantus vir, quantuſque P
loſophus ille fuerit. Sed præcipuè legendus eſt ejuſdem i
ſignis Panegyricus inter Claudiani Carmina. Attamen
quid hîc diſſimulem,illuſtrem egomet auctorem Phere
no indicare volo,hujuſmodi ſuſpicioni faventem.Is Au
ſtinus appellatur,Epiſcopus Hipponenſis,cujus verba ſ
L.1.C.2.Retract.*Diſciplicet autem illic*(id eſt in Lib.*de vita b
ata,)quod Manlio Theodoro,ad quem Librum ipſum ſcripſi, qua
vis docto & chriſtiano viro, plus tribui, quàm deberem.* Sed hi
volo Phereponus ipſe diſcat,num pronus ad aſſentandu
foret Auguſtin. & an parum rigidus ſui ipſius cenſor eſſe
quando ne hîc quidem ſibi ignoſcit.Æqui autem ac hon
ſti Critici erat, ex hac potius retractatione capere conſil
um laudandi Auguſtini, quàm ex elogio illo occaſione
arripere vituperandi. Quanquam quid dico? Ità me De
amet,elogium illud retractandum Auguſtino non erat,cu
tale ſit, ut lividis tantùmmodo hominibus aſſentatori
videri poſſit.Et reapsè ab Auguſt.improbatum minimè f
it. Retractionum verba cadunt ſuper Librum *de vita bea*
inſcriptum ipſi Theodoro, non ſuper elogium Theodo
in Lib. 2. *de Ordine* inſertum. Deinde nihil aliud emenda
in animum induxit Auguſtinus, quàm quædam in Præf
tione ad eum Lib.*de Vita beata* non ſatis graviter dicta,qu
cum delicata pietate non benè componi poſſe putabat: c
juſmodi ſunt: *Ad id,quod deſidero*(hoc eſt ad obtinenda
vitam beatam) *te unum intueor, téque aptiſſimum ſemper adm
ror,&c. Accipe,cujuſmodi auxilium abs te certus expectem.* Eade
repetit infrà,inquiens:*Obſecro te per virtutem tuam,per hum
nitatem,per animarum inter ſe vinculum, atque commercium,
dexteram porrigas. Hoc autem eſt,ut me ames, & à me viciſſim
amari credas.earumque haberi. Quod ſi impetravero,ad ipſam be
catam vitam, cui te jam hærere præſumo, parvo conatu facillim
accedam.* En quæ Auguſtino Librum illum emendaturo no
amplius ferenda videbantur. Nam ad ingenium, ac erud
tionem Theodori quod attinet, nihil in eo libro Augu
habet, quod ſpongiâ indigeat, cùm & in Retractionib
ipſum Theodorum *doctum & chriſtianum virum* appella
pergat. Eâdémque de cauſa in retractandis Libris de *Ordin*
obelo nullo confixit Aug.memoratum elogium Theodo
confixurus, ſi per illud veritatem læſam animadvertiſſe
Præ

Præſtare tamen nolim, placitura hæc eſſe Pherepono, quando ne ipſi quidem *Retractationem Libri* ab eo gratiam iniere. Pag. 484. Animadv. ad Lib. 2. Cap. 29. de Geneſi, *locos*, inquit, *lib. 3. de lib. Arb. indictos prætermiſit Auguſtinus, dum alios, qui multo minus torqueri poterant, explicat. Qua in re an ars aliqua fuerit, judicent alii. Candorem quidem & modeſtiam præ ſe ferunt Retractationes, ſed debent ingenue fieri, retractatis, quæcumque falſa putantur, non paucis quibuſdam exigui momenti, relictis gravioribus, ne forte adverſarii objiciant ſe ſimilia ſentire. Sed Auguſtini animum noverat Deus.* Tria contingere hic potuêre. Primum eſt, falſa in Auguſtini Libris ea non eſſe, quæ nunc falſa Pherepono videntur. Proximum eſt, etiamſi veritati ea adverſentur, Auguſtinum tamen id nequaquam animadvertiſſe. Tertium denique, animadvertiſſe quidem, ſed noluiſſe retractare, atque corrigere. Catholicorum ſententia eſt, Auguſtinum in doctrina *de libero Arbitrio* nequaquam aberraſſe; ſed quando Cenſori noſtro, non ſecus ac Pelagianis tum antiquis, tum recentibus, aliter viſum eſt, nos in iis infelicitatem ac tenebras ingenii miſereamur perverſam voluntatem non facilè accuſemus. Errant nimirum, ſed ſe errore duci non putant. Catholicos contrà in errore verſari ſibi perſuadent Pelagiani; ſed & ipſi nos contra votum noſtrum cœcutire intelligant. Nam & juſtitia & caritas poſcunt, ut in iis ſimilibúſque quæſtionibus contra animi ſententiam à veritate deflexiſſe putetur, quiſquis deflectit, niſi aliter credere nos jubeant contraria argumenta. Atque ita ſane de Auguſtino credendum, ii etiam fateantur, quibus Auguſtini doctrina quælibet nondum probatur. Nam quis in animum inducat, uſque adeo deſipuiſſe, & à rationis, atque conſcientiæ legibus deſciviſſe Auguſtinum, ut ſciens prudens erraverit, erroreſque in Religione tu piſſimos ac pernicioſiſſimos agnoverit quidem, ſed venditare perrexerit? Neceſſe plane foret, virum excogitare baſilice impoſtorem, ac poſtremæ iniquitatis reum.

Et tamen, ſi quid intelligimus, non alio collineant Pherepon tela, quàm ut Auguſtinum nobis exhibeant hominum nequiſſimum. Callidiſſimè nempe dubitare Cenſor nos vult, an ars aliqua in Auguſtinianis Retractationibus fuerit; ingenuitatem ibi deſiderat: & Auguſtini animum ita in medio relinquit, ut ſuſpicari poſſimus, num veritatis amore, an conſilio illudendi orbis, Retractationes ſcripſerit, videlicet ut ſolis exigui momenti erroribus diſpunctis, eam ſinceritatis famam ſibi pararet, quæ fidem poſtea apud præſentes ac poſteros conciliaret graviſſimis erroribus intactis, ſibique probe perſpectis. Equidem non dubito, quin atrocitatem ſuſpicionis ſive calumniæ iſtius, quiſque intelligat, ſimulque miretur, qui Batavo, ſeu Helvetio homini tanta adverſus Auguſti-

guſtinum confidentia eſſe potuerit, ubi non de opinionibus, ſed de interno Auguſtini animo res agitur. Quas enim Criticas leges hic pro ſe Phereponus laudet, contra clamantibus cunctis juſtitiæ, caritatis, & honeſtatis legibus? Quæ argumenta adhibere poteſt, ut crimine temeritatis atque improbitatis ſeſe abſolvat? Neque vero tam ſui, atque Dialecticæ oblitum ipſum reor, ut ideo Auguſtinum fraude hac uſum fuiſſe argumentetur, quia uti is potuit. Nullum crimen eſſet, cujus & ego reum facere Phereponum, & quemcumque alium, deinceps non poſſem, ſi vim ullam habere deberet iniqua adeo argumentandi ratio. Conſcientiæ ergo ſuæ Phereponus conſulat, redeatque illuc, ut tantummodo dicat, erraſſe Auguſtinum. Errabit vel ſic quidem talia affirmans accuſator, meâ & omnium Catholicorum ſententiâ; ſed infamiam ſaltem evadet, quam nunc inurere dum vult Auguſtino, neſcio qui declinare ipſe jam poſſit.

Auctor eſt Auguſtinus in Epiſt.71. olim 10. quæ eſt ad Hieronymum, Epiſcopum quemdam, quod utens Hieronymiana ſacrorum Codicum interpretatione dictionem unam aliter expoſuiſſet, quàm antiquus mos haberet, ingentes excitaſſe turbas in populo, ita ut *coactus demum fuerit velut mendoſitatem corrigere, volens poſt magnum periculum non remanere ſine plebe.* Inſurgit hic Phereponus, & inquit pag. 491. *Mala ſane fuiſſet Afra plebs, quæ tantilla de cauſa Epiſcopum ſuum deſerere parata fuit, ſed videtur eſſe, ut probe objecit Hieronymus, fabella Punica, qua hominem terrere voluit Hipponenſis Epiſcopus.* Equidem in iſtam controverſiam ægre me rapi ſentio, quam non ita dirimere pro uno poſſum, ut alterum ſimul non arguam & culpem. Immo liceat mihi dicere, aliquid habeo, quod illic tam in Hieronymo, quàm in Auguſtino deſiderem, ſive ſtatum controverſiæ ſpectem, ſive modum. Attamen quod eſt ad narrationem Auguſtini de Epiſcopo illo in diſcrimen adducto ob interpretationem Hieronymi, nihil me ſolicitat, quod ipſe Hieronymus ad Auguſtinum ea de re ſcribens, inquit: *Hujuſcemodi in Epiſtola tua texis fabulam: Quidam frater noſter Coepiſcopus*, &c. Novimus Hieronymi viri alioquin ſanctiſſimi ſtylum aculeatum, ſtylum iratum plenum, ac potiſſimum dum ſibi pugnat. Quid mirum ſi irato ferventique viro excidit, hujuſmodi, exceptione ſe ſuoſque Libros & utilem certe laborem tueri. Cordatus nemo propterea credat Auguſtinum fabellæ atque impoſturæ tam gravis in Hieronymi caput auctorem. Quod vero tolerandum fuit in Hieronymo ægre ferente, optimum conſilium ſuum peſſime acceptum ab Auguſtino fuiſſe, id neſcio qui nos tolerare nunc debeamus in Pherepono, quem Auguſtinus nuſquam

quam læſit, quique non irritatus, acriùs tamen quàm ipſe Hieronymus Auguſtinum accuſat. Nimia nempe hominis hujus confidentia, dum ex arbitrio atque imperio fabulatorem facit virum æque pium ac doctum, & quantum ejus mores & dogmata docent, à dolis atque impoſturis alieniſſimum. Fac etiam fuerit fabella; at æqui honeſtique Cenſoris erat Auguſtinum potius ſuſpicari à ficto rumore deceptum, quàm eundem venditare certiſſimum ipſius commenti artificem, cùm præſertim alio ſub cœlo ea res contigiſſe dicatur. Sed ne fabulam quidem fuiſſe ubi nos contendamus, quis Phereponus contrarium oſtendat? Vix etiam evincere poſſis, Auguſtinum illic agere de *cucurbita* atque *hedera*. Enimvero numquid mirum eſt, paratam fuiſſe plebem illam recedere ab Epiſcopo ſuo *tantilla de cauſa*? Etſi levis error futurus ille fuiſſet, attamen cùm videretur Epiſcopus idem ſine cauſa divinas adulterare Scripturas: nimio zelo adverſus ipſum accendi potuit religioſa populorum cura de veteri Traditione tuenda. Jam patet, quibus diris divini Scriptores abſterruerint homines, ne vel unum verbum adderent, detraherent, aut immutarent in Codicibus ſacris. Patet etiam, quantopere Chriſtianis antiquis cordi fuerit, Scripturæ ſacræ exemplaria à corruptoribus tueri. Ad hæc Paulo Samoſateno Antiochenus populus, Neſtorio, & Iconoclaſtis Conſtantinopolitanus, Arianis populi alii ſummo ſtudio reſtitere, ut ſanctus Hilarius ævo ſuo diceret, *religioſiores fuiſſe aures Populi, quam corda Sacerdotum.* Ipſe verò Hieronymus in Epiſtola 81. olim 18. inter Auguſtinianas acrem hanc accuſationem delinire poſtea viſus eſt, ad Auguſtinum reſcribens, & inquiens: *Si legiſti librum Explanationum in Jonam, puto quod ridiculam cucurbitæ non recipias quæſtionem. Si autem amicus, qui me primus gladio petiit, ſtylo repulſus eſt, ſit humanitatis tuæ atque juſtitiæ accuſantem reprehendere, non reſpondentem.*

Pag. 522. Animadv. in Epiſt. 213 aliàs 110. Phereponus Auguſtinus ſugillat, quod ſe Epiſcopum Hipponenſem ordinari paſſus fuerit, vivente adhuc Valerio Civitatis illius Epiſcopo. Id Nicæno Canone octavo interdictum memorat; tum ſubdit: *Non intelligo, qui uſus ipſe Eccleſiæ, ex quo conſtabat, unum in ſingulis urbibus Epiſcopum eſſe oportere, non monuerit Hipponenſem, hoc illicitum eſſe: Nam ſi collegam unum ſibi adjungere licuit, quidni & plures? Quam magnam hoc aperuit feneſtram adverſariis Auguſtini, dicendi hominem ſæpe in utilitatem ſuam erraſſe?* Abſtinuiſſent ab hujuſmodi calumnia adverſarii Auguſtini, quos inter nunc primas ducit Phereponus, ſi diligentiùs perpendiſſent rem ipſam. Ignorabat Valerius, ignorabat Auguſtinus, Nicænum Canonem obſtare. Cujus rei fidem facit in laudata Epiſtola Auguſtinus. Immo nihil contra Canones tunc agi

Digitized by Google

cenſuerunt alii Africæ Epiſcopi, iique omnium præſtantiſſimi. Audi Poſſidium in Auguſtini vita Cap. 8. *Egit Valerius ſecretis literis apud* (Aurelium] *Primatem Epiſcoporum Carthaginenſem, allegans imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque gravitatem, & obſecrans, ut Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, quo ſua Cathedræ non tam ſuccederet, ſed Conſacerdos accederet Auguſtinus. Quæ igitur beatus Valerius optavit, & rogavit ſatagens, reſcriptio impetravit.* Audi & alia Poſſidii verba: *poſt quam petitionem ad viſitandum adveniente ad Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo, Valerius Antiſtes Epiſcopis, qui forte tunc aderant, & Clericis omnibus Hipponenſibus, & univerſa plebi inopinatam cunctis ſuam inſinuat tunc voluntatem, omnibuſque audientibus, gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti deſiderio clamantibus, Epiſcopatum ſuſcipere, contra morem Eccleſiæ, ſuo vivente Epiſcopo Presbyter Auguſtinus recuſabat.* Vides Auguſtinum, quanquam ignoraret, Nicæno Canone hujuſmodi ordinationes prohiberi, probe tamen recogitaſſe, ab ea ordinatione abhorrere conſuetudinem Catholicæ Eccleſiæ, ipſumque adeo Auguſtinum obſtitiſſe Epiſcopis, ne ſe Epiſcopum ſacrarent. Sed vicit plurium ſententia. Imò exempla ſimilium ordinationum in medium allata fuêre. *Dumque illi fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur* [inquit idem Poſſidius] *atque id ignaro tranſmarinis, & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam, & majoris loci ordinationem ſuſcepit.* Auguſtinus ipſe ad Paulinum Ep. 31 aliàs 34. de ſarcina Coepiſcopatus ſibi à Valerio impoſita ſcribens, hoc idem confirmat, inquiens: *Quod quidem, quia tanta ejus caritate, tantoque populi ſtudio Dominum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus omnis mihi excuſatio claudebatur, vehementer timui excuſare.*

Quem ergo errorem apertis oculis admiſſum, quam errandi voluntatem ad proprium commodum in Auguſtino demonſtres? Detrectabat ipſe honorificum munus; compulſus à Valerio, ab aliis Epiſcopis, à Clero toto, ab univerſa plebe, ſe paſſus eſt vinci, annuente etiam Aurelio Carthaginenſi, Africæ Primate. Ex iis nemo ſuſpicabatur, violatum iri propterea Canones Nicænos; & quanquam Eccleſiæ conſuetudo ſecus agendum moneret, exemplorum tamen ingeſta copia rationem omnem cunctandi & recuſandi ſuſtulit. Rem ego non probo, neque ſubinde probavit ipſemet Auguſtinus, ubi intellexit, Nicænam Synodum aliter ſanxiſſe. Verum eæ tunc circumſtantiæ in Auguſtini ordinationem confluxere, ut non ſolùm excuſatione dignum ille ſe præbeat, ſed iniquæ accuſationis accuſari mereatur, qui tacite nobis perſuadere cupit, Auguſtinum ſcienter atque lubenter tunc erraſſe,

quòd

quòd error ipſe cederet in ſuam ipſius utilitatem. Cùm verò inquit Phereponus : *Si collegam unum ſibi adjungere licuit, quidni & plures?* non videt homo acutus, fruſtra id peti, nam qui collegam, ſive coadjutorem ſibi adſciſcebat, ea ratione movebatur, quòd ipſe aut ſenio aut morbis ad obeunda Eccleſiaſtica munia ineptus jam eſſet, & Collegam hunc ſibi ſucceſſorem deligebat, conſentiente Clero, populo, ipſiſque Provincialibus Epiſcopis. Atqui unus Collega id implere valebat, quod Epiſcopus ſeneſcens implere amplius non poterat, atque unus Epiſcopo morienti ſucceſſor erat dandus. Quamobrem & ſuperfluum, & incommodum conſilium fuiſſet plures adligere uno tempore coadjutores, nullaque neceſſitas, nulla potens ratio ſuccurriſſet, quæ aut ſuaderet, aut excuſaret ut unius, ita & plurium cooptationem.

Alia tamen habet Phereponus, quæ in memorata Epiſt. 213. olim 110. ſibi non arrident; quippe illic Auguſtinus Heraclium ſibi Succeſſorem in Epiſcopatu deſignat iis verbis: *Presbyterum Heraclium mihi ſucceſſorem volo.* Canonem LXXVI. Apoſtolorum, & Synodi Antiochenæ ſub Conſtantio habitæ decreta hic violata Phereponus clamat; ſtupetque ignoraſſe Auguſtinum, illicitum hoc fuiſſe, cùm præſertim conſenſum Coepiſcoporum ille non exquiſierit, quem tamen exigebat Synodus Nicæna. Profectò interdixere Canones [& jure maximo interdixere,] ne ſacri Antiſtites ſibi ſucceſſorem deligerent, atque conſtituerent. Sic occurſum ambitioni, & propriæ utilitatis ſtudio, quibus affectibus occœcati interdum Epiſcopi indignos eligere, & Epiſcopis Provincialibus, Clero, ac populo libertatem electionis præripere poterant. Sed hoc ad Diſciplinam ſpectat, eamque eligendi ſucceſſoris libertatem eadem Eccleſia modò permittere, modò prohibere poteſt prout conducibilius videatur. Nam idem quoque periculum quandoque imminet, ſi Epiſcopi, Clerus, & populus eligant, ac ſi unus Epiſcopus, & pius contra Epiſcopus gregi ſuo, dum vivit, melius conſulere interdum poteſt, quàm plures. Illud verò dubium eſſe non debet, quin Auguſtinus optimum Succeſſorem Eccleſiæ ſuæ dederit, omni ambitionis, atque utilitatis propriè affectu ſublato. Immo id unice à ſe præſtari palam teſtatus eſt Auguſtinus, ut ne *per ambitioſos & contentioſos* Eccleſia Hipponenſis perturbaretur poſt mortem ſuam, uti aliis in Eccleſiis acciderat. Cleri etiam, & populi duorumque Epiſcoporum ſuffragio res acta. Sed quod in primis huc facit, illud eſt, iis temporibus nequaquam obtinuiſſe in Africa prohibitionem illam de Succeſſore ſibi inſtituendo. Suppetunt illic exempla, immo & in nonnullis aliis Provinciis, quæ adferre non eſt hujus loci, quippe à Juſtello, Breveregio, Thomaſſino aliiſque congeſta. Antiochenis autem Canonibus Africa ſe obligari fortaſſe non cenſuit, incertumque eſt, an

Digitized by Google

iidem ipſi Canones Afris eſſent ſatis perſpecti. Eadem dici poſſunt de Canone, ut ajunt, Apoſtolum, cui etiam alia explicatio convenire poteſt. Quare nemo ex Africanis Patribus ea tempeſtate illicitum, prohibitumve putabat, ſibi idoneos eligere ſucceſſores, dum Cleri, & populi conſenſus rogaretur atque obtineretur, & electus Epiſcopalem conſecrationem poſt eligentis mortem expectaret: quæ omnia Auguſtinus præſtitit in eligendo ſibi ſucceſſore Heraclio, quem Eradium corrupti Codices appellabant.

CAPUT XV.

Nimius ſui amor falſo objectus à Pherepono ſancto Auguſtino, cujus conatus in Pelagium ejuſque errores fluxerunt ab amore unius Catholicæ veritatis. Ficta manſuetudo in Hæreticos perperam afficta Catholicis Epiſcopis. Comprimendæ Hæreſes vix ortæ, neque erroribus concedendus nimia lenitate aditus: Convicia & contumeliæ variæ Phereponi in ſanctum Auguſtinum. Quàm hæc hominem Chriſtianum & Criticum dedeceant. Quanto contemptu feratur ille in omnes ſanctos Patres.

CIrciter Annum Chriſti 394. *Expoſitionem Epiſtolæ ad Romanos* elucubravit Auguſtinus nondum Epiſcopatu initiatus. Nonnulla ibi occurrunt Semipelagianis poſtea natis faventia, ſed emendavit vir ſanctus Lib. 1. Cap. 23. Retract. confeſſus, ſe eo tempore *nondum diligentius quæſiviſſe, nec adhuc inveniſſe, qualis ſit electio Gratiæ.* Miratur Phereponus pag. 538. Animadv. qui Auguſtinus ſponte, ac à nullo damnatus, dogmata eadem ſubinde fuerit execratus. Tum oculo in intima Auguſtini præcordia conjecto, *Si nunquam tamen,* ait, *exortæ fuiſſent rixæ Pelagianæ, in iis ſententiis mortuus eſſet. Imo verò fortaſſe nunquam ita invectus in eas fuiſſet, niſi Pelagius aliquid in ejus ſcriptis carpſiſſet.* Primam verò indignandi in Pelagium occaſionem Auguſtino fuiſſe ſubdit, quòd Pelagius Romæ dum eſſet, ferre non potuerit ea Auguſtini ad Deum verba: *Da quod jubes, & jube quod vis*, quæ in Confeſſionum Libris adhuc leguntur. *Hinc prima origo mali*, inquit Cenſor, *nam nihil magis irritabile eſt Scriptoribus, qui pro ſcriptis poſtea, tanquam pro aris & focis pugnant.* Qui ne de nomine quidem Auguſtinum noſſet, hæc tamen audiens non ignoraret, quàm parum fidei debeatur accuſationi hu-

hujuſmodi, ad quam nempe confirmandam nulla ratio accedit. Quis Cenſori huic narravit, irritatum fuiſſe Auguſtinum, & ad ſententiam mutandam odio adverſantis Pelagii fuiſſe compulſum? Nimium dictatoriè iſta dicuntur. Sed hujus criminationis iniquitas longe melius ſe prodet, ubi recogites, quantum à cœco ſuarum opinionum amore abeſſet Auguſtinus. Nihil aliud ſunt Retractationum Libri, quàm illuſtre argumentum ardoris illius, quo Auguſtinus veritati uni ſupra ſuos affectus obſequebatur. Deinde vix alium reperias, qui demiſſiùs Auguſtino ſe emendari pateretur, & mitius haberet adverſarios ſuos, quanquam interdum procaciſſimos, & palam rationi ac veritati injurios. Onerare poſſem librum, ſi neceſſitas poſceret, exemplis ejuſmodi & humilitatis, & modeſtiæ. Denique tam parum cum veritate congruit, Auguſtinum in iram & odium adverſus Pelagium fuiſſe concitatum, quod hic verba quædam Confeſſionum moleſte tulerit, ut cùm Pelagius longe poſt illa tempora humaniſſimis literis ad Auguſtinum datis reſponſionem accepiſſet amicitiæ plenam, Auguſtinus deinde neceſſe habuerit ſe purgare, quaſi Hæreticum hominem ſupra meritum commendaſſet.

Quod ergo Auguſtinum armavit in Pelagium, Apoſtolicæ doctrinæ, veræque Religionis cura fuit. Eadem & armavit in Manichæos, in Donatiſtas, in Arianos, à veteri autem Chriſtianorum Traditione abhorruiſſe dogmata Pelagii, atque Cœleſtii, jam dudum oſtenderunt eruditi viri, oſtendit Auguſtinus ipſe, & ejus temporis Eccleſia, quod ne ipſum quidem Pelagium fugiebat, qui non aliter quàm clanculum, & ſub mille verborum ambagibus, ingentique cum ſimulatione ſuam huc illuc novitatem diſſeminavit. Quid faceret Auguſtinus zelo Domus Dei ſupra quamplurimos ardens? Africanæ, atque Orientales Eccleſiæ, ſanctus Hieronymus, Paulinus Ambroſii diſcipulus, aliique claſſicum protinus cecinere in erumpentem Hæreſim. In publicam rem tunc & ipſe Auguſtinus operam ſuam conferendam eſſe putavit. Quamobrem en veras cauſas, cur Pelagium, ſive ut melius dicam, Pelagii dogmata exagitare cœpit Auguſtinus. Quas commentus eſt pro ſuo arbitrio Phereponus, ſi nos levitatis ſaltem arguamus, æquo jure procul dubio agemus. Quod ſi Auguſtinus procedente tempore renuntiavit ſententiis nonnullis, iiſque paucis: ex ipſius teſtimonio, & rei evidentia conſtat eſſe factum, quod attentiùs ſubinde inveſtigaverit cùm Scripturarum ſacrarum mentem, tum Eccleſiaſticæ Traditionis vocem. An verò crimen eſt meliora diſcere, & melius ſentire? Et numquid Auguſtinus pro ſuis ſententiis tanquam pro aris & focis pugnare paratus fuit, qui ſententias priores reipſa deſerere non dubitavit, ſtatim ac veritas explorata id ab ipſo exegit?

Digitized by Google

Retractavit quoque vir ſanctus quoddam aliud effatum ſuum in Expoſ. Cap. VII. 19. 20. ad Rom. uti Semipelagianum. Hinc Pherepono anſa præbetur traducendi Auguſtini tanquam *ſummopere temerarii* hominis, qui ea olim ſcriberet, quæ, ut ipſe deinde contendit, in Eccleſia minime tradebantur. Quod ſi tradebantur, non capit Pheregonus pag. 536. Animadv. *qui damnari potuerint quaſi novatores & exitiales Hæretici, qui id docebant quod antea ubique docebatur, & quod cum laude ſcripſerat Auguſtinus.* Sed fruſtra invidiam Auguſtino creare, fruſtra Pelagianam novitatem tueri molitur Phereponus, parum hic ſe verſatum exhibens in Eccleſiaſtici juris œconomia, immo & in eorum temporum Hiſtoria. Eſſe poſſunt dogmata quædam adhuc inter Scriptores dubia, atque ab Eccleſia nondum calculis poſtremis definita. Hæreticum nomen alterutram partem tuentibus tunc tribuere non licet. Ubi Eccleſia ſententiam tulit, tunc aliter ſentire quàm Eccleſia, nefas eſt. Ita fuit tempus, quo ſententia de iterum baptizandis Hæreticis inter hæreticas referenda fortè non erat. Idem Semipelagianis Dogmatis accidit. Non idcirco læſiſſe Fidem dicti ſunt Vincentius Lirinenſis, Hilarius Arelatenſis, Caſſianus, Fauſtus, Gennadius, Sidonius, aliique aut Lirinenſes, aut Maſſilienſes, quòd Semipelagianiſmum foverint. Tunc ſolùm execranda cœpit eſſe eorum doctrina de initiis fidei, cùm Synodus Arauſicana expoſuit, quid hic ſentiret, ſentiendumque mandaret Eccleſia verax. Pleriſque autem è Patribus nonnulla excidiſſe videmus, quæ deinde ſacris Conciliis divina oracula promentibus minime probata fuère. Sed illi incautè, inculpatéque ita ſenſere, paratiſſimi conſentire cum Eccleſia, ſi hæc in diverſam abiiſſet ſententiam, & ideo illis opinionibus addicti fuerunt, quod nondum ſatis diligenter exquiſierant, quid Apoſtolica de iis Traditio haberet.

Quod ergo ad Pelagianos errores attinet; eos ſua novitas in oculos omnium incurrens execrabiles ſtatim fecit. Tum protinus in eorum damnationem conſenſit Eccleſia. Concilia non ſemel ab Afris Epiſcopis habita, Synodi Hieroſolymis, Dioſpoli, Romæ, Antiochiæ, aliiſque in Urbibus celebratæ, prætereaque Romani Pontifices, aliique celeberrimi Patrum adverſus Pelagianum doctrinam illico anathemata exeruere. Quid miratur ergo Phereponus, quòd execrationi eſſe in Eccleſia Catholica Pelagius, ejuſque ſectatores continuò cœperint; Novam, inſuetam, atque à Traditione abhorrentem doctrinam invehere tentabat id hominum genus; deinde Eccleſiæ germanam Fidem ſtatuenti: erroreſque proſcribenti reſiſtere pertinaciter non dubitavit, mentemque in errore obfirmatam prodere. Hic hæreſeos ſtat cardo; hæ cauſæ juſtiſſimæ anathematum. At Semipelagiana dogmata,

dogmata, ſi qua Auguſtinus tradidit [nam vere Pelagiana ex ejus calamo certum eſt excidiſſe nunquam] nondum Auguſtini ævo, immo ne per integrum quidem ſeculum ab illius morte, ea fuerunt, ut ipſorum patrocinio læderetur fides. Eidem quoque doctrinæ adhæſere piiſſimi viri, nullo ſanctitatis diſpendio; quippe Traditio ab ipſis nondum ſatis diligenter conſulta fuerat, & controverſiæ omnes de Gratia liberoque Arbitrio nondum ſatis fuerant pertractatæ, atque Eccleſiaſtica Concilia quid pro certo iis de rebus affirmandum foret, nondum conſtituerant. Proinde incautus, & ſi etiam velis negligens, ſed ſine culpa, non autem *ſummopere temerarius* dici potuit Auguſtinus, quòd non mala fide olim docuerit, quæ poſtea re melius conſulta correxit. Innumeræ occurrunt controverſiæ adhuc ferventes, magnis piiſque Auctoribus utrinque ſtantibus. Quandiu Eccleſia ambiguam rem in medio relinquat, quamcumque velis partem tueri licitum erit. Sic Auguſtinus Pelagianos Hæreticis primò non accenſuit, ut patet ex ejus Serm. 294. Deinde verò pertinaces in errore, & Conciliis palam reſiſtentes, hæreſis incuſavit: quod Pherepono nec novum, nec iniquum videri debebat in Animadv. ad laudatum Sermonem pag. 550. Sed quoniam illuc noſtra delapſa eſt oratio, alia videamus, quæ Phereponus carpit in eodem Sermone.

Multi jam fuimus alibi in propugnando jure cùm Eccleſiæ, tum Principum Catholicorum adverſus homines hæreticos, quos pœnis caſtigare, reluctanteſque ad meliorem ſententiam incitare fas eſſe diximus. Phereponus audiens Auguſtinum ibi de Pelagianis ita loquentem: *Suſtineat eos mater piis viſceribus ſanandos, portet docendos, ne plangat mortuos, &c.* mellita hæc appellat, ſed ſtatim adjungit, *dehoneſtata fuiſſe ſequentium temporum incredibili acerbitate, ut propemodum ſuſpicari quis poſſit, manſuetudinem hanc data opera ſimulatam, ut major invidia miſeris hominibus conflaretur, niſi cederent, utque homines imperiti magis in illos poſtea exardeſcerent.* Ut ut modeſtus cautuſque videri & hic velit Phereponus, ſuſpicionem hanc teterrimam non ſibi tribuens, ſed aliis affingens, eamque illo ſuo propemodum temperans: non impetrabit tamen, quin ipſum tanquam atrocis calumniæ auctorem æquo jure hic poſtulemus. Satis ipſe prodit, ſibi accuſationem hujuſmodi probari, ſibique in votis eſſe, ut in reliquorum mentibus radices agat. Et tamen quantum à caritate & veritate longe abeat iſta ſuſpicio, facilè intelligere potuiſſet ipſemet Phereponus, ſi minori odio atque livore ſuas aggreſſus fuiſſet ſcribere Animadverſiones. Placidè primò erga errantes agere Eccleſia ſolet, & placidè monet agendum. Tum ſi nihil miti adhortatione

Digitized by Google

proficiſcitur, ipſa caritas ſuadet, ut aſpera arripiantur, quo tandem revocentur devii in veritatis & ſalutis viam. Erga filios in vitia deflectentes non aliter ſe gerunt amantiſſimi patres, non aliter erga ægrotos ſapientiſſimi Medici. Quis & parentibus, & Medicis *ſimulatam manſuetudinem* ea de cauſa adſcribat, quod inutiles eorum blanditias efficaciora deinde remedia ſubſequantur? Et parentis & Medici loco Eccleſia eſt erga errantes in fide. Præterea quis Auguſtinum, quis certam fecerat Eccleſiam, auſteritate ſolùm vincendos erumpentes errores, ut fingenda prius manſuetudo foret? Denique nulla fere emerſit Hæreſis, cui nōn obſtiterint pari methodo Eccleſiaſtici Præſules, nihil aliud cupientes, quàm rigore abſtinere, dummodo ſanarentur filii. Temere, ne dicam ſtulte, in his omnibus ſuſpicaretur quiſpiam & animum crudelem, & fictam lenitatem.

At inquit Phereponus, ut oſtendat non ſolùm inanem non eſſe hanc ſuſpicionem, ſed ſuum quoque ipſam tuliſſe ſuffragium: *Has artes à Sacrorum Præſidibus ſæpè adhibitas nemo neſcit, ejuſque rei inſigne exemplum videmus in damnatione Donatiſtarum.* Talem Criticum tanta confidentia non dedecet. *Nemo neſcit.* Et quibuſnam quæſo eruditis hæc ediſſerit Phereponus? Europæis non puto; Indis fortaſſe. Quotus enim quiſque eſt inter nos, qui aut audierit, aut legerit, non dicam ſæpe, ſed ſemel tantùm, ſimulatam à Catholicis Epiſcopis manſuetudinem erga Hæreticos, ut acerbitati, quam ſolam animo verſabant, major deinde excuſatio, & pervicacibus gravior invidia crearentur? Unos Donatiſtas tanquam inſigne exemplum nobis memorat Cenſor, eos nempe, quos tot veracibus amicitiæ, patientiæ, & caritatis exemplis ad unitatem Eccleſiæ reducere conati ſunt Catholici, ut ſuas ipſas Cathedras iis, etiam ſi è lite caderent, communes facere non dubitarint. Hæccine ſimulata lenitas? Nuſquam fortaſſis, quàm in Donatiſtarum Hiſtoria, evidentiora habeas Eccleſiaſticæ manſuetudinis documenta. Severiſſimis profecto legibus poſtea adverſus illos actum eſt; ſed poſtquam incredibilis pertinacia, & immanitas inſolita ad ſchiſma & ad errores acceſſere, nullumque aliud remedium ſupererat ſanandæ furioſæ gentis.

Profectò, pergit dicere Phereponus, *cum ejuſmodi initiis minimè conſentiunt viginti minimum Synodorum intra paucos annos feſtinatæ, Pelagianorum dogmatum damnationes, ut Epiſcopis ſæpius ad damnandos Pelagianos adductis, nulla iniri poſſet amplius ratio audiendarum partium tam ſæpe damnatarum. Cùm enim Synodi quempiam damnarunt, honoris eſſe ſui putant, hominem videri jure damnatum, nec patiuntur decreta ſua iterum expendi.* Neque primus fuit, neque poſtremus erit

Phe-

Phereponus, qui Catholicorum Præſulum ſolicitudinem in damnandis & ſuffocandis, ſi fieri poteſt, naſcentibus Hæreſibus, moleſte ferat, minimeque probet. Familiare hoc fuit recentiorum quoque temporum Novatoribus, immo reliquis fere ætatum omnium Hæreticis; idemque naſcituri Hæretici conquerendo ſonabunt. Commodiſſimum ſane effugium, & præſidium errori, ſi liber ipſi aditus per medios populos per gentem ignaram diutius permittatur. Et certe hic quoque patronus Hæreticis quibuſcumque deerat, quo auctore ipſorum deliriis tum ſolùm frena offerrentur, cùm longe lateque diffuſa, pluriumque animis recepta, non amplius frenum pati didiciſſent. Oculos aperiat tandem Phereponus, & Catholicorum perſonam parumper induat. Nullus dubito, quin & ipſe tunc nobiſcum ſentiat, adverſus naſcentes Hæreſes armandam & muniendam protinus eſſe plebem Chriſti. Hoc ipſum ſtatuere veram Eccleſiæ doctrinam, hoc ipſum oppoſitam falſi damnare, ac damnatam prodere, arma ſunt, quæ populo ſano per vigilantes Paſtores miniſtranda novimus. Principiis obſtandum eſt, ne ſero medicina paretur. Si contrà Eccleſiaſtici Præſules agerent, ſi ſecus enaſcenti morbo ſeſe opponerent, miniſterium ſuum, ſalutemque gregis fœdiſſime proderent.

Inquiat vero Phereponus: At qui putantur errores, fortaſſe non ſint: neque præcipitanda ſententia, quam revocare nequeas; & rationibus potius, quàm edictis vincendi ſunt contra ſentientes. Quid porro aliud Phereponus dicat, quàm quod ſinguli Novatores dicere hucuſque potuerunt, & dicere potuerunt deinceps? Ergo nullius erroribus, ſi audienda Phereponi conſilia præcludendum eſt iter damnatione opportuna, & res in medio relinquendæ, dum controverſiâ mature, hoc eſt poſt multos annos, expensâ appareat, quo in loco ſit veritas. Ita nimirum fiet, ut Hæreſes commodiſſime ſerpant, & aut nunquam, aut fruſtra deinde anathemate percellantur. Ignorare nequit Phereponus ipſe, quanta ſit hominum in hiſce caſibus pertinacia, quantumque poſſit anticipata opinio. Perquam rariſſime ſolis rationibus profligantur Hæretici. Atque utinam iſtius infelicitatis innumera exempla non proſtarent adhuc. Quamobrem contra errores pullulantes exercenda confeſtim non cruenta Synodorum arma, nihilque cunctandum. Quæ via cùm expedita & utilis ſit; præterea quoque fallere nos nequit. Nàm in Catholica Eccleſia qui ſint errores, facile apparere poteſt, ſi videlicet nova doctrina ingeratur, cui obſtet antiqua Eccleſiarum Traditio. Id autem in Pelagianorum cauſa plane accidit, nam ut daremus, aliqua in ea

con-

controverſia fuiſſe; quæ nondum ſatis liquerent [ſunt enim & adhuc nonnulla, quæ ad fidem pertinere inter Catholicos non creduntur, quanquam ſanctus Auguſtinus eas ſententias foverit:] attamen quæ præcipua erant in Pelagianis dogmatis, à Traditione aperta, & conſenſu Eccleſiarum abhorrere deprehenſa illico fuerunt, ita ut nulla pars Catholici orbis hæſitaverit in Pelagio ſtatim, ejuſque ſectatoribus damnandis. Quæ omnia eo quoque faciunt, ut Phereponum oſtendant male calculos ineuntem, dum ait, *cum ejuſmodi initiis*, ideſt cum priori manſuetudine, *minime conſenſiſſe feſtinatam dogmatum Pelagianorum damnationem.* Nimiam pernicioſam ac damnabilem lenitatem exigit hic homo, ne ferens quidem opinionibus perverſis Hæreticorum theta nigrum ſolicite præfigi, nullâ interim in eorum perſonas caſtigatione adhibita. Iterum dico: nihil differenda eſt damnatio Errorum ſerpentium ut cancer. Hoc poſcit Chriſtiani gregis cura, hoc ſemper in more fuit vel apud ipſos Hæreticos, ubi in eorum ſinu cœpit aliquis nova dogmata promulgare. Dudum verò palam factum eſt, Eccleſiam decipi hic non poſſe. Sat placidi fuere, ſat officio ſuo ſunt functi Paſtores, qui errantem Pelagium toties monuere, & auctoritate Scripturarum æque ac Traditionis compreſſum ad diverticula confugere coëgerunt, & tàmdiu ſuſtinuere, ut errori valediceret ſi vellet.

Ad alia tranſeamus. Parum Pherepono fuit, calumnioſis ſuſpicionibus Auguſtini famam impetere; conviciis quoque ac dicteriis in eum ſæpe ac ſæpius invehitur. Ipſum modò ait *in declamando probabilia ſequi, non explorata, ſolitum fuiſſe* eique *Academicum ingenium ſibi non ſatis conſtans* tribuit; modò ejus rationes ita contemnit, ut inquiat: *Profectò non ſophiſta tantùm, ſed propemodum ineptus haberetur, qui talia hodie ſcriberet.* Alibi addit: *Mirum eſt, quam Auguſtinus calluerit artem pauca & perſpicua dogmata Philoſophica aut Theologica multis verbis & obſcuris dicendi, atque impediendi.* Ad hæc *proletarium Interpretem* appellat *& Rhetorem Numidam, & Rhetorem Semiplatonicum, Criticæ plane imperitum, & irridendi cauſa, Oraculum Numidiæ & Philoſophum Pœnum, & Ariſtotelem*, quanquam alibi. *Carneadem Pœnum, & Carneadem noſtrum* potius vocandum affirmet. Ridet Auguſtini Quæſtiones in Evangelia, & ait: *Unde intelligere licet, finem Auguſtini in hiſce Libris non fuiſſe inquiſitionem veri ſenſus, ſed commentitiarum allegoriarum, ad quas inviti Evangeliſtæ torquerentur*, quam cenſuram acutis hiſce ſalibus concludit: *O cerebri felices, qui in tam levibus argutiis acquieſcebant!* En alteram alibi exclamationem non minus gravem: *O felices homines, qui tantam eruditionis famam tam facilè ſibi pepererunt!*

Sed

Sed O ſtipites, qui talibus olim plaudebant, aut etiamnum ſeriò favent! Accipe & aliam: *O vacuam ſtudioſis Scripturæ Africam! O ſtupidos, quibus hæc admirationi erant, & qui tam verboſas diſputationes, ut nihil diſcerent, legere ſuſtinebant!* Alio loco nos monet, *argutandi immodicam & intempeſtivam cupiditatem, & Africanam* & περιοντολογίαν *obſtitiſſe, ne Auguſtinus judicio ſuo uteretur.* Eadem alibi repetit his verbis: *Si quid occurreret, quod ſpecioſæ declamatiunculæ occaſionem præberet, aut præbere videretur, id verò avide arripiebat, & Punicæ eloquentiæ vela pandebat.* Plus etiam veneni intus habet, quàm in cortice appareat, id quod Cenſor idem alibi ſcribit. *Dolendum eſt*, inquit, *Auguſtinum non quod verum eſſe accurato examine compererat, ſed quod expediebat dici, &* ῥητορικωτέρως *apud imperitum vulgus poterat tractari, protuliſſe.* A prioribus non abludit, quod animadvertit idem Criticus alio in loco inquiens: *Auguſtinus adſuetus Platonicis argutiis, plura SÆPE ſcribit, quàm intelligit, conſequentiaſque paſſim admittit quaſi bonas, quæ ſi negentur, ſtatim corruunt omnes ejus ratiocinationes; neque enim ullo modo probari poſſunt.* His, & aliis bene multis, quæ congerere non eſt opus, Auguſtinum Phereponus liberaliſſime vexat, atque hoc ſale perfricat.

Memini me ante paucos annos legere Librum, cui titulus eſt *Parrhaſiana.* Ejus Auctor pag. 250. de Eruditis Viris, eorumque vitiis ſcite agit, indicans cur id hominum genus in multorum odium incurrat, & deſpicatiſſimum habeatur interdum. Gallicis ergo verbis optare ſe ille ait, *ut non modeſtiæ minus quàm eruditionis gloriam in ſuis libris quærant, ne animoſè affirment, niſi quidquid evidenter probari poteſt, ut lenitate invicem ac indulgentia ceteros homines antecellant, ne aliis armis ſe tueantur, aut alios aggrediantur, quàm rationibus, & ſine felle, ſine petulantia, ut tantum denique elegantiæ & venuſtatis ſuis in moribus prodant quantum in ſtylo præclariſſimorum Scriptorum, apparet, cui veriſimile eſt reſpondiſſe etiam vitæ rationem. Quis ejuſmodi viros non diligeret, immo non omnibus, quæ in manu ſua forent, beneficiis cumularet?* Hæc ille non graviter minus quàm verè. Cum hiſce legibus atque conſiliis, quæ non dubito quin probet ipſe Phereponus, confer nunc Phereponianas exclamationes, convicia, dicteria in ſanctum Auguſtinum effuſa. Quod cùm feceris, quam opinionem induas de homine tam impotenter ferociente in ſanctiſſimum ac ingenioſiſſimum virum, omnium ſæculorum ceterorumque hominum memoria commendatum? Addo: quodnam judicium habendum foret de *Parrhaſianorum* Scrip-

Digitized by Google

Scriptore, ſi tanta aſperitate, felle, ac ſupercilio in tam illuſtrem virum is, & nihil quidem ab ipſo læſus, ea ſcriberet, quæ nunc in eundem Phereponus & ſcribit, & publica eſſe jubet? Quid ſi idem unuſque eſſet *Parrhaſianorum* Auctor, & Auguſtini conviciator Phereponus? Equidem puto longiori ſermone hic opus non eſſe, ut appareat, quàm peſſimo exemplo Phereponus hæc fuerit auſus, quæve pœnæ homini tantâ maledicentiâ utenti apud cordatos viros debitæ ſint. Neque verò is ſum, qui velim præclariſſimos Scriptores nullius cenſurâ attingi; quive errores magnorum virorum, & ſanctorum potiſſime Patrum, diſſimulatos ſemper cupiam, aut cœca veneratione exceptos. Non is profectò ſum; Cenſoriam Artem probo; ingeniorum libertatem qua decet moderatione adhibitam laudo; adeoque me comparatum ſentio erga Verum, Bonum, & Pulchrum, ut quidquid iis adverſari mihi videatur, ne in Auguſtino quidem feram; & porro ſi res poſceret, ne diſſimularem quidem. At ipſi eruditorum Cenſuræ ſunt ſuæ leges, eſt ſuus modus. Nunquam in Cenſura contumeliis aperiendæ fores; rabies, acerbitas, ac turbulentæ animorum perturbationes, & calumniæ potiſſimum, eliminandæ; modeſtia, æquitas, caritas quàm fieri poteſt accuratiſſime, & perpetuò ante oculos habendæ. Sed tum præcipuè urgent hæ leges, cùm Cenſura exercenda eſt in viros illuſtres, pietate ſpectabiles, ingenio admirandos, pluriumque ſeculorum conſenſu commendatos, & præſertim ſi bona fide in errorem prolapſi deprehendantur. Si ſecus fiat, non eos quidem riſu dignos efficiemus, ſed nos omnium execrationi exponemus. Quid enim aliud promereatur tanta Cenſoris ambitio, audacia, atque inverecundia? Cur autem has pœnas referre non debeat in Auguſtino tam acriter inſectando Phereponus, ego ſane non video.

Hic tamen familiaris eſt Phereponi ſtylus. Immo ut Auguſtinus habeat, unde ſe conſoletur, reliquos ſanctos Patres eidem Phereponus adjungit, omneſque uno colore denigrat, una voce exſibilat. Pag 491. Animadv. in Epiſt. 71. aliàs 10. Auguſtini inquit, eos *voluiſſe videri egregios Interpretes Scripturarum, quas non intelligebant, cum ex ſola verſione ſæpe obſcura & vitioſa penderent.* In Notis ad Ep. 175. olim 90. pag. 519. Africanos Patres declamatoribus infimis accenſet, eoſque tanquam Criticæ prorſus imperitos irridet, quod etiam de Patribus Græcis ſcribit pag. 599. *Cùm conſtet* [ſunt ejus verba] *propemodum omnes imperitos Criticæ ſacræ, & infelices Scripturæ Interpretes fuiſſe; quidquid dictitent, qui nec eos, nec Scripturam ſat ſtudioſè legerunt.* Tum addit in Notis ad Epiſt. 117. de

ſan-

ſanctis Patribus : *Qui tam negligenter lugebant Scripturam, & tam oſcitanter laudabant , eos nobis quaſi egregiorum Interpretum exemplaria proponi quis ferat ?* Ad hæc illos paſſim arguit,quòd anathematum potius terrore, miniſque edictorum, quàm rationibus & ſcientia plebem regerent, inſtruerent , atque in officio continerent. Suſpicatur etiam pag. 590. in Notis ad Cap. 23. Lib. 18. de Civ. Dei , multos Patrum olfeciſſe quidem ſuppoſitionem Sybillinorum Carminum , *ſed quia rudis plebecula tam levibus capiebatur rationibus, quàm gravibus , eos arripuiſſe hoc argumentum ut alia multa, quia conducebat cauſæ, non quia verum iis videbatur.* Deinde in Notis ad Cap. 43. Libri ejuſdem , quod Auguſtinus , aliique eorum temporum Epiſcopi non paterentur Hieronymianam Bibliorum interpretationem anteferri verſioni τῶν LXX. dolet is , *tot ac tanta apud Veteres inveniri ſpecimina non fidei circumſpectæ, & firmis rationibus nixæ, ſed credulitatis inconſultæ, & omnia temere arripientis; niſi quis politicam calliditatem , ut tunc loquimur , malit hæc haberi.* Qua ex re infert, *præter Chriſtum & Apoſtolos, non eſſe quærendos magiſtros, in quorum auctoritate adquieſcamus.* Quæ cùm audis , audire etiam tibi videris Joannem Clericum paria in Quæſtionibus Hieronymianis declamantem. Sacris quoque Conciliis pag. 605. Animadv. auctoritatem omnem Phereponus adimit, atque ignorantiam, factioſos affectus, & ad errandum facilitatem dictatorio more tribuit ; immo quid non tribuit ? Alia omitto , multa uno verbo concluſurus Sordent Pherepono omnes ſancti Patres ; infantes ſunt præ recentioribus ; nemo inter illos tolerabilis Scripturæ Interpres ; & ne ipſe quidem Hieronymus hic multum eminet ; mille denique vitiis & infirmitatibus abundant , ut ſtulti ſint, qui eorum auctoritati adquieſcant, eorumque ſcientiam ſuſpiciant ac ament. Ita ſe ille aquilam, ceteros fere omnes reputat noctuas.

CAPUT

CAPUT XVI.

In ſanctorum Patrum libris diſtinguenda Scientia Dog[...] tum, Legumque Moralium, *ac* Pietatis, *à* Pa[...] gis, *hoc eſt, à rebus ad Artes profanas ſpectantibus.* [...] *his nihil intereſt, an interdum defecerint, imperit[...] deprehendantur. At in illa præcipua Scientia exi[...] fuere, ideoque veneratione ac laude digni. Allego[...] ſacrarum litterarum Interpretationes non vitupera[...] apud ſanctos Patres, & quando utiles illæ, aut inu[...] ſint. Phereponi artes, ut Auguſtinum deprimat. Lu[...] à Cœlo rogandum, ut veritas capiatur, errores eviten[...] Hebraicæ Linguæ peritia an & ubi neceſſaria Theolo[...] cultoribus. Druſii & Grotii exempla Catholicæ Religi[...] veritatem confirmant.*

SEd quando iſtam camerinam movere aggreſſi ſumus, j[...] etiam addere, quæ in Auguſtinum hac potiſſimum de ca[...] Phereponus effudit. Pag. 479 miram confuſionem in Li[...] *de Ordine* invenit, oratque Lectorem, *ut conetur ex iis, quæ* [...] *2. Cap. IV. habentur apud Auguſtinum, conflare diſputatio[...] perſpicuam, & via ac ratione diſpoſitam, quod ſi præſtet, eri[...] magnus Apollo.* In Animadv. ad Quæſt. in Heptateuch[...] pag. 530. dicam eidem grandem impingit, quòd ſibi verſi[...] Aquilæ, Symmachi, aliorumque ſatis notas, non comparave[...] quòd tot Quæſtiones in ſacram Scripturam propoſuerit; tot[...] iam Libros conſcripſerit, neceſſariis deſtitutus ſubſidiis. *Cr[...]* inquit, *excitatum fuiſſe adulationibus, aut ſtultâ admirati[...] Afrorum ſucrum ut non deſineret dictare, dum illa dictata ſua [...] avide excipi videbat. Sic homines putant ſe magnos ac erudi[...] non quia ſunt, ſed quia ab aliis putantur, ſumuntque inde au[...] ciam, quæ perſæpe male eis cedit.* Æque acerba legas in n[...] ad Enchiridion pag. 559. & pag. 586. & alibi ad nauſeam uſ[...] Hæc autem in unum compellere locum placuit, ut homini n[...] moderatione ſcribenti, ſimulque cenſuræ illius petulantiſſi[...] uno reſponſo obviam eamus, pacato tamen, ſi fieri id pote[...] animo; non quod nobis ſpes ſit vertendi ad meliora Pherepon[...] quem nimium æſtimatione ſui, aliorumque contemptu occu[...]

t[...]

rum video, ſed ut habeant minus periti è noſtris, quo vel apud ſe vel apud alios tueri valeant contra hujuſmodi cœcos impetus veritatem, & Auguſtinum non minus, quàm Eccleſiam Catholicam.

Multa ſunt, quæ in Libris ſancti Auguſtini cæterorumque Patrum exquiri poſſunt, Grammatica videlicet, Rhetorica, Didactica, Logica, Phyſica, Eruditio, Linguarum peritia, Critica, Chronologia, & aliæ id genus Diſciplinæ, quæ nunc excoluntur magna animi contentione à literatis hominibus. In his omnibus non negamus, immo ſinceriſſime fatemur, reperiri poſſe, & revera offendi multos nonnunquam Patrum defectus, & ſi etiam velis, poſtremam quandoque imperitiam. Accurata Critices ſcientia in pleriſque deſideratur; ſeveram Eloquentiam in nonnullis fruſtra quæras; ſi Origenem, Hieronymum, & Epiphanium excipias, vix alium inter ipſos habebis Hebraicæ Linguæ gnarum. Declamant interdum; alibi parum rectè ratiocinantur; Apocryphis quandoque utuntur, aliaque peccant, quæ temporibus iſtis, ac in tanto lumine Scientiarum & Artium, in homine Philologo aut non feras, aut ſaltem non laudes. Sed præter has Artes ac Scientias alia eſt Scientia in Libris ſanctorum Patrum conſideranda, nempe Divinorum Dogmatum, Legumque moralium cognitio, atque traditio, per quam aut exponuntur, aut confirmantur, aut ſuadentur, quæ Deus per Scripturas ſacras, & voce Unigeniti ſui credenda atque agenda mandavit Eccleſiæ ſuæ, ſuiſque fidelibus. In hac autem Scientia nos dicimus excelluiſſe, atque excellere illos, qui nomine ſanctorum Patrum, ab Eccleſia tamen, non à vulgo, donati ſunt. Intercedit quippe non exiguum diſcrimen inter eoſdem, cùm vulgò ſancti Patres appellentur, quicumque Chriſtiani Scriptores doctrina, vel antiquitate conſpicui fuerunt, ut Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Lactantius, Euſebius; nos verò eos hic tantùm intelligamus, quos Eccleſia ipſa probavit, atque ſinceros, ac eruditos ſuæ, ſeu potius Apoſtolicæ, & Chriſtianæ Doctrinæ teſtes, magiſtros, & judices eſſe declarat, quales ſine controverſia ſunt Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Gregorius, aliique ſimiles ſanctiſſimi æquè & doctiſſimi viri.

Monitos autem Lectores volo, tum in Scripturis ſacris, tum in Libris Patrum, diſtinguendam eſſe materiam præcipuam & propriam, quæ ἔργον dicitur, ab aliis rebus, quæ illic habentur præter præcipuum argumentum, & πάρεργα dicuntur. Proprium eorum Librorum argumentum eſt cœleſtis illa Scientia,

per quam conſtat hominibus divina Revelatio , legeſque omn
& conſilia tum credendi , tum operandi produntur. *Parerg*
ſunt, quod eſt ad Scripturam ſacram , & ad ipſos Patres, alia om
nia , ex quibus hæc hominum erga Deum officia minimè pe
dent, cujuſmodi ſunt Scientia temporum , locorum , numer
rum, Aſtronomiæ, Linguarum, Critices, Phyſices, aliarumque A
tium. Nihil ergo aut parum refert Chriſtianæ rei, quod in *Pa*
ergis interdum, & ſæpe etiam, deficiant Patres, dum in præcipu
negotio procedat certiſſimo greſſu illorum chorus. Dic erg
ipſos Declamatores ; id temerè plerumque dices ; attamen
nam te dicere, nobis ſanctos Patres non eſſe perfectioris Eloque
tiæ Magiſtros. Dic ignaros Criticæ , dic Phyſicæ imperitos
parum in Logicæ uſu accuratos, in Aſtronomiæ, Eruditionis,
Geographiæ ſcientia hoſpites, dic plura ejuſmodi. Non mo
mur. *Parerga* ſunt iſthæc in Patrum Libris, neque hinc acce
laus ipſis, neque ob eam cauſam tanti æſtimantur , & comme
dantur in Eccleſia Evangelica doctrina fideliter ac religiosè
ipſis tradita , per quam ducimur tum ad ſanam fidem , tum
perfectam morum diſciplinam, ea eſt, quam apud ſanctos Pat
plurimi facimus. Linguarum, aliarumque Artium ſtudio pr
ſtarunt utique duo proximè præterita ſecula , ut collati cu
recentioribus Scriptoribus veteres Patres , infantes in ea eru
tione [ſi duos excipias] nonnunquam deprehendantur. Ver
nemo ſuperavit , pauci etiam æquare poſſunt beatos illos vi
in præcipuæ Eruditionis Chriſtianæ Scientia , hoc eſt, in divin
rum Dogmatum & Legum peritia. Ad hanc enim aptio
ipſi fuêre, & in eamdem incubuêre diligentius , tum quòd p
piores eſſent Apoſtolis ; & longius latiuſque diffuſam Tra
tionem colligere ipſis tunc facile foret, tum etiam quod iis
nimi virtutibus abundarent , & cœleſtibus donis illuſtrare
tur , quæ ad rectam Chriſtianæ Doctrinæ conſervationem atq
intelligentiam in primis exiguntur. Perſpicacia profectò i
genii , & Criticum judicium , & Linguarum cognitio, ali
que Artes, non parum conducunt, & interdum etiam neceſſar
ſunt ad explicanda, ac intelligenda Scripturarum , divinæq
Fidei *Parerga*. At ad cœleſtem illam Scientiam , circa qua
Scriptura ſacra , ſicut circa materiam propriam, verſatur,
quam Chriſtus Apoſtolis , & per Apoſtolos Eccleſiæ ſuæ tra
dit, plus conducit, magiſque neceſſaria eſt ingenii utique n
vulgaris aſſidua meditatio , animus pravis cupiditatibus &
pinionibus liber, ſincerus Dei amor, pietas, humilitas , ali
que virtutes , quas ſanctis Patribus non defuiſſe Hiſtoria n
docet.

Quod ſi in pleriſque Patrum deſiderata eſt Hebraicæ Ling
p

peritia, quam nempe omnium maximè neceſſariam nonnulli clamitant ad intelligendos Codices ſacros: Primò reſpondemus, Evangelicam Doctrinam Græcè propoſitam fuiſſe ab Apoſtolis ac Diſcipulis Chriſti, adeoque Græcam Linguam ſatis fuiſſe, ut divina dogmata, ſacratæque Chriſti ac Apoſtolorum Leges rectè à Patribus perciperentur, ac traderentur. Secundò, quod eſt ad vetus Teſtamentum, vulgata verſio τῶν LXX. ab Apoſtolis ipſis uſurpata, & Vulgata Latinorum, ſatis atque abundè exhibebant omnia Scripturæ loca, quæ alicujus momenti ſint ſive ad imbuendos Fideles totâ Scripturarum Doctrinâ ac Hiſtoriâ, ſive ad Judæos, Hæreticuſque refellendos. Quæ illic indigere videntur eâ Linguarum, & Critices Scientiâ, quam tantoperè quidam efferunt, *Parerga* ſunt, hoc eſt ad Eccleſiæ ædificationem minimè neceſſaria. Et ſi qua ſuperſunt ad Doctrinam ſpectantia, neque ſatis perſpicuè in Græcum Latinumve ſermonem converſa, hæc ipſa ex multis aliis locis, quæ in vulgaribus Verſionibus aperta ſunt, illuſtrata, obſcuritatem omnem jam poſuère, & ſaltem de fide verſionis nulla in iis locis controverſia fuit; aut ſi fuit, ad peritos linguarum res deferebatur. Quamobrem conſtanter affirmare licet, nullum vel de Deo, diviniſque legibus, & decretis, vel de Chriſto, ejuſque adventu, operibus, ac documentis è ſacra Scriptura dictum produci poſſe, ad quod intelligendum, explicandum, & propugnandum non pervenerint ſancti Patres, & ſatis non ſit, ac perpetuo ſatis non fuerit ad ejus intelligentiam Græci aut latini textus vulgati fides.

Tertiò, experientiâ ipsâ conſtat, Judæos, Ethnicos, atque Hæreticos validiſſimè confutatos, & victos, & ad fidem Chriſti converſos eâ dumtaxat Methodo ac Scientia, quæ in Patrum libris apparet, quæque nunc ſordet ingeniis non tam Criticis, quàm ambitioſis. Eâ quoque Methodo, eâ Scientiâ uſi ſunt Apoſtoli ipſi, atque Apoſtolorum diſcipuli. Nihil autem, quod ſit momenti alicujus, proferri poteſt ex Hebraicæ Linguæ, Criticeſque peritia, quo non ſint uſi Patres Græcè Latineque ſolùm eruditi ad Chriſtianæ Doctrinæ amplificationem, atque tutelam. Nam quæcumque à recentioribus tanto cum faſtu & diſcutiuntur, & illuſtrantur in Scripturis, feliciùs profectò, quàm præſtitum olim fuerit, ea propemodum omnia nihil aliud quàm *Parerga* Scripturarum ſunt, nihilque magni momenti per illa adjungitur ad illuſtrationem Doctrinæ, ac Religionis Chriſtianæ. Utilia ſunt, laudanda ſunt, non nego; at nunquam ejus neceſſitatis, quam ſibi nonnulli ſomniant. Eamque ob cauſam Apoſtoli nunquam aut præcepto aut conſilio commendarunt tanquam neceſſariam Chriſtianis Hebraicæ Linguæ

Digitized by Google

peritiam, & qui eos viventes auſcultarunt , iſtius aut præcepti aut conſilii nunquam meminère. Immo fuère inter ipſos Chriſti diſcipulos, quos non novimus in eo idiomate excultos, cùm & pateat ipſos Græcâ verſione τῶν LXX. ferè ſemper uſos , & primos Epiſcopos ac Patres Eccleſiæ in ſolâ Græcâ Lingua fuiſſe verſatos. Aliud ergo eſt, in veteri Teſtamento vim alicujus dictionis, Chronologiam, Genealogias, pondera, menſuras, Chorographiam, idiotiſmos, eruditionem hiſtoricam, aliaque id genus difficilia explicare diligenter , ad quod Judaicæ Linguæ cognitio neceſſaria eſt , ibique ſancti Patres apertè vincuntur à recentioribus; aliud verò eſt ad ædificationem fidelium ex iiſdem ſacris Codicibus Dogmata Fidei ac morum elicere , eaque ſecundùm Chriſti mentem exponere; hic enim præcellere, aut ſaltam maximi faciendam eſſe Patrum Scientiam nos affirmamus , eamque ſolis vulgatis verſionibus , & meditatione , & Traditionis collatione, aliiſque ingenii ac animi virtutibus comparari potuiſſe.

Quartò, iraſcuntur quidem ac rident neoterici non pauci , ſed immeritò, quòd Allegoriis nimium indulgeant ſancti Patres, dimiſſo literali ſenſu, qui procul dubio & præſtat allegorico , & rem verè conficit in inveſtigatione ac tutela veritatis contra inimicos Chriſtiani aut Catholici nominis, Non eſt , quod hic nos oſtendamus, myſticè multa eſſe dicta in divinis Scripturis, ſanamque eſſe , atque ab ipſis Apoſtolis exemplo comprobatam methodum interpretandæ quoque atque exponendæ per Allegorias & Tropologias ſacræ Scripturæ. Id eſſet actum agere. Ibi ſolùm laude carere poteſt , aut etiam culpari , immodicus atque inopportunus myſticorum ſenſuum uſus, & ad eos lepidè violenterve contorquere ſacras Hiſtorias. Quod cùm contingit , is & ego ſum, qui indignatione commoveor, & moleſtè fero inutilem planè laborem illum. Et quanquam reliquæ etiam Allegoriæ , vel probè deductæ, neque in Libris , neque in Concionibus ſacris me multum afficiant, eò tamen confidentiæ nunquam veniendum eſſe ſentio, ut cum Pherepono pag. 477. Animadv. dicamus: *Allegorica figmenta qui probet, neminem eruditum nunc inventum iri puto.* Suus quippe & Allegoriarum eſt bonus uſus apud populum, quem hujuſmodi quoque argumentis ad officia pietatis, & ad reverentiam Myſteriorum impelli cernimus. Patres autem, cæterique veteres Epiſcopi, quibus familiare ac neceſſarium tunc erat plebi ſuæ explicare divina eloquia , allegoricos quoque ſenſus interdum adhibendos eſſe arbitrati ſunt, quòd illos etiam ad utilitatem populorum facere intelligerent. Allegoriis autem ſunt uſi iis in locis, in quibus & Critica ſubtilitas, & literalis ſenſus nihil per ſe ad informationem pietatis conferre videbantur , uti in

Hi-

Hiſtoricis rebus non rarò accidit; idque eò maximè placuit, quod tricæ Criticorum locum dumtaxat habent inter eruditos, aut inter homines in Religione diſcordes. Apoſtolus verò non uno in loco agnovit, totam Scripturam ad inſtitutionem ac ædificationem noſtram tendere. Rom. XVI. 4. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.* Rurſus 2. Tim. III. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* At multa in Scripturis habentur, quæ niſi myſticè & allegoricè exponas, ad eruditionem juſtitiæ ſolo ſenſu literali difficilè inſervire poſſint. Vide Auguſtinum in Libris de Doctr. Chriſt.

Quod ergo hic præ omnibus animadvertendum cenſeo, illud eſt; hiſce myſticis atque allegoricis Interpretationibus tum ſolum indulſiſſe Auguſtinum, & reliquos propemodum Patres, cùm ad populum verba faciebant, aut ſuas elucubrationes in inſtitutionem & ædificationem plebis emittebant. Cùm res erat adverſus Hæreticos, Ethnicos, atque Judæos, tum maxima, immo unica cura iis de literali ſenſu fuit, cujus vim atque neceſſitatem tunc omnes intelligebant. Si Allegoriis tantùm productis Dogmata ſtatuere, ac tueri ſe poſſe crediddiſſent Patres, non immeritò nunc aſperè exciperentur à Cenſore Pherepono. At literalis ſenſus arma tunc miniſtravit. Si quando allegoricus in ea diſſidia irrepſit, uti ornamentum acceſſit, non autem ut argumentum veritatis; & tum ſolùm acceſſit, cùm aliunde confirmata valide ac evidenter fuerant Eccleſiæ Dogmata, aut cùm literalis ſenſus aliquid ſonaret à dignitate Numinis, atque à conſtante Fidei Doctrina diſſonum. Alium teſtem hic nolo, quàm Auguſtinum ipſum in tot diſputationibus ſuſceptis contra Arianos, Donatiſtas, Manichæos, Pelagianos. Immo eundem audi in Epiſtola 48. nunc 93. ad Vincentium, Cap. 8. *Quis non impudentiſſimè*, ait, *nitatur aliquid in Allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura?* Ad hæc in Lib. de Gen. contra Manich. Lib. 2. Cap. 2. literalem ſenſum, dum fieri poteſt, retinendum, & præferendum docet, in hæc verba ſcribens: *Sanè quiſquis voluerit omnia, quæ dicta ſunt, ſecundum literam accipere, ideſt non aliter intelligere, quàm litera ſonat, & potuerit evitare blaſphemias, & omnia congruentia Fidei Catholicæ prædicare; non ſolùm ei non eſt invidendum, ſed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus eſt.* Lege & reliqua. Sed luculentiùs, quæ ſua mens hic fuerit, Auguſtinus prodit Lib. 17. Cap. 3. de Civ. Dei. *Mihi*, ait, *ſicut*

ſicut multum videntur errare, qui nullas res geſtas in eo genere literarum aliquid aliud præter id, quod eo modo geſtæ ſunt, ſignificare arbitrantur, ita multum audere, qui prorſus ibi omnia ſignificationibus allegoricis involuta eſſe contendunt, &c. Infrà addit: *Hoc enim exiſtimo, non tamen culpans eos, qui potuerint illic de quacumque re geſta ſenſum intelligentiæ ſpiritalis exſculpere, ſervatâ primitus dumtaxat Hiſtoriæ veritate. Ceterum quæ ita dicuntur, ut rebus humanitùs, ſeu divinitùs geſtis, ſive gerendis, convenire non poſſint: quis fidelis dubitet, non eſſe inaniter dicta?* Atque ita Auguſtinus ſentiebat.

Quæ profectò unicuique perſuadere jam debent, nimium exceſſiſſe Phereponum, dum propter Allegorias & Linguarum inopiam, toties tantoque cum faſtu inſultat Auguſtino. Eum vero potiſſimum audias, pag. 476. Animadv. perpendentem hæc Auguſtini verba Confeſſ. Lib. 11. Cap. 2. *O Domine perfice me, & revela mihi*, ſcilicet Scripturarum ſecreta atque obſcura. Orationem hanc quidem religioſam, & dignam Epiſcopo agnoſcit Phereponus, ſed cum ea conjungendum fuiſſe ait ſtudium Linguarum, quibus conſcripta erat Scriptura, & comparanda cetera præſidia, quibus demum adhibitis, Scriptura intelligi poteſt. Sec *cùm ea Auguſtinus neglexerit, illa dumtaxat in Scriptura intellexit, quæ potuit homo linguarum & Criticæ imperitus intelligere. In ceteris* ἀεροβατεῖ, *& Platoniſmum nobis pro Doctrina Apoſtolorum propinat, aut argutias inanes magnâ verborun pompâ nobis obtrudit.* Quam verborum acrimoniam ut aliquc pacto emolliat, ſubdit: *Quæ non eo dico, quod eloquentiam, & a cumen in rebus præſertim Metaphyſicis, Auguſtino detraham aut quòd meritas laudes minus libenter tribuam; ſed quia vide multos ejus auctoritate abuti, & eos præ illo contemnere, quibu nulla ratione conferri poteſt.* En ergo bona tandem verba im petravimus à Cenſore, modeſto in ſpeciem, ſed fortaſſis acerbitat nulli ſecundo. Quæ enim contemptus ſigna atque dicteria con geſſerit in Auguſtinum, ſpecimina ſuperiùs adducta ſatis nos do cent. Sed quota quæſo eſt laus iſta, quæ Pherepono ſibi d ſua maledicentia timenti extorta eſſe, aut tandem excidiſſe v detur? Aliquid eſt, eloquentiam & acumen in Auguſtino ag noſcere, poſtquam ejus eloquentiam & acumen toties irriſiſt Aliquid eſt, eum laudibus dignum fateri, quem ubicumque poſſi vituperandum tibi ſtatuiſti. Sed (uti nemo cordatus non fatea tur] Cenſoris honeſti atque germani erat, non minori cu atque ſinceritate has ediſſerere laudes, quæ verè Auguſtin conveniant, quàm maculas in ipſo, ut ſibi videtur, detegere

& grar

& grandi etiam ore incuſare. Ita factum fuiſſet, ut non odio viri ſanctiſſimi, ſed amore veritatis videri multis poſſet contra eumdem militare Phereponus. Saltem in ejus Cenſura æquitatem, ac modeſtiam tam ſæpe deſiderare non cogeremur. Omnium autem Eruditorum conſeſſum hic appello, & peto, an non eæ ſint virtutes tum intellectuales, tum morales in Libris Auguſtini, ut Auctorem exhibeant omnium amore ac veneratione digniſſimum? Erraverit quidem; nonnulla ignoraverit; magnis quoque viris ea calamitas familiaris deprehenditur. In aliis excuſemus, quod nobis condonantum vellemus. Et quanquam nefas minimè ſit, immo potius ſit commendandum, magnorum etiam virorum errores ac defectus diligenter inveſtigare, & interdum etiam prodere in communem utilitatem; ferendi tamen ii non ſunt, qui nulla reverentia, multoque ſupercilio, ac ira id præſtant, & propter nævos quoſdam non excuſatione indignos tam effuſe debacchantur, ut quantum ad ipſos pertinet, reliqua ingentia merita, illuſtreſque dotes denigrare ac penitus tollere velle videantur. Neque vero quod alii nimiis laudibus extulerint Auguſtinum, ejuſque auctoritate abutantur, tibi in oppoſitum exceſſum proruendum eſt, ut vitio tuo illos ſui vitii commoneas. Utrinque peccatur. Sed Auguſtinum præ reliquis tot virtutes commendant, tot merita illuſtrant, ut qui in tantis laudandi cauſis, ejus vituperationem unice perſequi amet, jam malevolentiæ inſignis, & iniquæ cenſuræ pœnas evadere apud æquitatis amantes non poſſit.

Repete nunc laudes à Pherepono ſuperiùs tributas Hipponenſi Epiſcopo; leviſſimas ſane, ac nullas, dum Auguſtino eripias veræ Theologiæ ſcientiam, Scripturarum ſacrarum intelligentiam, eidemque contra objicias tanquam familiares aëreas pugnas, & Platonicæ doctrinæ abuſum, quam nempe pro Evangelicis dogmatis obtrudebat credulæ plebi. Nam quid atrocius de Auguſtino proferre poſſis, quando eidem violatæ Religionis Chriſtianæ notam inuris, & ignorantiam omnium deterrimam? Poſt tantum dedecus nihil fere laudandum ſupereſt in Auguſtino. Proinde nemo non videat, meras hæc eſſe calumnias, cùm conſtet, Auguſtinum neque tam turpiter offendiſſe, neque caruiſſe ſcientia & præſidiis neceſſariis ad rectam interpretationem Chriſtianæ Doctrinæ, ſacrarumque Literarum. In Parergis exponendis negare nolim, quin quandoque Auguſtinus fruſtra ſudaverit ingenio ſuo, eaque protulerit, quæ Criticis atque Eruditis noſtrorum temporum parum, neque injuriâ, arrideant. At in notionibus veræ virtutis, in explicatione Evangelicæ veritatis, atque in tradenda illa ſcientia,

quam præcipuam diximus eſſe divinarum Scripturarum materiam, in iiſque locis exponendis, quibus iſta nititur, & confirmatur, aut contrarii errores damnantur: non falsò minus, quàm imprudenter aberraſſe dicitur Auguſtinus. Locum unum proferat Phereponus, quo apertum fiat, tradidiſſe Auguſtinum contraria Apoſtolicæ Fidei. Sed ille puto nihil aliud adferet, quàm quæ ab Arianis, Socinianis, Remonſtrantibus, Calvinianis, aliiſque ejus gregis hominibus perperam non tam in Auguſtino improbantur, quàm in Eccleſia Catholica. At virum, non alia quàm iſta Auguſtino objicientem, meminiſſe decebat, jam millies à Catholicis protritas fuiſſe hujuſmodi accuſationes, & quamvis ſe victos non dent Hæretici, non id noſtro, ſed Hæreticorum vitio ac pertinaciâ fieri. Noſtrûm certe omnium ea de re judicium ita habet.

Atque hoc potiſſimum fuit, quod in laudatis ſuprà Confeſſionum verbis expoſcebat à Deo vir ſanctus & humilis, ne à Fidei ac Morum Doctrina cœleſti aberraret unquam, dum eam in ſacris Literis abditam ſcrutaretur. Nam ut ut in Parergis pertractandis te eruditio deficiat, atque hallucineris [quod maximis etiam viris, iiſque ad miraculum Criticis, ſæpe accidit, & porro accidet] neque Religio ipſa tum læditur, neque perit hominis errantis fides. Tum ſolùm errare peſſimum eſt, cùm Fidei Morumque Doctrinam aliqua ex parte errando labefactas. Et quanquam nos quoque fateamur, validiùs atque efficaciùs per ea præſidia defendi, ſuaderi, confirmarique poſſe Religionem & Eccleſiam veram Chriſti; quanquam etiam non negemus, ad multa Scripturarum loca neceſſariam utilemque eſſe Linguæ Hebrææ peritiam, attamen addimus non eſſe illam Catholico Interpreti aut homini Chriſtiano abſolutè neceſſariam, poſitis fidis verſionibus, in ea parte, quæ ſpectat ad propriam ſacrorum Codicum intentionem ſive materiam. Denique animadvertendum, hanc ipſam aciem ingenii, & Criticam Artem, & reliqua præſidia, & præſtantiorem methodum, neque ad Interpretationem faciendam numeris omnibus abſolutam, neque ad germanam Chriſti Doctrinam intelligendam prodeſſe, niſi è Cœlo virtus interpretandi, atque intelligendi deſcendat. Certè Hebræorum Linguam callebat Regius Propheta, & tamen is in Pſalmo 118. Deum rogat, ut ad rem tantam ſibi ſit præſto. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Et ibidem: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua.* Et rurſus: *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.* Hinc ſanctus Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum: *Si tantus,* inquit, *Propheta tenebras ignorantiæ confitetur: qua nos putas parvulos & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari?* Qua ex

re

re intelligat quiſque Theologus precandi Dei, atque animi à vitiis purgandi neceſſitatem, quo intellectus ad aſſequendam mentem ac voluntatem Dei, ſuam legem proponentis, expeditus, aptuſque fiat. Faciliùs verò, contingit, ut humiles corde, licèt ſemidocti, quàm ſummè docti, ſed ambitione turgentes, praviſque cupiditatibus addicti, penetrent in ſacrarium cœleſtis revelationis. Audi Magiſtrum ipſum noſtrum ita ad Phariſæos Legiſque peritos loquentem Luc. XI. 52. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ ipſi non introiſtis.*

Accedat demum experientia ipſa. Non plus olim in cognitione Chriſtianæ Legis, tum ad Mores, tum ad Dogma ſpectantis, excelluere Patres, Criticæ, & Linguarum gnari, quàm reliqui Patres ſolis Verſionibus & Traditione contenti. Catholicis verò noſtræ ætatis non paucis, Phereponus, ut puto, Eruditionem, Criticam, Studiumque Orientalium Linguarum non negabit. At iſti, quod eſt ad Dogmata Fidei ac Morum, & in præcipuis Diſciplinæ Eccleſiaſticæ capitibus, conſonant cum antiquis Patribus, neque eos erraſſe agnoſcunt propter ignorantiam Linguæ, neque conſtituiſſe pro Chriſti & Apoſtolorum documentis ſomnia Platonis. Rurſus qui tantùm ſibi de Critices Linguarumque peritia plaudunt, in graviſſimos errores, teterrimaſque Hæreſes conceſſere, atque inde ad Catholicam veramque Fidem exurgere nequeunt, & exurgendum non putant. Quid quæſo tam ambitioſa hæc ſcientia valet [Grammaticæ tamen potius, quàm germanæ Theologiæ ſpeciem referens] ſi ab Eccleſia Orthodoxa avertit, & in maximis erroribus tam pertinaciter quieſcit? Et ne nobis Romano Catholicis nos blandiri ac tribuere nimium dicant: ſeſe gregemque omnium Hæreticorum, qui nunc in Septentrionalibus regionibus tanto numero, tanta diverſitate regnant, tandem contemplentur. Non inter ſe minus turgidi iſti Critici atque Heterodoxi pugnant, quàm cum Catholicis, & alter alterum Hæreſis, & abdicatæ Evangelicæ Doctrinæ incuſat. Melius, inquiunt, quàm inerudíti Patres, eruditio noſtra divinas interpretatur Scripturas. Bene eſt; at cur diſſident in præcipuis Evangelii dogmatis? Qui alter alterum non vincit? Cur non dicam gregales ſuos, ſed ne ipſos quidem Catholicos, quanquam ſinceros, & de puritate Fidei, ſuaque ſalute ſolicitos, quidquam è priori ſententia dimovent? Diſcant ergo, quid poſſit Critica & peritia Linguarum, ad intelligendam veram Chriſti & Apoſtolorum Doctrinam, diſcant ſe potius Grammaticos egregios, quàm Theologos Orthodoxos ea eruditione ſæpe fieri, & tandem intelligant, ſe quidem in ſacris Codicibus multa melius, quàm Patres exponere poſſe in ea eruditione, quæ ad ſalutem non ducit, at in præcipua ac regia ſacrorum Codicum materia, quæ ad veram Fidem, ſalutemque deducit, plus

Digitized by Google

potuiſſe ac poſſe Ingenium Catholicum, meditatione conſtanti excitatum, pietate ac humilitate Cœlo carum, Traditione ſuffultum, & probatis ab Eccleſiâ Verſionibus contentum, quàm potuerit unquam, ſive poſſit tota Criticorum jactantia.

Accipe nunc, quid Phereponus ferat pag. 605. Animadv ad Lib. 2. Cap. 3. de Baptiſ. contra Donatiſtas. *Si omnes*, inquit, *omnino Africæ Epiſcopos congregaſſes ad judicium ferendum de ſenſu loci veteris, aut novi Teſtamenti, quorum nullus Hebraicè ſciebat, & perpauci Græcè norant: ingens illa imperitorum multitudo ineptior erat ad rectè judicandum, quàm vir unus peritus utriuſque linguæ; exempli causâ, quàm ſolus Hieronymus Stridonenſis, quamvis tanta non fuerit ejus peritia, quàm vulgò putatur.* Miſeram planè Chriſti Eccleſiam cui expectanda fuere duo proximè præterita ſecula, hoc eſt fortunati illi dies, qui tot nobis dedere acutiſſimos Criticos in Heterodoxorum cœtu, ut rectè ac ſine erroris periculo interpretari poſſet cœleſtia Legis noſtræ volumina. Et ſi quidem Pherepono ſordet ipſemet ſanctus Hieronymus, quid de reliquis Patribus eidem imparibus dicendum erit? Equidem incertus hæreo, num magis in contemptum hominum iſta ſententia vergat, quàm in contumeliam Dei, qui & ſtatim ab ædificatione, & tamdiu, ſuam deſeruit Eccleſiam, & ignorantiæ omnium perniciosiſſimæ evertendam dedit, neque inculcavit unquam per Filium ſuum, aut per Apoſtolos, Hebraicæ Linguæ neceſſitatem, omniumque Verſionum inſufficientiam ad ſalutem & fruſtrà nos hortatus fuit, ut Eccleſiam audiremus, eique Eccleſiæ immunitatem ab errore pollicitus eſt. At quis hæc abſurda facilè ſomniet, aut concoquat in Religione Chriſti? Satis fidæ Verſiones in iis, quæ ad Chriſtianum Dogma ſpectant, ſemper fuere; ſufficiens Eruditio in Eccleſia Dei, & quod in primis huc facit, longè latéque diffuſa Traditio non ſinebat errare pios accuratoſque Interpretes, quamvis in locis minime neceſſariis exponendis deficerent interdum nonnulli, & methodo nonnunquam minus commodâ uterentur. Quod ſi ex ipſis Patribus aliquis in re quapiam gravi erravit, ejus errores minime adoptavit Eccleſia, ſed correxit, Traditionem & conſenſum reliquorum fideliter ſecuta.

Pergit deinde Phereponus: *Quis dubitet etiam ſuperiore ſeculo XVII. unum Hugonem Grotium, aut unum Joannem Druſium, rectius potuiſſe ſcripturam veteris & novi Teſtamenti interpretari, quàm omnes Italiæ ac Hiſpaniæ Epiſcopos ſimul, capita conferentes?* Nolo ne vel tantillum quidem expendere, num haberet proxime præterito ſeculo Italia atque Hiſpania qui Hebraice & Græce docti poſſent divinas rectè interpretari

Scri-

Scripturas. Satius erit aliquid afferre in exemplaria ſacrorum Interpretum nobis à Pherepono propoſita. *Druſius* inter Proteſtantes Hebraicâ certè ac Rabbinicâ Eruditione illuſtris, talem ſe præbuit, ut vel à Catholicis Scriptoribus tulerit eximias laudes. De illo Richardus Simonius in ſua Hiſtoria Critica paucis ingentem Panegyricum exhibet. Animus autem mihi non eſt, totam ejus laudem inter Grammaticæ pomœria concludere, cum & propterea *Divinus Grammaticus* apud ſuos audierit. Tibi liceat hominem illum Theologis etiam addere. Sed memineris etiam, in Theologicis controverſiis, atque in interpretatione divinorum Codicum ſupra quamplurimos è ſuis moderatione atque modeſtia excelluiſſe. Immo & abſtinuit à ſubſcribenda Calvinianorum ſuorum confeſſione; & Græcorum Patrum, ac Hieronymi ſcripta in honore habuit, & aliis in multis Catholicè ſentire viſus eſt: quæ agendi ratio homini peperit odium ſuorum gregalium.

Quantus vir inter eoſdem Proteſtantes fuerit *Grotius*, nihil attinet in præſentia commemorare, ejus enim Libri ac fama tanta celebritate feruntur, ut noſtro plane non indigeant elogio. Eum Arminianis totum adhæſiſſe, & multis erroribus ejus Libros ſcatere, nemo neſcit: an & Socinianis in præcipuo illorum deliramento ſeſe junxerit, non ita certum; multaque in idem argumentum Boſſuetus v. c. ſcripſit. Sunt qui iſtius criminis notam ab ipſo abſtergere conantur. Verùm illud pro comperto eſt apud Eruditos, *Grotium* impenſe admodum inclinaſſe in Catholicorum partes: immo niſi mors immatura ejus conſilia prævertiſſet, nomen ſuum Eccleſiæ Catholicæ daturus erat. Luculentum in hanc rem teſtem habemus v.c. Henricum Valeſium in Oratione habita in funere incomparabilis viri Dionyſii Petavii Soc. Jeſu. Ita ille de eodem Petavio: *Quid non præſtitit, ut clariſſimum virum Hugonem Grotium ad Catholicorum communionem adduceret? Erat ille quidem minime à nobis alienus, ac pene noſter; quippe qui doctrinam Tridentini Concilii in omnibus ſeſe amplecti palam profiteretur. Id unum ſupererat, ut Eccleſiæ ſacrarium ingreſſus communioni noſtræ ſociaretur; quod ille neſcio quas ob cauſas, dum ad Catholicæ Fidei unitatem plurimos ſecum ſperat adducere, conſultò differebat &c.* Cum Valeſio conſonat Petrus Jurius in Gallico Libro, cui titulus *Ingenium Antonii Arnaldi*. Poſtquam dixit, Iſaacum Caſaubonum, ſi quid fuit, fuiſſe Papiſtam, addit, *Grotium* quoque ſe conjeciſſe in Papiſmum: expreſſè quippe is ſtatuit in poſtremo Opere ſuo adverſus Riverum, *ſolam ſacram Scripturam nequaquam ſufficere, ſed opus etiam eſſe Traditionem ſequi; atque ut percipiatur iſta Traditio, confugiendum eſſe ad conſenſum veterum Scriptorum, præcipue verò certam eſſe viam ipſius colligendæ ex univerſali Concilio &c.* Illic etiam Epiſcopis ingentem tribuit

aucto-

Digitized by Google

auctoritatem in decernenda fidei Doctrina, & præſertim Epiſcop
Romano, quem ad conſervationem veritatis atque unitatis con
ſulendum eſſe in dubiis rebus affirmat. Ad hæc teſtatur Juriu
obligaſſe *Grotium* fidem ſuam Bignonio, ſe poſt reditum è Suec
Catholicam in Eccleſiam palam ingreſſurum. Vide etiam pecu
liarem Commentationem Grotii *de Antichriſto, & viam ad Pa
cem Eccleſiaſticam, ſeu Annotationes ad conſultationem Caſſan
dri*, ubi quantum Romano-Catholicis aſſentiatur, palam fie
Quæ res Jacobum Laurentium Calvinianæ gentis Miniſtrui
jam olim incitavit, ut Librum emitteret, cui *Papiſſantis Grot*
titulum fecit. Sed Epiſtolas Grotianas omnium maxime hic pe
pendendas Lectori relinquimus, cùm toties in iis ediſſer
Grotius; quæ ſibi de Catholica Eccleſia foret amica opinio
& quanti à ſe æſtimarentur & colerentur probatiſſimi Eccleſi
Patres.

Atque iſta quidem de *Druſio & Grotio*, non ut ea quaſi igno
narrem Proteſtantibus, ſed ut alicui è noſtris non ſatis rerum pe
rito ſubveniam, atque in noſtram omnium utilitatem pauca d
mum iſta convertam. Si *Druſius & Grotius*, quos ut divi
Verbi præſtantiſſimos Interpretes nobis objicit Phereponus, ta
bene de antiquis Patribus ſenſere, eoſque ſanæ doctrinæ teſt
ampliſſimos ſuſpexere: ergo ſancti Patres in eo, quod maximi r
fert, hoc eſt in Dogmatica Theologia, atque in interpretanc
cœleſtium Librorum doctrina, alii ex opinione *Druſii & Grot*
fuerunt, quàm nobis perſuadere nunc velit Phereponus. Deinc
ſi celebres illi duo Proteſtantes, quò magis Linguarum Orient
lium peritia, ac eruditione excelluerunt, eò magis in ſententiam
communionem Catholicæ Eccleſiæ inclinarunt: ex eorum exer
plo conjicere quiſque poteſt ac debet, quidquid ſit Eccleſia noſtr
& quàm ſana ſint illius Dogmata, in quibus ſita præcipuè eſt R
ligionis veræ ſubſtantia. Intelligas etiam, quàm non conten
nendi Patres, licèt minus in Critica, & Linguis verſati, cùm e
Eccleſia iſta Traditionis teſtes adhibeat, & in ſcientia Dogmatu
in ſacris Literis deſcriptorum fideles agnoſcat Interpretes, & I
quatur. Eamque noſtram methodum, atque ſententiam de P
tribus placere video multis etiam eruditiſſimis ex ipſo Proteſt
ſtantium numero. Vide, quæ Scriptores nonnulli Anglica
Eccleſiæ adhærentes de ipſis Patribus, eorumque auctoritate
teantur. Unus præcipuè ex iis mihi nominandus eſt Thomas M
les, qui ante paucos annos in noviſſima Editione Operum ſan
Cyrilli Hieroſolymitani contendit, ſola traditione & auctorit
Patrum convinci debere nuperos Arianos, ſectatoreſque Soci
Quamobrem ex iiſdem exemplis, quæ in medium Pherepon
protulit, intelligat tandem ipſe, ſi potis eſt, ſine injuria Auguſtinu

ceteroſque Patres à ſe explodi non poſſe, & maledicentiam potius quam juſtam cenſuram ſapere, quæcumque tanta aſperitate, & ſine ulla exceptione, & ſine ullo rerum delectu, adverſus eoſdem ipſe conſcripſit.

CAPUT XVII.

An loquentibus de divinis rebus novas voces adhibere liceat, ac licuerit. Neceſſitate compulſi Eccleſiæ Patres tot quæſtiones pertractarunt, ut ab Hæreticorum technis ac erroribus Catholicam veritatem liberarent. Injuſta criminatio Phereponi contra Auguſtinum tribuentem Monicæ matri ſuæ quædam in Libris de Ordine. Iidem Libri à Pherepono nullo jure contempti, Ad Ordinem politicum ſpectat in Urbibus tolerare Meretrices, ne pejora malæ ſubſequantur. A Fanatiſmo ac Enthuſiaſmo quàm longè abſuerit Auguſtinus. Quibuſdam hominibus non neceſſarii Codices ſacræ Scripturæ. Sapientiæ Liber cur Salomoni adſcriptus, & nihilominus Canonicus reputatus. Auguſtinus de Gothis agens in vaſtationes Urbis nihil diſſimulavit. Alia Phereponi tela in ſanctum Auguſtinum repulſa.

CONgerere nunc juvat nonnulla alia, quæ in Phereponi Animadverſionibus ſparſa occurrunt. Pag. 477. ad Lib. 13. Cap. 11. Confeſſ. auctor eſt, de Trinitate eſſe parciſſimè diſputandum, uti de aliis hujuſmodi Myſteriis; *ſi enim de iis loqueremur dumtaxat, quatenus nobis ſunt revelata, atque locutionibus Scripturæ contenti, ignota Deo relinqueremus, non tot eſſent contentiones, &c.* Paria habet pag 561. ad Cap. 20. Libri de Agone Chriſtiano, ubi Theologos culpat, quòd poſt exortas Neſtorii controverſias audacter explicare velint, quod neſciunt de Incarnatione Verbi: ſed fuſiùs hac de re mentem ſuam explicat pag. 600 Animadv. ad Lib. 1. cap. 4. & p. 602. ad Lib. 7. cap. 4. de Trinitate, *valdè ambiguè* locutos eſſe Veteres de Deo uno & trino ait: id quod piaculo proximum putat. Tum laudat poſteriorum ſeculorum Eccleſias, quæ Veterum audaciam emandarint. *Nos ergo*, deinde ſubdit, *de unitate Dei, deque Patre, Filio & Spiritu ſancto ex Scrip-*

Google

Scriptura quoque loquamur, atque ſentiamus; nec putemus id poſſe à nobis perſpicuè explicari, quod perſpicuè revelatum non eſt, aut meliùs exprimi verbis noſtris, quod non aſſequimur, quàm verbis Chriſti & Apoſtolorum, &c. Si Veteribus ignoſcimus, quòd de Unitate ſpecifica divinæ naturæ in Patre, Filio & Spiritu ſancto docuerunt, ne immiſericordes ſimus in eos, qui hac de re aliter quàm nos nunc fortè ſentiunt, ſi modò Scripturam ſacram normam fidei, ſuæ habeant, præceptorum Evangelii ſint obſervantes, reditumque è cœlo Domini noſtri Jeſu Chriſti vivos & mortuos judicaturi nobiſcum præſtolentur. Qui hic loquitur, Arminianus eſt, & pro ſe ac pro Arminianis perorat, cujus Sectæ Libri & præcipuè Confeſſio cap. 3. & Apologia c. 3. & Limburchius variis in locis, hoc idem docent, nempe in proponendo Trinitatis myſterio abſtinendum eſſe à vocibus, quas humana auctoritas induxit. Gratiſſima utique Socinianis ſententia: immo Epiſcopius atque alii gregis illius, abſtinendum quoque dixerunt à ſententia & vocibus, quibus Deum *unum in eſſentia, trinum in perſonis* affirmamus; fidem quippe Trinitatis (ſi iis credimus) neceſſariam ad ſalutem non cenſuerunt priora tria Epochæ Chriſtianæ ſecula. Iiſdem numeris canentem nunc audimus Phereponum, & inſultantem aliis in locis Auguſtino, tanquam de eodem immenſo myſterio inepta narranti.

Equidem omnia quæ in Libris *de Trinitate* ediſſeruit ſanctus Auguſtinus, in me non reciperem oſtendere talia eſſe quæ unicuique placeant, cùm & aliqua ſint, quæ Auguſtinus ipſemet probaſſe non videtur. Sed ſive elumbia ſint illic argumenta, ſive multiloquium, & ornamenta ſuperflua pro dignitate ineffabilis argumenti, nihilominus illud certum eſſe debet nobis, quod eſt ad nucleum dogmatis, nihil ea in re hallucinatum fuiſſe Auguſtinum, ejuſque orationem à crimine audaciæ prorſus abeſſe: neque ſecus judicandum de reliquis Patribus, qui Auguſtinum præceſſere. Invecta ſunt quidem in Theologiam, de Deo uno ac trino loquentem, vocabula nonnulla, quæſtioneſque non paucæ, quorum nuſquam expreſsè meminit divina Scriptura. Sed quod iis vocibus novis ſignificatur, iiſque de controverſiis Eccleſia decrevit, veterem & Apoſtolicam nihilo ſeciùs Doctrinam continet, quippe ex aliis evidentibus Scripturæ placitis ritè deductum, aut per Traditionem certiſſimam à Chriſto Eccleſiæ ſuæ revelatum. Fecerunt autem ſubinde pullulantes Hæreſes, grande illud myſterium variis erroribus vexantes, ut ipſi quoque Patres coacti vocabulis novis uti, ſcientiam divinarum rerum uberius explicarent, & ab Hæreticorum erroribus atque cavillationibus, multiplicatâ quæſtionum ſegete, fortiùs tuerentur. Auguſtinum ipſum audi Lib. 7. cap. 4. de Trin. *Fateamur loquendi neceſſitate*

parta

parta hæc vocabula, cùm opus eſſet copioſâ diſputatione adverſus inſidias, vel errores Hæreticorum. Cùm enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum ſenſus, quod in ſecretario mentis pro captu tenet, de Domino Deo Creatore ſuo, ſive per piam fidem, ſive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres eſſentias, ne intelligeretur in illa ſumma æqualitate ulla diverſitas. Rurſus non eſſe tria quædam, non poterat dicere; quod Sabellius quia dixit, in Hæreſim lapſus eſt, &c.

Quod verò *ambiguè* hiſce vocabulis locuti ſint Veteres, etiamſi id concedere vellemus, non tamen admirationis aut accuſationis juſta cauſa Pherepono foret. Linguarum diverſitas obſtabat interdum, ne Chriſtiani unius Linguæ, voces alterius, cauſâ novarum controverſiarum in Theologiam illatas, expeditè intelligerent. Tum varias notiones uni atque eidem voci ſubjiciebant nonnulli: rurſuſque unam rem diverſis vocibus ſignificabant alii. Sed Hæreticorum in primis arte accidit, ut *ambiguæ* viderentur voces, dum ſuam illi doctrinam aut celare, aut dealbare niterentur, ne erroris accuſaretur. At collatis, & probè expenſis, & in Conciliis potiſſimùm, Catholicorum Patrum ſententiis, exploratâ quoque diligentiùs Hæreticorum mente: demum conſtabat, verbis tantùm, non rebus, inter ſe diſcrepare Catholicos, & dogmata per eos certiſſima tradi, & falli Hæreticorum novitatem. Ait Phereponus, abjiciendas locutiones novas de Trinitate, & iis contentos nos eſſe debere, quæ in Scripturis ſacris habentur. Catholici quoque hoc faciendum ſuadent, ne novam doctrinam ſub vocibus novis in Eccleſiam inferamus. Baſilius, Nazianzenus, Cyrillus, ac alii complures modum ac ſobrietatem laudant, in loquendo de rebus divinis, jubentque nos temperare temerariis quæſtionibus. Sed cùm nos cogunt Hæretici per alia verba explicare mentem ac voces divinarum Literarum, nihilque aliud quàm vetus doctrina proponitur, vel per legitima conſectaria ex iiſdem ſacris Literis derivata, vel per accuratam inveſtigationem è Traditione Patrum hauſta: tunc licet, ac interdum etiam neceſſe eſt, nova verba à Scholis & Linguis mutuari. Filiis autem Eccleſiæ veræ uti nefas eſt aliquid proferre, quod ſacris Scripturis adverſetur; ita crimen eſt aut negare, aut damnare, atque rejicere quidquid ritè per Eccleſiam deducitur ex eiſdem Scripturis, ac Traditione fideli. Sabellius ita unitatem Dei deprædicat, ut Trinitatem excludat. Ecce neceſſitas novarum vocum, ut Apoſtolorum Doctrina meliùs innoteſcat, & novus error profligetur. Divinitatem Filii Arius negat, ſancti Spiritus Macedonius, in Chriſto duas naturas impiè disjungit Neſtorius, peſſimè confundit Eutyches: en quod Patres adigit ad locutiones novas in Theologicis uſurpandas,

pandas,quo quid credendum moneat fides, clariùs intelligatur in populo.

Et fallitur Phereponus,cùm dogmata hujuſmodi *non perſpicuè revelata* ait; nam etſi non ſemper apertiſſimè verbo Dei ſcripto, certè revelato per Traditionem, ea omnia perſpicuè conſtant. Fruſtra quoque invidiam facere conatur Catholicis, quaſi meliùs exprimi poſſe putemus *noſtris verbis, quod non aſſequimur, quàm verbis Chriſti, & Apoſtolorum.* Id enim neceſſitate fit, & ad eruditionem indoctæ gentis, & ad confutationem errorum, & in hunc finem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ut Apoſtolus ait Epheſ.4.2. *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores.* Quamobrem ſi divinæ eſſentiæ unitas, & divinarum perſonarum trinitas innituntur,ut nos contendimus, certâ auctoritate Scripturæ ac Traditionis: quid eſt quod veniam Phereponus, neſcio an Arminianis,certè Socinianis, impetrare nunc velit,præcipua hæc dogmata aut negantibus, aut recipere recuſantibus? Et cùm in Eccleſia Dei talia negare immò non aſſerere, inexpiabile crimen Hæreſis ſemper fuerit, uti jam doctiſſimi viri tum ex Catholicis, tum ex Proteſtantibus, & omnium noviſſimè Georgius Bullus Anglus contra Epiſcopium oſtenderunt: qui nunc licentiam credendi hic, quidquid ſuæ tantummodò menti arridet, Auguſtini Cenſor depoſcit? Si qui ex Veteribus à Catholica Sententia diſcrepaſſe videntur, iis ſanè indulgendum, vel quòd minus acutè, multùmque perfunctoriè,& ſine dolo malo, de ſublimibus myſteriis egerint, vel quòd ſolo uſu loquendi à reliquis Chriſtianis diſſenſerint,itemque eandem vocibus diverſis ſignificarint, vel etiam quod iis temporibus ſcripſerint, quibus nondum aut diſputatio cum Hæreticis, aut ſacra Concilia falli neſcia ſplendentiſſimam facem veritatis prætulerant. At quam quæſo indulgentiam debeamus Novatoribus quibuſdam ingenio ſuo revelationem accommodantibus, & Eccleſiæ auctoritatem, & Patrum omnium Traditionem, nunc unicuique notam, & in Conciliis ſtabilitam, miro faſtidio, atque ambitione noſtro hoc ævo deſpicientibus? Hoc hominum genus fugiendum clamat Apoſtolus. Hanc ſuperbiam,non cautionem, damnandam eſſe,cùm ratio recta,tum diſciplina Eccleſiæ ſatis apertè nos docent.

Regrediamur nunc ad Auguſtini Libros *de Ordine*, In quibus cùm vir ſanctus ingenium Monicæ parentis ſuæ commendaſſet, Phereponus pag.478. Animadv. accuſationis novæ anſam arripit, inquiens: *Si hæc in ſermone familiari matri dixiſſet Auguſtinus, vituperari ſanè non poſſet,immo fortè laudaretur pietatis causâ: ſed hæc neſcio quomodo ſcribere ſuſtinuerit ad virum eruditum, atque edere.* Legamus, quænam tandem ſint immodica iſta

encomia in ſuam matrem ab Auguſtino congeſta. *Nobiſcum* [inquit Lib. 1. cap. 1. de Ord.] *erat etiam mater noſtra, cujus ingenium, atque in res divinas inflammatum animum, cùm antea convictu diuturno, & diligenti conſideratione perſpexeram, tum verò in quadam diſputatione non parvæ rei &c. tanta mihi mens ejus apparuerat, ut nihil aptius veræ Philoſophiæ videretur.* Neceſſe eſt nimiùm delicatus ſit, aut nimis adverſus Auguſtinum animatus Cenſor iſte, quando hac de cauſa vituperandum putat Auguſtinum. Lege tot Dialogos, tot Libros excellentium virorum; ſimilia & longè majora ubique reperies, quæ aut veritas confirmat, aut certè amor honeſtiſſimus diſplicere auditoribus non ſinit. Quòd ſi Pherepono judice vel foret laudandus Auguſtinus, ubi eadem ſuæ matri in familiari ſermone dixiſſet: cur idem præſtitiſſe in edito Libro flagitium fuit? immo ſi falſa ea laus reputanda eſt, graviùs peccaſſet filius, quod matri ſuæ in faciem adulatus fuiſſet, falſámque perſuaſionem bonæ annui ingeſſiſſet. Quamquam quis in ea laude ſobrietatem deſideret? Inquit Auguſtinus, ſe *ingenium* illud, eámque mentem, & eum *in res divinas inflammatum animum* [quæ verba ſibi reticenda Phereponus non ſine cauſa duxit] *ut nihil aptius veræ Philoſophiæ videretur.* Non exhibet ille nobis egregiam quampiam in Monica [liceat ita mihi dicere] Philoſophiſſam, ſed ejus mentem ingenio ejuſmodi inſtructam, & ardore in res divinas ita accenſam commemorat, ut aptiſſima eſſet ad veram Philoſophiam. Quæ laus piis etiam nonnullis feminis noſtra hac ætate convenire poteſt, quamvis nullam unquam Philoſophiæ dederint operam. Quantò autem magis in Monicam cadere eadem laus potuit, cujus prudentiam, pietatem, & reliquias cordis & mentis virtutés ſincerè expoſitas habemus in Confeſſionum Libris.

Sed inquit Phereponus, ſe neſcire quomodo hæc ſcribere atque edere Auguſtinus ſuſtinuerit, *cùm præſertim Liber de Vita beata, ubi eximia illa Monicæ reſponſa leguntur, edendus etiam eſſet: eum enim ſi quis legat, facilè intelliget, filium præ amore matris ingenium inveniſſe in verbis bonæ anûs, quod alii non facilè animadvertant.* Niſi ſit hoc abuti otio & literis, quid aliud jam erit? Cenſorem agere volumus, & quidquid occurrit, cenſoriam protinus virgam meretur. Scilicet non deſunt unquam verba jurgari, & lædere cupientibus. Habemus Librum, ſeu Dialogum *de Vita beata,* ibique ſuæ ſunt partes Monicæ matri. Certè videtur ignorare Phereponus, qui Dialogos contexere ſoleant eruditi viri. Interlocutores pro libito inducunt, iiſque ſine ulla culpa tribuunt atque affingunt orationem moribus ac ingenio illorum conformem. Quare ne ego quidem

Digitized by Google

intelligo qui dicatur Auguſtinus *ingenium inveniſſe in verbis bonæ anus*, quando hæc eadem verba Auguſtino ſunt tribuenda, & ſubtiliora melioraque Auguſtinus eidem ſuæ matri potuiſſet adſcribere? Deinde conſule ipſum Librum *de Vita beata*, intelligeſque an inſulſa ſive vulgaria adeo ſint pauca illa quæ Monicæ tribuuntur, ut ea contemnere Pherepono licuerit, immò his aliis cœptam onerare cenſuram: *Quæ*, inquit *mulier nunc paulò liberaliùs educata, talia & meliora etiam aliud agens non effundat?* At nos dicimus, ſi qua mulier talia melioraque etiam aliud agens effunderet, qualia legimus in Libro *de Vita beata*; ſique pari ardore in res divinas ferretur, ac Monica ferebatur, jure mentem quoque illius feminæ *aptiſſimam veræ Philoſophiæ* affirmare poſſemus. Ceterùm non ita facilè ignoſcendum videtur Pherepono noſtro, Monicæ ingenium, ejuſque laudes confidentiſſimè ridenti, quaſi Cenſori nupero ex ejus *convictu diuturno, & diligenti conſideratione* conſtitiſſet, illam ingenii perſpicacia caruiſſe, & bonam tantummodò anum fuiſſe dicendam. Non uno argumento deprehenderat Auguſtinus, quanta mens matri ſuæ foret. Tanto ac tam pio viro quiſquis fidem ſine ulla ratione, & pro ſolo arbitrio ſuo neget, non video cur impudentiæ non ſit arceſſendus.

Porrò eodem ſtomacho Libros *de Ordine* Phereponus legit. Nullam quippe ibi definitionem paulò accuratiorem reperit, *ſed tantùm Deſcriptiones Rhetoricas, re deſcriptâ ſæpe obſcuriores, aut certè æquè ac eam obſcuras*: quod exemplo uno oſtendere non inutile putat. Tum hæc addit: *Si talia hodie conſcribillarentur, & in publicam lucem protruderentur, profectò Eruditorum plauſum non ferrent, uti nec innumeræ inanes argutiæ, quibus hæc Opuſcula ſcatent. Sed illo ævo verba pluris multò fiebant, quàm res ipſæ: quo vitio & noſtrum ſeculum, plus quam optandum eſſet, etiamnum laborat.* Bono animo volo ſit Auguſtinus, quando Phereponus tot reos cum illo, ejuſque ætate conjungit. Seculum noſtrum iiſdem laborat vitiis, ac ſeculum Auguſtinianum, cùm tamen eruditionis gloriâ, & methodi in Literarum ſtudiis eximiæ famâ commendetur, & Pherepoμum non unum luci dederit. Itaque tanto exemplo ſe conſoletur Auguſtinus. Interim tamen neſcio quàm multis Lectoribus perſuaſurus ſit Phereponus, Opuſcula illa Auguſtini, quanquam primos illius fœtus, verbis duntaxat, & non rebus, abundare, & innumeris, iiſque inanibus argutiis ita ſcatere, ut nullum Eruditorum plauſum pollicere ſibi debeant. Equidem non ea dicere auderem abſoluta, aut ſummè commendanda Auguſtini Opera, ſed quidem talia affirmare auſim, ut neque Auguſtinum quod elucubrarit, ac edi paſſus fuerit, neque nos ſi legerimus, pœnitere unquam poſſit aut debeat. Vel ipſe Phereponus illa plu-

pluris æſtimaſſet, minuſve contempſiſſet, niſi oblitus tunc fuiſſet, quæ licentia, quæ leges, qui finis ſit Dialogorum Scriptori. Alioqui vel in Platonis Libris nimium habebit Phereponus, quod rideat, atque accuſet. Ego verò Cenſori huic non ſuccenſeo, quòd exquiſitam accuratamque argumentorum pertractationem in quibuſque Libris deſideret, ſed quòd ita ab unoquoque exigat optima, ut nihil ferat, omnia flocci faciat, quæ iſtum pulchritudinis apicem fortè non attigerint. Lege Opuſcula illa Auguſtini, & tu perpende, num inepta ipſa ſint, an eorum Cenſor iniquus.

Quid ſordidius, quid inanius decoris ac turpitudinis plenius, meretricibus, leonibus, ceteriſque hoc genus peſtibus dici poteſt? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Verba ſunt Auguſtini Lib. 2. cap. 4. de Ordine. Optandum eſſet Auguſtino, ne talia unquam effudiſſet; adeo quippe abſona à ratione videntur Pherepono, ut pag. 479. exclamet: *Si talia hodie ſcriberemus, nunquam ſat graves pœnas dare poſſemus iis, qui ea in Veteribus mirantur.* Et quidni? *cùm ſi Auguſtini judicium ſequamur, rectè faciant legislatores & Principes, qui lupanaria eſſe patiuntur: nam praſtat paucas domos pollui, quàm omnes libidinibus turbari.* Audiat porro Auguſtinus, & quando bene ſilere non didicit, diſcat jam à Pherepono noſtro conſona & vera loqui. *Quantò*, inquit ille, *ſatius erat dicere, malas mulieres & libidinoſos juvenes abuti libertate à Deo accepta, & alia quæ ab Eruditis nunc dici ſolent!* Dicat quæſo Phereponus, num rara atque inaudita ſe narrare nobis putet, cùm talia de meretricibus ſcribit. Equidem non puto; nam cui Chriſtiano diſcendum adhuc eſt, peccare malas mulieres, & libidinoſos juvenes, dum in vetitam luxuriam ſe abripi ſinunt? Præterea non libidini tantùm, ſed cuicumque alii peccato indulgens homo, abutitur libertate à Deo accepta. Addo, me nequaquam intelligere, quid ad rem præſentem faciat animadverſio Phereponi. Auguſtinus quærit, an ad *Ordinem* pertineat, permittere meretrices in urbibus; & Phereponus reponit, ſe laudaturum fuiſſe dicentem, id feminarum genus abuti libertate à Deo accepta: ſed rem intimiùs perſcrutemur. Arguere Auguſtinum videtur Phereponus, quaſi meretriciam artem is probet; propterea que forſitan ſubdit, peccare juvenes ac feminas huic libidini obſequentes. Verùm Auguſtino nulla alia opinio fuit, quàm ſit Pherepono; quippe meretriciam artem *ſordidam, turpitudinis plenam* ſupra ceteras appellat, & *peſtibus* accenſet, & *hoc hominum genus per ſuos mores impuriſſimum vitâ* agnoſcit. Igitur Pherepono duntaxat animus eſſe potuit ſugillandi Auguſtini, quod dixerit, non malè permitti in civita-

vitatibus meretrices, idque ad *Ordinem* pertinere. At Auguſtinum rectiſſimè hoc pronuntiaſſe, nemo negaverit, niſi qui minora mala negat eſſe toleranda in urbibus, quando aliter evitari majora non poſſunt. Hoc autem axioma politicum quiſque ſapiens amplectitur, & omnium maximè amplecti Phereponus debuit, qui tantum abeſt ut vitia quædam hominum caſtigata à Principibus velit, ut vel impunè errare in Religione unicuique permittendum cenſeat. Quòd ſi meretrices ab urbibus non eliminat ſecularis Magiſtratus, non idcirco earum artem licere apud Deum arbitratur. Chriſtiana verò Lex, ejuſque Doctores in illam tanquam peſtem Deo planè inviſam quotidie perorant: ac proinde conſtare poteſt, *Ordinis* eſſe, ut mala ac vitia quædam ferantur, neque politicè puniantur in hominum commercio, ne ſi omnia auferre velis, periculoſiùs deinde à gravioribus malis ac vitiis Reipublicæ ordo turbetur. Quod & Medici faciunt in corpore malè ſano, ipſaque feciſſe videtur Judæorum Reſpublica, & ceteræ Nationes, non libenter quidem, ſed neceſſitate quadam coactæ.

Pauca in Librum *de Immortalitate animæ* habet Pheroponus: ut ut tamen ſint pauca, pauciora tamen ſunt, quæ Auguſtinus ipſe Lib. 1. cap. 5. Retract. ſcripta reliquit, & nos repetenda hic exiſtimamus, cùm ſatis ſint ad obſtruendum os obloquenti Cenſori, qui ingenuam Auguſtini confeſſionem ac ſententiam de hoc Libro diſſimulare voluit. Inquit ergo Auguſtinus de Libro eodem: *Sed neſcio quomodo me invito exiit in manus hominum, & inter mea Opuſcula nominatur. Qui primò ratiocinationum contorſione atque brevitate ſic obſcurus eſt, ut fatiget, cum legitur, etiam intentionem meam, vixque intelligatur à me ipſo.* Ejuſdem Auguſtini verba ſunt hæc alia in Prologo ad Libros de Doctrina Chriſtiana: *Hæc tradere inſtitui volentibus, & valentibus diſcere, ſi Deus ac Dominus noſter ea, quæ de hac re cogitanti ſolet ſuggerere, etiam ſcribenti mihi non deneget.* Pherepono iſta nequaquam probantur pag. 524. Animadv. *Quamvis*, inquit ille, *bonas omnes cogitationes ad Deum, quaſi ad bonorum omnium primam cauſam, referre debeamus; non ita tamen loquendum, quaſi Deus nos afflaret, & quidquid bonum eſſe credimus, veluti dictaret.* Tum incommoda nonnulla recenſet, quæ hinc naſcerentur, & quæ mirari ſe ait, cur in mentem Auguſtino non venerint. Tandem in hæc verba deſinit: *Profectò hodie nemo eſt inter Eruditos, qui velit ſub nomine ſuo edi, quæ ſuggeſtiones divinæ ab Auctore putabantur.* Quàm vera ſint poſtrema hæc verba, videant alii, quibus ignora non ſit Calviniani Gregis, & Anabaptiſtarum, & Quakerorum, aliorumque id genus hominum Hiſtoria.

Quod

Quod noſtrum eſt dicimus, bene hic habere doctrinam Pherepo-
poni, temporibuſque iſtis uſui eſſe poſſe, quando recentiora ſchiſmata peperere tot in Anglia, Germania, Belgio, aliiſque Provinciis, *Viſionarios*, ut vocant. Cavendum autem ne ſtulti abutantur nomine ac verbis Auguſtini, neve revelationes atque inſpirationes tanquam cœlitus delapſas nimiùm credulis obtrudentes, fallant, ſimulque fallantur. Ceterùm ſi Pherepono animus eſt, Auguſtinum hic tacitè *Fanaticis*, ut ajunt, ſeu *Enthuſiaſtis*, accenſere; eidemque ſaltem ex his verbis invidiam creare, nequeo quin deſiderem in ejus conſilio æquitatem. Nemo longius abfuit, quàm Auguſtinus, à revelationibus venditandis; nemo luculentius expreſſit quam ſibimetipſi fidem haberi velet. Se quippe ille noverat non Prophetam, non Doctorem ab omni erroris periculo immunem. Non ille tantum ſibi tribuebat, ut vellet ſibi credi quæcumque diceret, quaſi nihil non Cœlo Auctore loqueretur in interpretandis divinis Literis. Sed qui ſciret ab homine privato expectandam non eſſe certiſſimam Doctrinæ Chriſtianæ explicationem, & ſitam eſſe immunitatem ab omni errore in unius tantummodo Eccleſiæ auctotitate: ſua proinde accipi volebat, tanquam dogmata hominis, veritatem quidem quærentis, ſed non auctoritate cœleſti proponentis. Vulgatiſſima ſunt, & tamen hic referenda, quæ ille in Epiſt. 36. ad Fortunatianum olim CXI. ſcribit. *Neque enim*, ait, *quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas, habere debemus, &c. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales eſſe volo intellectores meorum.* Et ad ſanctum Hieronymum ita ſcripſerat Epiſt. 82. aliàs 19. *Solis Scripturarum libris didici hunc deferre honorem, ut nullum auctorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid, firmiſſime teneam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate præpolleant, non ideo verum putem, quod ipſi ita ſenſerunt & ſcripſerunt.* Reliqua Auguſtini hac de re documenta omitto. Quamobrem tollitur ſuſpicio omnis, voluiſſe unquam Auguſtinum aliquid novi tradere, tanquam ſibi cœlitus revelatum, dictiſque ſuis hac arte comparare certiſſimam fidem.

Quæ ergo mens Auguſtino, cùm ait, *Deum ac Dominum noſtrum ſibi de præceptis tractandarum Scripturarum cogitanti, nonnulla ſuggerere conſueviſſe?* Nihil aliud ille vult, niſi ſe Deo accepta referre, quæcumque bona, utilia, ac vera eam in rem ſibi adinveniſſe & excogitaſſe videbatur. Nempe à Deo venit quidquid boni in homine naſcitur; & quælibet cogitatio bona ad Deum, hoc eſt, ad ejus proprium ac præcipuum Auctorem, referenda eſt; *non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quæ ſententia illu-

illuſtrata eſt ab integro ſanctorum Patrum choro, ſed ab Auguſtino potiſſimum innumeris in locis. In iiſdem Libris *de Doctrina Chriſtiana* auctor ipſe eſt Oratoribus ſacris, ut preces ante concionem ad Deum fundant, & ab ipſo depoſcant, quid & quomodo dicendum; nam ut eſt Sap. VII. 16. *In manu illius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia & diſciplina.* Ad preces tamen adjungendum eſſe ait ſtudium neceſſarium; & hoc enim Deus exigit à nobis: quæ etiam valere puto ad retundenda Phereponi dicteria pag. 548. Animadv. ad Serm. 244. Auguſtini, ubi ſanctum virum non ſine legentium ſtupore quodammodo ridet, quod auxilium divinum imploraverit, cùm ad populum verba faceret. Nomine itaque divinæ *ſuggeſtionis & revelationis* ſibi factæ quoties utitur Auguſtinus, aut populum erudiens, aut Libros conſcribens, id tantùm ſibi vult, ſe divino boni cujuſcumque auctori tribuere, atque acceptum referre, quidquid boni ac veri calamo aut ore prolaturus eſt. Neque illi animus jactitandæ revelationis cujuſpiam, cui fidem non habere certiſſimam piaculum ſit; multoque minus quidquam profert tanquam novum dogma ſibi à Deo revelatione peculiari detectum. Immo his ipſis verbis [quæ de Prologo ad Libros de Doctr. Chriſt. Phereponus ſumpſit] ſatis prodit Auguſtinus, ſe nihil tradere ſupra hominis privati jus, dùm humilis æquè ac modeſtus dubitat, num *Deus ſcribenti ſibi* ea tunc ſit ſuggeſturus, an denegaturus, quæ volentibus & valentibus diſcere, utilia deprehendantur.

Eadem pag. 524. Animadv. configit Phereponus hæc alia Auguſtini verba: *Homo itaque fide, ſpe, & caritate ſubnixus, eaque inconcuſſè retinens non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſine codicibus vivunt.* Itaque Auguſtinus Lib. 1. cap. 39. de Doctrina Criſtiana, ad quæ Phereponus: *Nemo*, inquit, *tam eſt peritus Scripturæ, quin indigeat codicibus, quos conſulat & legat ſubinde. Quòd ſi quis literas neſciat, ibi potiùs debet vivere, ubi leguntur, quàm in ſolitudine: ſi quis ſciat, protervia eſt, & negligentia non ignoſcenda, ſi codices ſibi non comparet.* Tum Auguſtini ſententiam egregio decreto percellit, inquiens: *Hæc merum enthuſiaſmum redolent.* Phereponum laudo, quod Scripturæ Sanctæ neceſſitatem atque utilitatem Chriſtiano Populo commendet. Ne apud nos quidem ullus eſt, qui divinas Literas veluti ſummum Dei munus non extollat, nemo eſt, qui earum lectionem atque meditationem non ſuadeat; & impietate non careret, quicumque ab eo ſtudio Chriſtianum Gregem averteret, eaſque ſuperfluas Reipublicæ Catholicæ arbitraretur. Quantùm quoque in iis laudandis, & ſuſpiciendis ſedulus fuit Auguſtinus, tantum quoque alienus fuit à

mi-

minuenda earum utilitate. Id oſtendere facile quidem, ſed etiam ſupervacaneum foret in tanta rei evidentia. Hæc tamen generalis regula ſuas patitur exceptiones, nam ad conſequendam vitam æternam, & ad rectè vivendum atque credendum, hominibus ſingulis neceſſaria non eſt divina Scriptura; interdum etiam non utilis, immo pernicioſa eſt, non ex ſe ipſa, ſed ex ignorantia, aut perverſis hominum affectibus. Certè fuere tempora, quibus Codices ſacri novæ Legis non erant, & aliquid nondum fuerat Literis divinitus commendatum. Ita nempe ſe habuere priores anni Chriſtianæ Reipublicæ. Præterea diu caruere ſacris Literis Provinciæ quædam Chriſtum amplexæ, cùm in earum Linguam converſa nondum fuiſſent Prophetarum & Apoſtolorum monumenta. Audiendus eſt in hanc rem ſanctus Irenæus Lib. 3. cap 4. *Quid autem*, inquit ille, *ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ſequi ordinem Traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt ſine charactere, vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis, & veterem Traditionem diligenter cuſtodientes.* Infrà verò addit; *Hanc fidem qui ſine literis crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum barbari ſunt, quantum autem ad ſententiam, & conſuetudinem, & converſationem propter fidem, per quam ſapientiſſimi ſunt, placent Deo, converſantes in omni juſtitia & caſtitate & ſapientia.*

Nolo hic innuere, quibus hominibus, & quomodo & quando neceſſaria non ſit divina Scriptura, immo etiam eſſe poſſit, quibuſdam conditionibus poſitis, pernicioſa. Inſiſtere tantummodo placet verbis ſancti Irenæi. Etiam ſine ſacris Literis placere Deo poſſunt homines, dum *in omni juſtitia, & caſtitate, & ſapientia* verſentur. Nam cur cœleſte hoc eruditionis patrimonium Eccleſiæ ſuæ dedit Deus, niſi ut nos veritatem revelatam edoceret, eamque mutationis ac depravationis periculo eriperet, ſimulque nos ad amorem ſui & proximi, & juſtitiæ incitaret? Atqui certiſſimum eſt, vel ſine lectione divinarum Scripturarum poſſe homines conſequi id, quod per eaſdem tribuere Deus ſolet, nempe abundare fide, ſpe & charitate, operibuſque pietatis atque juſtitiæ fideliter vacare: id quotidie faciunt tot illiterati ac rudes. Bona inſtitutio, pia meditatio, Paſtorum vox, prædicatio atque Traditio non raro ſatis ſunt homini divina gratia adjuto, ad placendum plus Deo, quàm placeant Eruditi nonnulli in ſacrarum Literarum ſtudium perpetuo intenti. Ergo in his caſibus non indigent homines Codicibus ſacris quos legant, multoque minus ſi legere neſciant. Jam aliunde habent, quod ex eorum Librorum lectione expectare alii poſſunt.

Ergo iis tunc neceſſaria non eſt lectio ſacrorum librorum. Quòd ſi quis dicat: erit ſaltem utilis, immo neceſſaria quodammodo; nam fides,& ſpes & caritas ſine meditatione cœleſtium Codicum ſervari vix queunt: reſpondebimus, nunquam negaſſe Auguſtinum,quin ſemper utilis eſſe poſſit lectio divinorum librorum, ſed tantùm ejus neceſſitatem negaſſe in hominibus jam fide, ſpe & caritate abundantibus. Deinde Auguſtinum loqui de iis, qui has virtutes *inconcuſſe retineant*, ac ſervent; nam eo ſaltem tempore neceſſitas nulla eſt legendæ aut audiendæ divinæ Scripturæ. Tandem cùm certum ſit,uti diximus, aliter quàm per lectionem Codicum ſacrorum,fidem,ſpem & caritatem obtineri poſſe, certum pariter eſſe debet, ſine eadem lectione ſervari ac retineri poſſe eaſdem virtutes.

Quibus ex rebus intelligas, perperam, ac intolerandâ cenſurâ *Enthuſiaſmum* ſomniari in Auguſtini ſententia, quaſi auctor ſit ſanctus Doctor, nihil generaliter referre, habeatne Chriſtianus Homo,an non habeat, legatne an non legat Scripturam ſacram. Æquivocatione rurſus non carent Phereponi verba, dum ait: *Nemo tam eſt peritus Scripturæ quin indigeat Codicibus, quos conſulat & legat ſubinde.* Explicare debuit Cenſor, quem in finem quiſque indigeat Codicibus ſacris: ſi ad alios erudiendos; utique vera eſt Phereponi ſententia: ſed ipſe ab Auguſtino priùs didicit,ita ſcribente,ut vidimus: *Non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos.* Si ad eruditionem ſui, ut rectè credat, ac rectè operetur; jam oſtendimus id immeritò à Cenſore affirmari, cùm & Auguſtini tempore multi homines piiſſimi, fide, ſpe & charitate ſubnixi, *etiam in ſolitudine ſine Codicibus viverent*, & noſtris etiam temporibus multi vivant fide, pietate, boniſque operibus conſpicui, & tamen Literarum prorſus ignari. In reliquis item Phereponi verbis eadem æquivocatio latet. *Qui neſcit literas, ibi potiùs debet vivere, ubi leguntur ſacri Codices, quàm in ſolitudine*: Id verum eſt,niſi jam inſcriptam in corde ſuo habeat,& ſolicite ſervet legem, & doctrinam eorumdem Codicum; at eadem neceſſitas minimè urget,ubi jam teneat, credat, & re perficiat,quod ſacri Codices tradunt, præcipiunt & ſuadent. Similiter *protervia & negligentia* intolerandæ damnandus continuò non eſt, qui Literarum gnarus *Codices ſacros ſibi minimè comparet*: fieri enim poteſt, ut hic jam ipſos legerit, & ex ipſis, aut aliunde didicerit, aut diſcere pergat, & foveat, & exerceat legem Dei in omni pietate atque Juſtitia. Tabulæ autem lapideæ,& Codices ſcripti eò duntaxat tendunt, ut in cordibus hominum legem veritatis & caritatis inſcribant: quod cùm factum eſt,& ea lex *inconcuſſe retinetur*, tum neceſſitas tollitur comparandi ſibi Codices materiales, ſine quibus nemo dubitare poteſt,

quin

quin multi ad veram pietatem, & ſalutem æternam pervenerint, atque perveniant. Itaque neceſſaria quibuſdam non eſt, quanquam generaliter loquendo nunquam deſinat eſſe utilis ex natura ſua divinorum Librorum lectio.

Cap. 8. Lib. 2. de Doctr. Chriſt. ſcripſerat Auguſtinus: *Illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur: nam Jeſus Sirach eos ſcripſiſſe conſtantiſſime perhibetur.* Tum Retract. Lib. 2. Cap. 4. ſententiam hanc ſuam de Auctore Libri Sapientiæ corrigit, aitque ſe didiciſſe poſtea, non eſſe illum Sirachidi tribuendum. Ad hæc Phereponus pap. 524. Animadv. *Mirum eſſe*, ait, *Epiſcopum tanti nominis rem tantillam ignoraſſe aliquandiu, quam à Catechumenis diſci oportuiſſet. Nunquam ſtudioſe cum legerat librum, cùm hæc ſcriberet; nam Auctor libri ſe non ait Jeſum eſſe filium Sirach, ſed Regem Iſraelis Cap. IX. 7. 8. Quod cùm ita ſit, non capio, qui inter Propheticos libros cenſeri poſſet Opuſculum, cujus Auctor præ ſe fert ſe Regem fuiſſe, cum minime fuerit.* Auctorem Libri *Sapientiæ* nemo certiſſimè novit huc uſque, & variæ de ipſo opiniones fuere apud Veteres, quanquam plerique in Salomonem conſectura ferrentur, & quidem graviſſima. Quare mirum eſſe non debet, quod Jeſum Sirachidem Auguſtinus quondam cenſuerit Libri Auctorem, aliorum famam ſecutus. Neque piaculum fuit id aliquandiu ignoraſſe, cùm ne nunc quidem ad fidem ſpectet noſſe, quis Auctor ille fuerit, & profectò incertus ſit Auctor. Deinde verum quidem eſt, ejus Auctorem ſe dicere Regem, & conditorem etiam Templi, quæ certè non conveniunt Jeſu filio Sirach. Attamen mirum potiùs eſſe debet, quòd Phereponus non ceperit, qui ſimul credere Auguſtinus potuerit Jeſum Libri Auctorem, & Librum ipſum inter Propheticos connumerandum. Hoc intellectu aſſequi non difficile fuiſſet homini erudito, ſi aliud quàm cauſas accuſandi Auguſtini apud Auguſtinum quæſiiſſet,

Quicumque Salomoni adjudicant Canonicum hunc Librum, certè norunt, quid ibi Cap. IX. 7. 8. legatur, & tamen alium à Salomone faciunt illius Auctorem, compertum videlicet habentes, nihil idcirco vacillare auctoritatem Propheticam Libri illius: Auctor enim, quicumque is fuit, creditus eſt ſapientiſſimi Salomonis ſenſa, atque ſententias colligiſſe in unum ex aliis Libris, quos elucubratos à Salomone ſcimus, atque deperditos, & ex iis Librum conſarcinaſſe ſub titulo *Sapientiæ Salomonis*. Librum quoque *Eccleſiaſtici* ex Ethicis Scriptionibus Salomonis per Sirachidem fuiſſe excerptum, veriſimile videtur Eruditis: idemque de *Proverbiorum* parte conjiciunt alii. Deinde Auctor Librum

concinnare potuit ſub nomine Salomonis, ejuſque perſonam induere, ipſumque loquentem & docentem facere, quod familiare fuit antiquis Scriptoribus. Nempe Salomon omnium mortalium ſapientiſſimus eſt habitus apud Hebræos. Id innuiſſe videtur Euſebius Cæſarienſis Lib. 11. Cap. 7. Præpar. Evang. Ubi poſtquam Salomonis ſapientiam laudavit, hæc ſubdit: Εντεῦθεν ὁρμώμενος καὶ ὁ τὴν πανάρετον σοφιαν εις ἀυτȣ προσωπον ἀναθεις, ἔφη. Quæ ita vertere poſſumus Latinè: *Hâc ratione commotus & ille, qui omnium virtutum parentem Sapientiam ſub ejus nomine expoſuit, inquit*, &c. Tum aliqua citat Euſebius ex Cap. VII. 5. Libri Sapientiæ. Idem ſenſiſſe videntur Origenes in Joannem Tomo 20. & ſanctus Thomas, aliique tum veterum Patrum, tum recentiorum Eruditorum, quibus incertus ille Auctor creditur ſub Salomonis perſona locutus. Quamobrem nulla eſſe Pherepono cauſa potuit mirandi, cur Auguſtinus Librum *Sapientiæ* Canonicum duceret, ſimulque ejus auctorem olim ſuſpicaretur filium Sirach. Non hæc pugnant invicem. Et ipſe Auguſtinus in ea ſemper ſententia fuit, Librum Salomoni non eſſe tribuendum, ſed à quopiam fuiſſe conſcriptum, qui Salomonem fuerit imitatus, quare & *de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicebatur* à multis.

Mirari ſemel cœpit Phereponus, tam facilè neſcit deſinere. Itaque pag. 524. mirari pergit, qui Lib. 2. Cap. 11. de Doctr. Chriſt. Auguſtinus commendet Hebraicæ Linguæ ſtudium ad Scripturarum divinarum cognitionem, cùm in Hieronymo improbarit conſilium vertendi Hebraica Latinè, & Septuaginta viralem veteris Inſtrumenti Interpretationem, divino Spiritu afflante factam crediderit. Magis etiam miratur, cur Auguſtinus commendato Hebraicæ LInguæ ſtudio, idem ipſe neglexerit, immo cur nullus alius iis temporibus eidem Linguæ operam inter Chriſtianos dederit. Sed ne hic quidem ulla ſuberat juſta mirandi cauſa. Magni verſionem τῶν LXX. faciebat Auguſtinus, ne dicam pluris etiam quàm oportebat. Porro & minime neceſſariam, & periculi plenam operam arbitrabatur, novam Scripturæ Interpretationem ex Hebræis Codicibus deducere, & in Eccleſiam inferre, & veterem antiquare ab Apoſtolis & à Patribus uſu receptam. Erant & aliæ rationes Auguſtino quas certè nunc infirmas & inanes ipſe etiam intelligeret, ſi in vivis eſſet, ſed tunc fortes & graviſſimas adeo arbitrabatur, ut interceſſerit conſilio ſuo, ne ſanctus Hieronymus in propoſito pergeret. Verum aliud eſt novam Scripturæ ſanctæ verſionem inutilem ac periculoſam ſuſpicari, aliud Hebraicæ Linguæ ſtudium cognitionemque improbare. Illud fecit Auguſtinus, hoc nuſquam, immo & propter eruditionem ejuſ-

modi

modi ſummo in honore habuit Hieronymum, ejuſque verſionem tandem deprehenſam utilem ſuâ laude non fraudavit. Auctor item fuit aliis, uti ex ejus Libris conſtat, ut eidem Linguæ addiſcendæ operam darent, cùm apprimè utilem cognoſceret ad ſacrarum Literarum perfectam intelligentiam, atque tutelam. Non edidicit ipſe, quia ſero ejus utilitatem intellexit, non diſcebant alii, quia ingens Magiſtrorum inopia erat, & à ſolis Judæis expectandum erat ejuſmodi beneficium, quos tamen aut livor à Chriſtianis alienabat, aut Chriſtiani ipſi fugiebant, cùm ſcandalum puſillis foret arctum cum iiſdem habere commercium. Sed hæc Phereponi oculos facilè fugiunt, & is potius amat ſuſpicari interpolationes in Auguſtini Libris, immo *ad Academicum Ingenium Auguſtini, ſibi non ſatis conſtans, referre* haſce contrarias, ut ille ſibi fingit, ejuſdem ſententias.

Quod habet idem Phereponus pag. 558 Animadv. ad Cap. 7. Libri de Fide & Oper. nos diu non morabitur. Ex Auguſtini ſententia, *Quidquid homo veluti recte fecerit, niſi ad pietatem, quæ ad Deum eſt, referatur, rectum dici non oportet.* Cenſet Phereponus monſtrum eſſe *ex contendendi, & paradoxa defendendi libidine natum*, arbitrari vel ipſas Infidelium virtutes eſſe peccata. Sed meminiſſe debuit Cenſor iſte præter Cardinalem Noriſium v. c. quem & ipſe laudat, complures Catholicos luculentiſſimè oſtendiſſe, quæ hic fuerit mens Auguſtini, alia ſanè quàm Calvinus & Janſenius putarunt. ' Opera ergo bona in ipſis Infidelibus agnovit ſanctus Doctor: agnoviſſe etiam videtur affectus medios inter cupiditatem & caritatem; ſed ipſa illorum opera, naturaliter bona, rectè docuit tribuenda eſſe Deo, qui & in à ſe averſis bonas voluntates operatur. Tu conſule celeberrimos Theologos in hoc argumentum, quod etiam proximè præteritis annis piè verſavit Leſcius Crondermus Lib. 2. Cap. 9. in Libro, cui titulus, *Elucidatio Auguſtinianæ de divina Gratia Doctrinæ.*

Quid eſt aliud quod malum dicitur, niſi privatio boni? Verba ſunt Auguſtini Cap. XI. Enchiridii. Hanc ſententiam quamplurimis aliis in locis ab Auguſtino propoſitam Phereponus pag. 559. & 584. Animadv. ineptam judicat, multis deridet, & triumphatoris in morem proculcat atque proſcribit. Sed ne hic quidem placet detinere Lectorem eruditum, cùm nemo neſciat, quàm anxiè ſubtiliterque à Scholaſticis Theologis, immo & ab ipſis Philoſophis, agitata fuerit, & agitetur adhuc hujuſmodi quæſtio. Græci Latinique Patres fere omnes cum Auguſtino conſentiant. Nobiliſſimi autem ac innumeri Theologi, ipſique etiam Philoſophi ſentiunt, & oſtendunt, *formale malitiæ actus moralis, ſeu peccati, eſſentialiter in privatione debitæ rectitudinis conſiſtere.*

Eſt

eſt itidem materiale,& poſitivum in peccato, quod etiam agnoſcunt ipſi Theologi. Porro videat Phereponus,quibus nominibus ſit dignus,dum tanto contemptu,& quibuſdam ratiunculis, aggreditur, & nullo negotio conterere ſe poſſe putat quæcumque validiſſima argumenta congeſſerunt tot egregii Theologi atque Philoſophi, in primis verò Carteſiani, ut malum & peccatum ſtatuant in aliqua privatione, ſive negatione ordinis ac bonitatis. Contrarium tuentur nonnulli, at certè non ſine modeſtia, quam tamen fruſtra in Pherepono quæras, controverſiæ difficultatem, aut diſſimulante, aut fortaſſis etiam minime intelligente.

Lib. 1. Cap. 1. de Civ. Dei hæc ſcribit Auguſtinus: *An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus præter Chriſtum Barbari pepercerunt? Teſtantur hoc Martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione Urbis ad ſe confugientes ſuos alienoſque receperunt.* Quin ita res habuerit, nemo dubitare poteſt.& tamen in his Auguſtini certiſſimis verbis habet Phereponus noſter,quod carpat pag. 576. Animadv. *Non erat,* inquit, *diſſimulandum hoſce Barbaros fuiſſe Chriſtianos, quamvis Arii Sectam ſequerentur. Sed laudandi fuiſſent Hæretici, & rei admirabilitas minuenda: quod ſimpliciter quidem Scriptor facere potuiſſet, ſed non callidus Rhetor.* Do libens Gothos fuiſſe Chriſtianos, quanquam id de Alarico quidem eorum duce conſtet, non autem de univerſa Gothorum Natione; nam & Rhadagaiſus alter eorum dux, Paganorum ſuperſtitioni addictus fuerat. Do, inquam,id libens, habemus enim non unum hujus rei teſtem; at cur hujus rei mentionem facere Auguſtinus debuit? Num ignorabant Ethnici Romani, Gothos Chriſtianam Religionem fuiſſe profeſſos? minime verò. Id vulgatiſſimum erat,prodideratque longè antea cognitus Romanis Alaricus, qui & ipſam Urbem non ſemel obſederat, & pacis fœdera cum Romanis inierat, iis etiam coactis, Imperatorem creare Attalum Arianæ Sectæ hominem,Gentilibus propterea atque Arianis ipſe carus. Igitur nihil erat, cur notiſſimam rem diſſimulare vellet Auguſtinus. *Sed,* inquit Phereponus, *laudandi erant Hæretici, & rei admirabilitas minuenda.* Res erat Auguſtino cum Romanis captæ direptæque Urbis calamitatem tribuentibus Religioni Chriſtianæ; non erat cum Gothis. Pepercerant Barbari Chriſtianis æquè ac Ethnicis, qui ad Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum confugerant. Ergo Chriſti cauſa effugerunt pœnas præſentis exitii Gentiles Romani,non evitaturi, niſi nomen & Religio Chriſti Barbarorum feritatem adeo evidenter mitigaſſet, atque cohibuiſſet Hic igitur inſiſtit Auguſtinus, & ingrati animi Romanos Ethnicos arguit,qui fateri nollent ſe mitiſſime habitos non alia

alia de cauſa, quàm quòd ſacra loca propter Chriſtum Barbari revererentur. Quanquam verò Gothi Chriſtiani eſſent, non deſiit tamen admiranda eſſe illorum manſuetudo erga Romanos. Moribus quippe barbari, immanitate feri, victoriæ ardore furentes, ſpem nullam relinquerant tantæ erga victos clementiæ, cùm ne ipſi quidem Romani, nedum efferatæ gentes, victis parcere ſolerent ad Templa inanium Deorum confugientibus.

Quod tamen animadvertas velim, Auguſtinus ipſe hanc Barbarorum inſuetam humanitatem, *miſericordiam & humilitatem*, multis commemorat: quod cùm facit, certè ipſos Hæreticos de laudando facinore laudat. Deinde Lib. V. Cap. 32. ejuſdem Operis de Civitate Dei refert inſignem Chriſtianorum victoriam de Rhadagaiſo Gothorum Rege reportatam quinque ante captam ab Alarico Urbem annis. Auctor & ipſe eſt, fuiſſe Rhadagaiſum falſis Diis addictum, quibus etiam immolare quotidie ferebatur. Quamobrem, inquit Auguſtinus: *Si ille tam impius, cum tantis & tam impiis copiis Romam fuiſſet ingreſſus, cui pepercisſet? quibus honorem locis Martyrum detuliſſet? in qua perſona Deum timeret? cujus non ſanguinem effuſum, cujus pudicitiam vellet intactam?* Tum Romanos arguit, quòd Deo non agant gratias, *qui cùm ſtatuiſſet irruptione barbarica graviore dignos mores hominum caſtigare*, victum tamen voluit Rhadagaiſum Dæmonum cultorem, ne ipſis Dæmonibus gloria, Romanis verò acerbiſſima clades contingeret. *Deinde cùm ab his Barbaris* [hoc eſt ab Alarico ejuſque copiis] *Roma caperetur, qui contra omnem conſuetudinem bellorum ante geſtorum ad loca ſancta confugientes, Chriſtianæ Religionis reverentiâ tuerentur, ipſiſque Dæmonibus, atque impiorum ſacrificiorum ritibus, de quibus ille præſumpſerat, ſic* ADVERSARENTUR PRO NOMINE CHRISTIANO, *ut longe atrociùs bellum cum iis, quàm cum hominibus gerere viderentur, &c.* Quæ verba tam aperta mihi videntur, ut non dubitem, quin Phereponus ipſe intelligere demum poſſit, non diſſimulatam ab Auguſtino Religionem Gothorum, quanquam alioqui notiſſimam, & commendatum eorum facinus ab ipſo fuiſſe: cujus tamen rei laudem ad Chriſtum Deum tanquam ad præcipuum auctorem referendam eſſe prudenter monet. Sed ego fortaſſe ineptus, quòd omnia veſtigia conſectari velim Cenſoris noſtri, qui hic tam facilè Auguſtinum nobis exhibet veluti Rhetorem callidum. Væ Libris atque Scriptoribus, ſi hujuſmodi nebulas excitare licet adverſus illos, nam quis in uno ſtans pede magnus ſtatim Criticus evadere, cùm lubet, non poſſit?

Ejuſdem ponderis eſt alia Phereponi adnotatio in ea Auguſtini verba Lib. VII. Cap. 14. de Civ. Dei: *Si ergo Mercurius ipſe ſer-*

ſermo eſt, etiam ipſis [Ethnicis] *confidentibus Deus non eſt*. Quæ ſic Phereponus illuſtrat, dicens: *Miror non timuiſſe Auguſtinum, ne ſibi objiceretur, quod paſſim habet de Verbo; nam ſimilis objectio potuit fieri, reſponſioque Auguſtini pariter eludi.* Facilè profectò miratur Phereponus, ejuſque admirationem atque adnotationem quibuſdam Gregalibus ſuis hic placituram mihi perſuadeo. Verùm quiſquis rem ſeriò perpendat, è veſtigio intelliget, hominem hunc nihil penſi habuiſſe interdum quid ſcriberet, dum contra Auguſtinum ſcriberet. Et ſanè ille ridendus, qui miratur non timuiſſe Auguſtinum, ne hic in ſe ipſum ſua tela converterentur. Ex Auguſtini ſententia *Mercurius* dicebatur eſſe hominum *ſermo*. En ejus verba. *Quòd ſi ſermo ipſe dicitur eſſe Mercurius, ſicut ea quæ de illo interpretantur, oſtendunt. Nam ideo Mercurius, quaſi medius currens dicitur appellatus, quòd ſermo currat inter homines medius, &c. Ideo & mercibus præeſſe, quia inter vendentes & ementes ſermo fit medius, &c.* Quis autem ſanus, & non ludens, hominum *Sermonem* nonnunquam ſtultum, deceptorium, & falſa narrantem, ſemper verò creaturæ filium, & ſubſiſtentiâ carentem, velit appellare, & credere Deum? At Catholici, cùm Dei Filium appellant *Verbum*, cui etiam nonnulli *Sermonis* vocabulum accommodarunt, Verbum intelligunt divinum, Verbum Dei prolem, Verbum non exteriùs ſonans & fugiens, ſed interiùs manens, & ex divina eſſentia, & ab æterno productum, & cum ipſo Patre, atque in ipſo Patre ſubſiſtens; Verbum denique [ut loquar cum Auctore Libri de quinque Hæreſib. quem olim Auguſtino tribuebant] quod *meliùs Græcè dicitur* λόγος; *logos quippe verbum ſignificat, atque rationem*, ac propterea Dei Patris æterna ratio atque ſapientia. Quare nihil erat, cur ſibi, & ſententiæ Catholicorum timeret Auguſtinus, dum ideo argumentatur, *Mercurium* non eſſe Deum, quod ipſe dicatur eſſe *hominum ſermo*; nimia quippe intercedit differentia inter hominum ſermonem, & Verbum Dei æternum, immutabile increatum, quod idem eſt ac ratio divina. Immo videas pleroſque Patrum, cùm Græcorum, tum Latinorum, & Auguſtinum præcipuè in Libris de Trin. & in Joannis Evang. alibi, fuiſſe uſos exemplo Verbi humani atque creati, ad explicandam aliqua ex parte rationem divini & increati Verbi. Sed ſimul explicarunt quàm immanè duo iſta verba invicem diſtarent, probè nimirum intelligentes, ſolos Sophiſtas ea comparatione abuti poſſe contra divinam naturam Verbi cœleſtis. Conſule Petavium Tom. 2. Lib. 6. Cap. 2. Dogm. Theologic.

Plura alia ſuperſunt in cenſoriis Phereponi Animadverſionibus, quibus ſua deberetur cenſura. Sed ſi perſequi ſingula velimus, vix erit ſcribendi modus. Paucis ergo Orationi noſtræ finem faciamus.

Quod

Digitized by Google

Quòd Auguſtinum,ubi opus erat,aut juſta cauſa occurrebat, Phereponus ſibi corrigendum ſuſceperit, moleſte non ferimus, immo aliqua etiam ratione laudandum conſentimus. Quòd malè toties correxerit,quòd tam impotenti odio in ipſum exarſerit, quòd nullum deniq; non moverit lapidem,quo incomparabilis viri famam pro viribus proſterneret,hoc dolemus,hoc in perniciem non modò ſanctæ Religionis,ſed & bonarum Artium, atque Literarum tendere clamamus. Certe immodica veneratio nos in tranſverſum agat,aut livor nos urat,ſi contendere velimus, nunquam Auguſtinum erraſſe,nunquam meliora tradere potuiſſe, nunquam ſcribere accuratiùs debuiſſe,Phereponum vero iniquis ſemper cenſuris adverſus ipſum fuiſſe præliatum.Magnorum virorum in Literis lapſus ac vitia non diſſimulari,tum veritati apprime gratum eſt, tum Religionis ac Reipublicæ intereſt,ne ſub magnis nominibus major errori faſtus, nocendique licentia obveniat. Verùm & immenſæ Auguſtini virtutes ſincerìus erant exprimendæ, ejuſque nævi tam fuſcis coloribus, tantaque bilè exaggerandi & amplificandi non erant,ut ſanctiſſimum æque & doctiſſimum Epiſcopum,ſi licuiſſet, nativo ſuo ſplendore Phereponus omnino expoliaret. Immo ſi quiſquam dignus erat, qui placide haberetur, is Auguſtinus erat, quem ſumma pietas atque doctrina ingeniis omnium ſeculorum, & Eccleſiæ veræ perpetuo commendavit. Phereponi tamen cenſuram inofficioſam,ſimul & ab æquitate alienam, quanto magis execremur, poſtquam,ni mea me fallit opinio,tot iniquas accuſationes audivimus, & tantam ſegetem errorum deprehendimus in ipſo Auguſtini Cenſore? Reliquum igitur eſt, ut homini illi meliorem ingenii & eruditionis non vulgaris uſum à Deo precemur. Lectores vero moneamus, ut ſi minus periti ſunt, ab ejus Librorum lectione abſtineant,ſin docti ſunt, caute verſentur cum Dictatore Critico. Interim vero ſtet ille tanquam exemplum, quid poſſit in inquiſitione veritatis humana ratio ſibi relicta ſine ſalutaribus frænis,de quibus uti & de juribus ingeniorum hactenus Oratio noſtra pro viribus egit.

FINIS.

523697

523697

Digitized by Google

by Google